
ANTIDOTARI
MESSANENSI
1629








CORTESI, G.B.

~~Phar. respostas Messina~~

Cortesi



PHARMACOPOEIA SEU

Antidotarium Messanense, in quo tum simplicia tum composita Medicamenta, vsu recepta accurate examinantur

IOANNIS BAPTISTAE CORTESII.

Medici ac Philosophi Collegij Bononiensis: Æquitis & Comitis Palatini & in Almo Messanensi Gymnasio Practicam Medicinam in primo loco interpretantis

MESSANAE

Ex Typis Petri Breæ

Superiorum permissu. 1629

ILLVSTRISSIMIS SENATORIBVS

DON FRANCISCO MARVLLO, SEBASTIANO DE MARINIS, DON THOMAE BONFIGLIO BARONI DE CALLARE, ET BVCCARRATE, EQVITI CALATRAVAE, IOANNI TVCCARI, FRANCISCO FARAONI, FRANCISCO FAZARI.

F.

PLVRIMVM vobis, Ciuitati, & mihi in præsentia gratulor, Senatores Illustrissimi, & vt debeo lætor quam maximè; vobis quidem pro inita dignitate multum, sed pro dignitatis merito plurimum, Ciuitati autem quia ei in deligendo Senatu, neque consilium defuit prudens, & temeritas adfuit nulla; mihi denique (quippè qui cum diuturnitate commorandi, assiduitate laborandi, & legendi, studiaque promouendi in hac Vrbe, perennitate quadam amorem veluti immensum hauserim in hanc eandem Ciuitatem) minimèq; continere me possum quin gratuler cum videam, optimos viros, ac dignissimos esse in eo loco, ac dignitate collocatos, vnde vniuersum hoc tam magnæ Ciuitatis corpus regere queant. Quod faustum, felix, fortunatumque vniuersis sit, & vt felicibus initijs, felicior progressus respondeat, & progressiones ipsas felicissimi excipiant in gubernando exitus, Deum Opt. Max. precor. Enim verò ea denique summa Ciuitatis cuiusque optimæ laus est, si optimos ciues veluti filios habeat, alatque; itaque oculatissimus ille vates, & eruditus instituendæ Reipublicæ magister, felicitatem Virgilius Romanam non in caducis naturæ, fortunçuè muneribus, sed in prudentissimis Gubernatoribus reposuit; non enim ille aëris salubritatem, non numerum incolarum, non opum insignem magnitudinem, non spectatam fertilitatem, non situs

amœnitatem, non claros fontes, non vicinitatem maris, non portum tutum, non opportunos amnes, non Patriæ Nobilitatem, non vini optimi, olei, frumentiq; feracitatẽ, non armentorum, gregumque frequentiam non auri scatebras, & argenti, & alia id genus, quæ sunt Ciuitatis ornamenta exteriora, ad quæ sola respiciunt vulgares, dignatus est attingere, sed vnam Vrbis bonitatem. Vnam Vrbis, & Imperij magnitudinem, atque altitudinem attingit (nempè animorum;) ea est enim vera Vrbium felicitas, vera Regnorum Nobilitas. Nam cum triplex sit ratio publicè gubernandi; vna quæ Monarchica dicitur, quemadmodum apud Persas Rex erat, cuius Imperio, ac nutu agebantur omnia, quique de omnibus pro arbitrio disponere secundum rectam rationem poterat; Altera (quã Aristocraticam vocant nempè optimatum gubernationem, veluti apud Spartiatas, seu Lacedæmones) numerus erat optimatum paucorum, & sapientum, qui de rebus ad Reipublicæ vsum commodumque spectantibus consilium, remediumque cũ potestate adhibebant; Tertia erat Democratica, seu popularis, quo administrationis modo Athænienses vtebantur, & sæpè vsi sunt Syracusani cum à iugo Tyrannidis ceruicem subinde excussissent. Neque verò nostris hisce temporibus desunt exempla harum regendi specierum, quæ possem multa afferre cum encomio eorum, ac laude, laudisque lucro, sed supersedeo cum nè sim longior, tum nè si quam Rempublicam aut Regnum reticuero, inuidiam mihi pariam, qui omnium amorem ambio. Iam in his vniuersis administrationibus si quando errores, & transgressiones eueniunt, exurgit illicò Tyrannis, vt Plutarchus ex Platonis sententia in opusculo de triplici specie publicę administrationis edisserit; nihil enim tam boni est in orbe terrarum, quod non corrumpi aliquo vitio, fœdarique possit. Verum vbi signanter aliqua Ciuitas ex optimatum aliquorum, paucorumque Popularium magistratu constet inter quos, vt ferè vsuuenit semper, quispiam prudentia, sapientiaque ac longo rerum vsu, atque peritia longè præcellat, tum sanè ea Ciuitas felicissimo gubernationis genere perfruetur; nam cum omnes regendi species amplectatur, Aristocratiam, Democratiam, & monarchiam, singularum tamen incommoda, & quæ oriri possunt ex singulis detrimenta earum omnium coniunctione vitabit; itaque optimatum exorientem fortè fastum deijciet Popularitas, Monarchiæ dominatum extenuabit consociatio Nobiliorum; quamobrem soleo ego huiusmodi permixtam gubernationem fidibus benè concinnatis comparare, in quibus cum chordæ diuersis ac veluti discordibus modulis sint inter se concordes, in eam tamen, qua intensiore, qua remissiore sono inter se inuicem permixto deueniunt harmoniam, vt humanas aures mira cum suauitate demulceant. Quam quidem administrationis publicæ rationem, & posse constitui docuit philosophiæ vtriusque Homerus, Aristoteles, libro politicorum 4. cap. 10 &

con-

constitutam iam diù esse maximo Ciuitatis emolumento hæc ipsa suo exemplo demonstrat Vrbs Nobilissima Mamertina, quæ sui corporis valetudinem per hanc prudentissimam gubernandi formam tam aptè tuetur, tàm ei prouidè, tàm moderatè, tàm denique sollicitè consulit, vt apud cæteras optimas Ciuitates sui, & admirationem, & vt leuiter dicam æmulationem concitarit: Agè quanta in negotijs maritimis prouidentia, & cum quanta Regum potestate Mamertinis magistratibus concessa? quantus in seruanda ciuium, Ciuitatisque dignitate, immunitate labor, & cum quanta Auctoritate sibi ab ingenita maiorum Nobilitate contributa; quanta in conuehendis ijs, quæ ad vilitatem annonæ spectant rebus sedulitas, & cum quanta liberalitate, nullis expensis parcente quis percensere dicendo valeat? quo olim, nuper, immò verò paulò antè, studio, contentioneque periculosi morbi Siciliam peruadentis contagium auerterint, vt recuperatam sanitatem Insula, & conseruatam Italia vni Messanæ debeant? Quod si hæc, quæ à me dicta sunt, pars quædam sunt officij vestri, Senatores Illustrissimi, vt scilicet ciues vestros integros, incolumesque seruetis, non nè illa cura melior erit, ac magis præcipua, si animos eorum mentesq; excolatis? Fuit quidem in omni tempore hæc Ciuitas literatis viris florentissima, cuius etiam fructus per multos annos Bononia, literarum, nostraque Patria præstantissima degustauit, in Andræa Barbatio Iuris Consulto celeberrimo, cuius nomen per vniuersam italiam peruulgatum est, sed sobolem per liberos propagatam in sinu suo retinuit Bononia, posuitque inter Nobilissimas familias; taceo reliquos omnes apud Abbatem Maurolicum excellentissimum Mathematicorum recensitos, Vnum honoris causa nomino Polycletum Artis Medicæ peritissimum, & virtutis studiosissimum virum, quem adeo adamauit Agrigentinus Phalaris, & propter excellentiam medendi veneratus est, & muneribus prosecutus, vt penè in suspicionem hominum coniecerit, quasi qui vitam Tyranno seruauerit, eidem, vt Tyrannus esset concesserit; atque hæc quidem antequam studiorum, scientiarumque edocendarum Theatrum aperiret Messana, quo patefacto incredibile est quot in sinu illius adoleuerint ingenia, sapientum virorum Illustrissima, quot in vnaquaque facultate prodierint peritissimæ animæ; vtinam ò omni scientiarum genere vir ornatissime Maurolice viueres in præsentia, non enim modo Patriam laudares tuam, quod Bononiam referret studijs erigendis, fouendisque, sed excitares etiam, & eloquentiæ veluti quodam aculeo confoderes, vt in amplificandis ijsdem, in lectoribus idoneis conquirendis, in supplendo eorum integro numero, emulationem quandam susciperent cum Bononia; quæ Ciuitas cum debere se fateatur pro Barbatio Messanæ multum, quem sibi transmisit; grati tamen animi significationem aliquam præbuisse sibi visa est cum me suum ad Messanam Ciuem triginta, & eo amplius ab hinc annis venire iussit, quo toto tempore Me-

re Medicinam practicam in prima sede non sine magna studentium vtilitate sum interpretatus, excepit me olim Cathedra virum, ea nunc senem, ac penè decrepitum habet, vt quæ mihi pro sedili erat, nunc tumuli vicem supplere posse videatur.

Habes ergo (Senatus Mamertinæ Ciuitatis Illustrissime) Ciuem Bononiensem iam factum Mamertinum, qui olim Mamertinum fecisti Bononiensem; quamobrem, vt familiam ego meam in hac Vrbe, domumque collocaui, ita antequam sarcinas colligo, mens mihi est, alterum opus ingenij mei edere, vt ostendam, senium hoc meũ non esse ociosum, aut infructuosum; Credite (Patres) in hac facultate medendi secus se res habet, atque in cæteris, alibi enim recedentes anni multa ab homine commoda, bonaque adimunt, hic Iuuentus præterita, annorum transmissa series, vita ipsa quæ fluxit, auget ingenio vires, & cum experientia scientiam. Cui autem labor iste meus dicandus est, nisi vobis? vobis enim, ac vestro muneri famulatur, vestrum est ciuium vitam, valetudinem, incolumitatem tueri; prodest huic rei meus liber, imò in hanc rem totus incumbit, vestrum est diligentissimè propellere morbos, morborum auerruncare causas, & mortem ipsam quam fieri possit profligare, en, ego diligentiæ vestræ sedulitatem meam submitto, quæ adiuuet, quæ deducat, quæ viam commonstret. Antidotarij illi, seu Pharmacopœę nomen indidi, quia medicamentorum omnium conficiendorum rationem, vsum compositionemque docet, pro vsu huius Vrbis, & regionis ad lucem, facemque Medicis, Pharmacopolisque ferendam, vt Messanensis Ciuitas, quæ nulli Vrbi concedit in ornamentis alijs ad decus, ad Nobilitatem, ad nomen, famamque necessarijs, neque ab vlla superetur, in eo quod ad defendendos morbos, sanitatemque aduocandam, seruandamque spectat. Valete Illustrissimi Senatores, & vestrum nomen cum tutela scientiarum, in sequentem æternitatem propagate.

Ioannes Baptista Cortesius.

PERILLVSTRI, ET ALMO COLLEGIO MEDICORVM, AC PHILOSOPHORVM MESSANENSIVM,

Eiusque hoc anno Priori, & Vrbis Proto-Medico

VINCENTIO RISICO

IOANNES BAPTISTA CORTESIVS S. P. D.

MVLTOTIES (Perillustres, & Sapientissimi Viri) multos, nec inferioris notæ Seplasiarios maxima sedulitate in suis scrinijs arcanas quorundam medicamentorum formulas asseruare animaduerti, quas cùm vel à seniori Medico, vel perito olim Apothecario, sub cuius disciplina artem didicerunt, accepisse asserant, apud se duntaxat reperiri gloriantur. Verùm non ita rem se habere deinde compertum; nam cuiusuis medicamenti, licet haud typis excusi, parandi modum, quem quisque sibi soli proditum existimabat, alijs, atque alijs impertitum fuisse, nonnullis tamen in ijs aut adiectis, aut ablatis ad libitum, & inconsultò, progrediente tempore prout ferebat occasio, apertissimè, nec citra admirationem conspexi. Præterea adolescentes aliquos, & in re pharmaceutica, penè dixerim, omninò rudes officinas aperuisse vidi non sine, & nobilissimæ artis dedecore, & vitæ ægrotantium, qui suis uterentur medicamentis, graui discrimine. Iidemque ad velandam propriam ignorationem ita pharmacopolium pilis, arculis, pyxidibus exornant, omnique perpolitissimo vasorum genere extruunt, & prætereuntium oculis confertum obiectant, vt nihil nitidius, nihil opulentius peroptari possit: quinimo sesquipedali inscriptione tam simplicia, tum composita quædam remedia vndecunque multis expensis conquisita, aut miro artificio confecta pollicentur, quamuis ea nec Medicus vllus, nec Pharmacopola, aut nouerit, aut viderit vnquam; satis id ostentationis esse arbitrantes ad plebem decipiendam, à qua, & gloriam, & lucrum simul extorquere percupiunt. Aliò itaque horum studium, quibus breuissimi temporis interuallum in ediscenda tam difficili disciplina impendere libuit minimè tendit, nisi vt vulgo imponant, ostendentes se peritissimos esse Pharmacopœos, etsi nec latinum sermonem intelligant, nec artem sub doctis præceptoribus exercuerint. Sed quod haudquaquam ferendum, tam variè, tamque diuersis rationibus eadem componunt medicamenta, vt si nomen exceptas nulla alia in re conueniant; id quod, & Medicis maximum in medendo parit incommodum, cùm medicamina diuersimodè confecta differant viribus; & morbo correptis hac eadem de causa valde obsit,

de obsit, eò quòd ijs indubitatum afferant plerumque interitum. Nec tamen hactenus huic deterrimo paulatim exurgenti malo quispiam ex recentioribus Proto-Medicis obstitit, sua fortassis vel humanitate, vel (proborum pace dicam) auaritia; quoduis enim delictum, siue ignorantia, siue malitia patratum leui pecuniæ exolutione remittere nonnulli consueuerunt.

Verum enim verò meum quidem esse censui, & medicinam docendi munere, quo triginta ab hinc annis, è primo suggestu fungor, & præcipuo quodam erga Mamertinam Ciuitatem amore, hanc ob Pharmacopolarum discrepantiam in componendis medicamentis sæuissimam luem extirpare si possem, cui rei animum cum pluries applicuissem, rectè fieri id posse aduerti, si vestigijs aliarum Ciuitatum, in quibus scientiæ vigent, publicaque gymnasia florent, insistentes, Pharmacopœam vel Antidotarium nostræ Vrbi accommodatum ederemus, in quo singula remedia describerentur, quæ hucusque quotidianus vsus, & experientia doctiorum practicantium recepit. Quemadmodum igitur Bononiense Antidotarium, Romanum, Patauinum, Senense, Pisanum, Bergomense, & alia complura circumferri obseruauimus, & quamlibet ex maximis Vrbibus proprio, & non alieno vti ad euitanda damna, quæ alioquin impenderent; ita & nos vt mala ex diuerso medicamentorum apparatu deriuantia effugeremus, nostrum peculiare meditati fuimus Medicamentarium, vbi ad publicam vtilitatem ea ex medicis præsidijs, quæ magis apposita visa sunt, annotauimus, eaque singula examini subiecimus, & diligenter quidem, vnde plurima emendatiora redduntur, quædam verò obscuriora omninò dilucidantur.

Ioannes Mesues Damascenus, quem Joubertus Medicorum Coriphaum, & Euangelistam appellat, omnium primus composita medicamenta, vsuque recepta in ordinem redegit, atque Antidotarium, quod Grabadin nominat, compilauit, in quo etiam plurima à Galeno excerpta apposuit. Diuisit is suum opus in duodecim classes; quarum primam electuarijs destinat, alteram extractis, in tertia de solutiuis, in quarta de conditis pertractat, sub quinta ecclegmata, seu linctus, sub sexta syrupos, & succos apposuit, in septimam decocta, & infusa, in octauam trochiscos reiecit, nonæ pilulas, decimæ pulueres tribuit, vndecimæ vnguenta, & emplastra, vltimæ verò olea adscripsit. Post celeberrimum Mesuem plures Antidotaria in lucem emiserunt, quos omnes idem Ioubertus recenset, ac redarguit, vt apud ipsum videre est. Hi auctores, etsi maiori ex parte omnia ferè medicamenta à Mesue exscribant, aliqua tamen eorum vnisquisque alijs intacta in medium affert, nec iniuria, cùm vix fieri possit, vt vbique gentium, ac locorum eadem vsurpanda veniant, siue alterantia, siue soluentia, siue interna, siue externa fuerint, id quod vsuuenire solet, vel pro consuetudine Ciuium, vel Medicorum varia opinione. Videmus enim aliquot ex ijs præsidijs, quæ iam olim à Galeno, & Mesue, & alijs præstantissimis Medicis magnifiebant, hac nostra tempestate omninò relicta, eorumque vsum penè desijsse, contra plura alia ijsdem Medicinæ parentibus prorsus ignota à recentioribus passim, & vbique in praxim reuocari, ita vt medicamentorum, ac verborum planè eadem sit conditio, & vicissitudo, quare id quod de illis cecinit Poeta, illud ferè idem præcini possit de medicamentis.

> Multa renascentur, quæ iam cecidere; cadentque,
> Plurima nostrorum medicamina, si volet vsus,
> Et ratio, Medicis duo præstantissima doctis
> Instrumenta, quibus quærunt, carpuntque, docentque.

Hinc factum, vt à Neotericis varia describantur auxilia, quibus in dies vtutur, antiquioribus aliquot medicamentis quodammodo aut neglectis, aut posthabitis, quamuis id in quamplurimis non contingat, sed duntaxat in quibusdam particularibus; nam ferè omnia, quæ à Priscis inuenta, & vsurpata fuerunt, recentiores plurimi hisce temporibus faciunt ob maximum artificium, quod in illorum compositione elucescit, & ob virium excellentiam, quam quotidianus rerum euentus apertissimè ostendit, atque id præcipuè in ijs, quæ à Mesue adducuntur in suo Grabadin deprehenditur, quæq; nos accuratissimè hoc in opere examinabimus, lucem ijs afferentes, quæ obscuritatem aliquam

præse-

præseferre videbantur: aliorum simul Auctorum de hac materia scribentium varia remedia in examen reuocabimus, eorum tamen ordine non seruato.

In hoc enim nostro Antidotario Messanensi hac ratione progredimur, diuidimus primò medicamenta omnia in interna, & externa, quæ aut topica, vel localia dicuntur: priora in alterantia, soluentia, & corroborantia discriminare visum est. Sub alterantium censu syrupos collocamus, quorum alij bilem, alij pituitam, & alij melancholiam alterant, hosque humores, vt facilius è corpore possint educi, præparant. Ex solutiuis nonnulla per inferiores partes immittuntur, aliqua verò per os assumimus: illa clysteris appellatione, vel peßarij nomine indigitantur, hæc verò trifariam diuiduntur; alia enim sunt prorsus fluida, nonnulla non ita fluida, sed nec prorsus solida, verùm molliusculè configurata, aliqua denique prorsus solida, & in paruas pilulas redacta. Fluida syrupos complectuntur, quorum aliqui biliosos humores, aliqui pituitosos, alij melancholicos, ac tandem alij mixtos extrahunt humores. Quæ post hæc, nec omninò fluida, nec solida habentur, electuaria appellant, quæ etsi ægrotantibus in figuram boli redacta interdum offerantur, longè tamen pluries vel aquis, vel decoctis, aut infusionibus eliquata, & syrupis commista, pro vt commodiùs censentur, sub forma potabili propinari solent. Horumque non vnica est species; alia enim cathartica existunt, idest electiuè purgãtia, quòd noxios humores à longinquioribus corporis partibus trahant, vel quòd non quemcunque, sed determinatè aliquem duntaxat ex humoribus alliciant, vnde aliud cholagogum, aliud phlegmagogum, & illud melanagogum vocarunt, pro diuersitate nimirum humoris, quem vnumquodque sua peculiari virtute proripit, & extra corpus educit. Alia deinde ex electuarijs sub lenitiuorum soluentium classe aptè accommodari posse opinamur, vt pote quæ aut primas tantùm vias repurgant, aut ex intestinis solas fœces exturbent, vnde ecoprotica hac de causa à Græcis dicta fuerunt.

Sed quia ad fluida reddenda eiusmodi electuaria oportuit adesse aliquod prorsus fluxibile, quod illis admisceretur, aquæ primùm prodiere in medium, atque ita de ijs omnibus tam simplicibus, quàm compositis aliquantulum fusè tractauimus, atque hac occasione de aquis caponum, seu carnium, nec non de aquis theriacalibus, & de elixir vitæ dictis multas descriptiones præstantissimorum auctorum adduximus. Adiecimus etiam decoctiones, seu apozemata tam alterantia, quàm soluentia, nec non & sudorifica. Quibus succedunt infusiones, quæ & ipsæ ad solutiua medicamenta pertinent, tum quòd horum qualitates, vbi fuerint infusa, retinent, tum quia medicamentorum aliquot, vt fluida reddantur, primò infundi sit opus, quo nomine multas infusiones in medium protulimus. Hisque adiunximus iulapiorum caput, quo & illa, quæ veluti syru i, & illa quæ solutiua existunt, inclusimus. Cùm autem non solùm ex aqua, & saccharo, sed etiam ex succis componantur iulapia, sicut & rob, consecutione quadam de his propriam instituimus tractationem. Et hæc sub fluxibilibus medicamentis re vera comprehenduntur: post quæ solidiora, pilulæ nimirum, atque trochisci meritò recensentur, at primùm pilulas examini subiecimus, mox trochiscos, quos orbiculos appellant, ob magnam, quam habent cum pilulis, affinitatem, siue compositionem, siue formam respicias. Vltimo loco pulueres, seu species collocantur, & finis positus est soluentibus.

Porrò corroborantia sumpsimus describenda, & præsertim antidota optata, atque confectiones cordiales, quarum aliæ partes naturales, aliæ thoracicas respiciunt, hacque occasione, quæ facultatem habent pulmones, & asperam arteriam expurgandi, & materias in ijs contentas expectorandi considerauimus, inter quæ omnium scriptorum consensu reponuntur, à Græcis eclegmata, & loch ab Arabibus dicta, de quibus particulatim egimus, sicut etiam de euacuantibus ventriculum, vomitoriorũ nomine contentis: errhina prædictis, seu nasalia vulgò appellata, sternutatoria, apophlegmatismata, seu masticatoria, ac denique gargarismata addidimus. At quoniam in soluentium vsu non solet semper res ex voto succedere; nam ab acribus humoribus exeuntibus inducitur nonnunquam permolestus dolor, qui vel ob alias causas interdum etiam suboritur, placuit eodem modo obstupefacientia, seu dolorem sedantia, quæ verè optata sunt, & narcotica nominantur, exactè conscribere. Ad hæc adnexa reperiuntur antidota pretiosa, sic dicta non solùm quia res pretiosas contineant, sed quia eorum virtutes pretiosissimæ, ac præstantissimæ sint, tam in fugandis deterrimæ qua-

litatis

litatis morbis, quàm in resocillandis, & instaurandis vitalibus spiritibus, & animalibus. Conseruæ subsequuntur, quæ etsi videantur factæ, vt palato gratificentur, visceribus tamen malè affectis maximo solent esse adiumento, quibus hæret conditorum discussio. Nonnihil insuper de extractis pertractauimus; nam licet ad artem chimicam pertinere subinde videantur; nihilominus aliqua ex ijs rectè pharmaceutriæ obijciuntur. Atque hic sistit ordo, quem seruauimus in examinandis internis medicamentis, in calce tamen habetur exquisita tractatio de iure galli, nec non de vinis medicatis, quorum supra obliuionis causa nulla facta fuerat mentio.

His absolutis ad topica deuenimus, quorum quædam vniuersalia sunt; respiciunt enim totum corpus, alia particularia, vt quæ partibus determinatis conferant, & localium appellatione significantur. Inter vniuersalia balnea reponuntur, quæ aut fiunt ex aquis dulcibus, aut ex salsis, idest marinis, aut ex thermalibus, quæ à varijs mineris scaturire solent, de quibus omnibus singillatim habetur sermo. Quod ad particularia attinet, in medium adduximus aspersiones, embrocas, idest stillicidia, vinacea, olea, linimenta, vnguenta, cerata, emplastra, cataplasmata, catapasmata, empasmata, & diapasmata, synapismos, dropaces, seu picationes, scuta, frontalia, fomenta seu fotus, & epithemata. Vt tandem extremam manum operi imponeremus, catalogum omnium simplicium, quæ in officinis perpetuò conseruanda sunt, affiximus, præparationes medicamentorum aliquot, succedanea, & pondera, mensurasque docuimus. Verùm appendicis loco tractatulus de natura, & viribus lactis, nec non de facultatibus syrupi de corallis, & diasatyrij Mesue ex Antidotario Bononiensi adiectus denique fuit.

Quàm vellem nunc (Viri optimi, ac sapientissimi) vt deinceps huius Vrbis Pharmacopœi nostro hoc Antidotario vterentur, tum quia, & ægrotantium saluti maximè conferret, cùm quæ hic describuntur auxilia, nostræ accommodata sint regioni; tum quia vobismet ipsis, cæterisque Medicis, nec non Seplasiarijs multum commodi accederet; nostræ scilicet facultatis professoribus, quòd scirent, quanā ratione componerentur remedia, atque ita quas vires continerent, quibusue morbis essent præscribenda, pharmacopolis, quòd omnes idem remediorum genus, eodemque artificio paratum apud se asseruarēt, tum ad præstandum obsequium in medicamētorum reuisione suis Proto-Medicis, tum, quod maioris est momenti, ad conscientiam illæsam conseruandam, ne quandoque quid pro quo, vt aiunt, existimationis causa præbere cogerentur. At enim vestrum est, prudentissimi Patres, rebus Patriæ consulere, cùm ex nostro ordine quotannis aliquis sit ab Senatu eligendus, qui Proto-Medici munere fungatur ad exquirendum, non recta ratione, & vt decet, fabrefacta sint medicamenta: vos igitur præcipere potestis, ne alterius Antidotarij formulas in componendis artis auxilijs insequantur Pharmacopolæ; id enim si mandare volueritis, vt confido, rei medicæ perbellè consultum erit; nihil aliud apud vos, quibus multum inest doctrinæ, ac sapientiæ, quàm administri eruditiores desiderari mihi videbantur. Vt neque ij desint, en meos labores. Vos exoro ne frustra insumptos patiamini. Me esse vnum ex vestris, imo Decanum Collegij recordamini, qui ad id nulla alia causa permotus, nisi animi propensione, ac summa beneuolentia erga hanc vrbem exhortor. Valete.

D. ASCANII DE ANSALONE V. I. AC S. T. D.

AD AVCTOREM

EPIGRAMMA.

DVm rauco Mars ære fremit, dum prælia feruent,
Dum manus Ausonios Gallica vastat agros:
Ocyus excelsum scandit Parnason Apollo
Et placet Aonijs fingere bella modis.
Sed queritur natura suo viduata patrono,
Aegrorum expectat funera, quærit opem.
Ecce salutiferam defert COTESIVS *artem,*
Huic medicas voluit cedere Phœbus opes;
Morborum tibi iura dedit, tibi vulnera parent,
Te lapis, & vires edocet herba suas.
Vel gelidum potes, at non vis animare Cadauer
Inuida ne moueas rursus ad arma Iouem.

AD EXCELLENTISSIMVM IOANNEM BAPTISTAM CORTESIVM COMITEM PALATINVM OPERIS AVCTOREM

VINCENTIVS RISICO PHILOSOPHIÆ, ET MEDICINÆ DOCTOR Messanæ Proto-Medicus ac almi Collegij Prior.

EPIGRAMMA.

NAte Iouis summi, Medicinæ gloria sacræ
CORTESI, & cunctis tu Panacæa malis,
Notus es vt secli decus admirabile nostri,
Hinc nulla est meritis digna corona tuis.
Ad te oculos aureſque trahis, tu solus in omnes
Sedibus in patrijs diceris esse deus
Talia scribentem taciti mirantur, & orbis
Inquit par nullum Gracia numen habet.

AD IOANNEM BAPTISTAM CORTESIVM MEDICVM, ET PHILOSOPHVM CLARISSIMVM

NICOLAVS ANTONINVS FERRARA Philosophus, & Medicus ex Collegio.

TRaxerat infernas Atropos crudelis ad vmbras
Castum mortiferis vnguibus Hippolytum:
Tristè dolens iuuenis virgo Latonia sortem
Adfuit extremis auxiliata malis.
Motus enim lacrymis, precibusque Epidaurius, auras
Rursus in æthereas posse venire dedit.
Res non grata Ioui: medicas compescuit artes,
Perdidit, & tantum fulminis igne virum.
Tale nihil tua fata pauent, BAPTISTA, salubri
Antidoto exactos dans reuocare dies.
Nam si Phœbigenam prostrarunt fulmina, linguæ
En tibi dant vitam fulmina docta tuæ.

IDEM AD EVNDEM.

DVm Cœli furijs turgens exestuat æquor,
Et trepidat medio puppis anhela salo,
Heret in inmota securus pyxide nauta.
Illa maris, cœli prædocet illa vias.
Ecquis morborum fluctu non æstuat æger,
Ecquæ anima infidis non agitatur aquis?
Hac age doctiloqua vitam de pyxide disce,
Crede mihi vitæ tuta docebit iter.

BARTHOLOMAEVS GOMEZ
Philosophus, & Medicus

In appendicem de lactis vsu.

EPIGRAMMA.

Lenta diuturni cesserunt vincula morbi
Antidoto lactis, quod liber iste tulit.
Carcere ne Pietas celebret Romana parentem,
Seruatum simili quem canit ingenio.
Donauit Romana patrem nam lacte puella
Vita, quam pauci diripuere dies.
Libertas, & vita breuis. Tu, viuat in æuum
Auctoris, facies, inclyta fama, liber.
Lacte breues patri, æternos sibi filia fecit
Lacte dies: nulli profuit vlterius.
Aeternat se lacte liber, teque Author, & vltra
Asseritur digno vita fruenda viro.
Carcere nata patrem, liber ægrum liberat astu:
Vitas illa duas, tres liber iste dabit.
Plures si numerum spectes, si pondera summas,
Aeternas fama, nobilitate graues.

IN ANTIDOTARIVM MESSANENSE

DOCTISSIMI, AC EXCELLENTISSIMI

IOANNIS BAPTISTAE CORTESII BONONIENSIS

PHILOSOPHI, AC MEDICI EQVITIS AVRATI
Comitis Palatini, Præceptorisque amantissimi.

ONVPHRII CVRSERII IATROPHYSICI ZANCLENSIS.

ACROSTICHIS.

I *nnumeros Mortem populos strauisse, feramque*
O *bruta lethæis damnasse cadauera saxis,*
A *tque sepulchrales lætam spectare triumphos,*
N *e doleas, Natura, nouum (si dicere fas est)*
N *umen adest, vernis cui iam Podalirius herbis,*
E *t medicis gaudens Pæantius artibus heros*
S *ubmittant frontem: tacitis viden vt fera chartis*
B *ella mouet Lachesi, functosque ad munia vitæ*
A *rte noua remeare docet CORTESIVS? ipse*
P *hyllirides taceat, roseo CORTESIVS ore*
T *e docet, ò Lector, cultos gustare liquores*
I *ncipe, Apollineo poteris non altius ore*
S *cire potestates herbarum, artemque medendi*
T *emperiem, & Floræ, quo non præsentius vllum*
A *uxilium surgit mortalibus. Eia age quid iam*
C *hironis miramur opes? medicamina quotquot*
O *ffert herbiferis assurgens collibus Orbis,*
R *imari hinc poteris. CORTESIA Pharmaca seruant*
T *hesauros, quantis decet, ò te Zancla, coronis*
E *meritum ditare virum, cui mille docenti*
S *erta Palatinus gaudens intexuit? ò vos*
I *te & Olympiacos, mea carmina pandite campos,*
V *nde suæ nectat fœlix diademata fronti,*
S *emper, & astriferis viuat CORTESIVS hortis.*

EIVS-

EIVSDEM.

PVbentes Violæ, Casiæque, Calthæ,
Narcissi, Tiliæ, Croceique flores,
Fœtus arborei, fruticesque lecti:
Et vos Cæruleo nitidi lapilli
Effossi è gremio, specubusque nigris
Auratæ, roseę, niueæque baccæ;
Quantas CORTESIO, moriente nusquam
Debetis folio, celebres corollas,
Qui vos edocuit, pauitante Clotho,
Largiri populis, morientibusque
Aegris, egelidis, animam, salutem?

AD EXCELLENTISSIMVM

IOANNEM BAPTISTAM CORTESIVM

MEDICINAE PRACTICAE PRIMARIVM PROFESSOREM

Comitem Palatinum, & Præceptorem Amantissimum.

PAVLVS VARVETIVS ARTIVM, ET MEDICINÆ DOCTOR.

Non tot syderibus spatiosus cingitur æther,
Nec tot dat flores tempore veris humus.
Innumeras pelagus non tot restringit arenas,
Aëre neo tot aues Vndique vere volant.
Quot pro morborum liber omni pharmaca cura
CORTESI *rectè continet iste tuus.*

INDEX AVCTORVM QVI IN HOC OPERE CITANTVR.

Donatus ab Altomari.
Fr. Donatus Eremita.

E

EMpedocles.
Eneas Vizzanus Bononiensis.

F

FRanciscus Antonius Caserta.
Franciscus Pedemontanus.
Franciscus Valeriola.
Felix Castellius Bononiensis.

G

GAbriel Falloppius.
Galenus.
Garsias ab Horto.
Georgius Françiottus.
Georgius Melichius.
Gerardus Cremonensis.
Georgius Carauita Bononiensis.
Guainerius.
Guilielmus Montagnana.
Guilielmus Rondoletius.
Guilielmus Serafinus.

H

HErcules Saxonia.
Hippocrates.
Hieronymus Calestanus.
Hironymus Gardanus.
Hieronymus Mercurialis.
Hieronymus Rubeus.
Horatius Augenius.

I

IAcobus Manlius.
Iacobus Siluius.
Ioannes Baptista Montanus.
Ioannes Baptista Siluaticus.
Ioannes Iacobus Vuecherius.
Ioannes Costæus.
Ioannes Andernacus.
Ioannes Asfurtus.
Ioannes Euurnius.
Ioannes Fernelius.
Ioannes D'ongoys.
Ioannes Manardus.
Ioannes Mesue.
Ioannes Hieronimus Puluerinus.
Ioannes Philippus Ingrassias.
Ioannes Placotomus.
Ioannes à Vigo.
Ioannes Schironius.
Ioannes Argenterius.
Ioannes Quercetanus.
Isaac Hebrus.
Iulius Cæsar Claudinus Bononiesis.
Iulius Cæsar Baricellus Beneuentanus.

L

LAmpo Pelusita.
Laurentius Ioubertus.
Leonardus Florauantes Bononiensis.
Leonardus Iacchinus.
Lucas Ghinus Bononiensis.
Ludouicus Bersaldus.
Lumen Apothecariorum.
Luminare Maius.

Mat-

M

MAttheus de Gradis.
Martinus Rolandus.

N

NIcolaus Alexandrinus.
Nicolaus Florentinus.
Nicolaus Mirepsius.
Nicolaus Monardes.
Nicolaus Præpositus.
Nicolaus Salernitanus.

O

ORibasius.

P

PAulus Ægineta.
Petrus de Ebano.
Petrus Gorrea.
Petrus de Tusignano.
Pharmacopea Augustana.
Prosper Burgarutius.

R

RHases.
Rodoricus à Castro.
Rufus.

S

SAnctorius de Sanctorijs.
Scribonius.

T

THadeus Florentinus.
Theofrastus.

V

VAlerius Cordus.
Vlisses Aldrouandus Bononiensis.

INDEX RERVM MEMORABILIVM IN HOC OPERE CONTENTARVM.

Prior numerus paginam, secundus lineam littera verò a, & b primam, & secundam columnam denotant.

A

pro

B

F

L

sunt

L

fiat

FINIS.



Felsina te natum iactat, te Zancla docentem,
Vna ortu, scriptis altera clara tuis.

ANTIDOTARIVM MESSANENSE MEDICAMENTORVM COMPOSITIONES CONTINENS PER COMITEM IO. BAPTISTAM CORTESIVM BONONIENSEM EXARATVM.

DE SYRVPIS IN GENERE.

CAPVT I.

MEDICAMENTA, quæ in Pharmacopolijs omni tempore asseruantur, vt plurimum à Medicis Syrupi sunt appellati: Etenim fiunt ex Herbarum, Radicum, Fructuum, Seminum decoctione, aut Succis, quæ non semper ad manus sunt. Hinc nonnulli putant Syrupos dici ab ὀποῖς, & σύρω, idest succis, & traho; quasi quod sint fucci extracti: Alij verò, quia primum fuerunt ex Syria allati, sed hæc sunt pauci momenti. Iactantur Arabes, & Mauritani se horum Syruporum inuentores fuisse, in Græcorum tamen Monumentis, qui longè illis sunt antiquiores, scriptæ reperiuntur certæ quædam potiones ex melle, ab ipsis Propozimata, seu Propomata appellatę, quasi præuiæ quædam essent potiones purgationibus præeuntes, quod præparandis ad purgationem humoribus exhiberentur.

Syrupus verò, quem & Actuarius appellat Serapion, est medicamentum forma liquidius, ex simplicium succis, vel eorum decocto, vel ex vtrisque cum saccharo, aut melle factum: Horum Syruporum conficiendorum non est succi, aut decocti, sacchari, aut mellis determinata quantitas, sed pro componentis arbitrio; solent tamen Artisperiti pro singulis sex succi, aut decocti libris, sacchari aut mellis addere libras quinque, plus minusuè; nam vbi diuturnitatis custodia Syrupus eget, tunc maiori opus habet ebullitione ideoq; plus sacchari, aut mellis quantitas addenda est: è contra in Syrupis ma-

giſtralibus, qui diu non ſeruantur, nec tanta coctione, nec mellis, aut ſacchari copia opus eſt, ſed pro ſaporis tantum gratia, & conciliatione.

Mel, & ſaccharum, quæ & vt cõdimenta, & vt cibaria quotidiano nobis in vſu ſunt, vires ſuas Syrupis omnibus communicant: quibus ſuccis, aut decoctionibus hæc ipſa admixta fuerint, vires naturales in morbis ſopitas, ac languentes ſæpe erigunt, natiuumque calorem morborum primarium curatorem recreant, in obſtructionibus aperiendis, particularibuſque affectibus alterandis, humoribuſque, bile nempe, pituita, ac melancholia præparandis mirificè conferunt, quam præparationem Medici, ſed impropriè, coctionem appellant.

Eſt præparatio duplex, humoris vna, partium altera; vtraque vel Naturæ, vel Medici beneficio præmeditata; Naturæ quidem dum ſenſim inutiles humores inſiti caloris vi domantur, temperantur, ac ab vtilibus ſeparantur, quibus ita pręparatis, niſi ipſa impediatur, eos quandoq; euacuat: Vbi vero Natura ſuo non fungitur munere, tunc Artis, Medicorumque pręſidio opus habet; vnde Medici ſuis Syrupis humoris acredinem frænando, craſſitiem attenuando, duritiem emolliendo, lentitiem detergendo, ita faciunt, vt corporis partibus humores non amplius adhæreſcant (Naturæ enim opera perficiunt) & etiam ſpontè Natura non operante humores educunt.

Syrupi humores præparantes, alij ſunt mitiores, alij fortiores pro varia humorum differentia, & exigentia: adhuc alij ſunt, qui ex melle, alij ex ſaccharo fiunt; priores magis calefaciunt, incidunt, atq; detergunt, excretioneſq; magis mouent, poſteriores temperatiores ſunt, ſuauiores, ac Naturæ magis amici. Præter mel, & ſaccharum cõſueuerunt aliqui Medici ſapam Syrupis immiſcere, vt in Syrupo de Epithymo apud Meſuẽ, rarò tamen eſt in vſu, & non niſi in affectibus Thoracis.

Rurſus Syruporum, alij ſunt ſimplices, & ſunt illi, qui ex vnius ſimplicis medicamenti decocto, vel ſucco fiunt, alij compoſiti, qui ex variorum decoctione, infuſioneque fiunt; modo illa ſola, modo vtriſq; interuenientibus, ſucciſq; perſępe additis. Sed vbi decoctio parari debet, fiat ex aqua clariſſima, & puriſſima, vt plurimum ex fontana, vel ex flumine, aut ex pluuiali, vel etiam ex optima ciſterna pro Medici varia intentione, tandem aqua omnis qualitatis expers eſſe debet, eiuſque quantitas rebus concoquendis proportionata, vt in particularibus docetur.

Præterea Syrupi alij ſunt, qui purgantes appellantur, eo quod nonnunquam ſimplicia purgantia illis adduntur, eaq; vel liquore percocta, vel antea infuſa, quod in particularibus Syrupis intelligetur.

Syrupi ſolent admiſceri aquis, aut decocto appropriato, quorum ope effectus promptiores, & citius fiunt; obſeruandum etiam eſt, quod in omnibus Syrupis (niſi ipſi cordiales ſint) cardiacum aliquem liquorem immiſcere non ſit inutile, præcipuè in febribus malignis, in quibus Cor maxime affligitur, nam vitalis virtus, quantum fieri poteſt, ſeruanda eſt, quæ à cardiacis recreatur. Quantitas Syruporum, & liquorum ipſis commiſcendorum non vna ſemper, & eadem, ſed varia pro morborum occaſione eſſe debet; nam ſi virtus Syrupi in pęnitioribus partibus eſt deferenda, aqua, quæ tanquam vehiculum Syrupi eſt, copioſior eſſe debet, aliquando enim ad triplam quantitatem, & eo magis, vt in febribus ardẽtibus, ſynochis, & tertianis exquiſitis, & huiuſmodi, præſertim æſtiuo tempore, at è contra vbi in Ventriculo, & Inteſtinis materiam præparare, aut ipſa roborare eſt animus, tunc aquam minuimus, & Syrupi quantitatem augemus; ſolent tamen communiter Medici practicantes aquam miſcere Syrupis in dupla portione, vt accipere Syrupum ad vncias duas, aquam ad quatuor.

Tempus offerendi ipſos Syrupos eſſe ſolet, vt plurimum diluculo, hyeme calidos, æſtate verò frigidos. Et hæc ſunt quæ ſpectant ad Syruporum rectam adminiſtrationem in genere.

***

DE SYRVPIS IN SPECIE.

CAPVT II.

DE SYRVPIS HVMORES Tenues respicientibus.

Syrupus de Succo Acetosæ Mesue.

Recipe succi Acetosæ depurati lib. iij.
Sacchari clarissimi lib. ij.
Coquantur secundum artem.

Febribus biliosis, & pestilentibus saluberrimus, igneum calorem viscerum moderatur, ipsaq; confirmat, & potenter refrigerat.

Syrupus de Acetositate Citri Mesue.

℞. Succi Citriorum acidi lib. xij.
In vase vitreato coque igni prunarum lento ad tertiæ partis consumptionem, cola, & permitte residere donec clarescat, cuius succi clari accipe libras septẽ, ad iustam crassitudinem Iuleb. rof. clari expurgati percoque, & fiat Syrupus.

Aestum, & feruorem bilis flauæ, febriumque ardentium, & pestilentialium mitigat, & sitim extinguit.

Notat hic Vueccherius ex mente Cordi, quod, qui bene voluerit conficere hunc Syrupum, oportet, vt per filtrum, aut pannũ destillare sinat acredinẽ Citriorum sine vlla vi, aut expressione, alioquin coagulatur, cum refrixerit Syrupus.

Syrupus Acetositatis Limonum.

℞. Acetositatis Limonum maturorum per filtrum destillatæ lib. vj.
Sacchari albissimi lib. iij.
Coquantur secundum artem.
Idem præstat quod superior.

Syrupus de Agresta Mesue.

℞. Agrestæ lib. v.
Sacchari clarificati lib. tres & semis.
Coquantur secundum artem.

In magnis æstibus ad sitim extinguendam maxime confert, valet pro Corde, vomitiones sistit, & fluxiones biliosas, estq; contra venena.

Syrupus Acetosus simplex Mesue.

℞. Aquæ fontis lib. iiij.
Cum Sacchari lib. v.
Coquantur in vase fictili, vel lapideo ad dimidium semper despumando carbonibus accensis, aut flamma exigua, & sine fumo: tunc adde aceti albi clari lib. duas: si vis valentissimum lib. quatuor: si mediocre lib. tres, & fiat Syrupus.

Materias calidas frigiditate, tenuitate crassas, ac glutinosas præparat.

Syrupus de Nymphæa simplex Nicolai.

℞. Florum Nymphææ lib. ij.
Macerentur in aqua, & illis post modũ reiectis, ter flores in eadem infusione simili quãtitate imbibantur; Deinde huius colati libris quatuor adde Saccari quantum satis est, aut lib. ij. & semis, & fiat Syrupus.

Bilis flauæ feruorem extinguit; ideoque mirificè ardentibus, alijsque febribus acutis auxiliatur: somnũ quoq; conciliat.

Syrupus Infusionis Rosarum Mesue.

℞. Aquæ, in qua Rosæ sint maceratæ, libras quinque, coquas igni lento cum sacchari clarificati lib. iiij.

Valet ad extinguendam sitim in febribus acutis, & ventriculum roborat.

Syrupus Infusionis Violarum Mesue.

℞. Aquæ, in qua Violæ sint maceratæ, libras

bras quinque, coque igni lento cum
Sacchari clarificati lib. iiij.

Febribus acutis, Iecinoris, & Cordis caloribus, aſperitati Gutturis, morbo laterali, tuſſique aridæ ſuccurrit, aluumque emollit.

Syrupus de Succo Violarum.

℞. Violarum recentium iam iam lectarum quantitatem ſatis magnam, & decerpe ab ijs purpurea foliola, & abijce virides eorum cauliculos, quoniam herbaceam habent acrimoniam, & floridũ colorem hebetant, contunde deinde decerpta Violarum folia in mortario marmoreo, & exprime. mox.

℞. Expreſſi ſucci lib. duas.
Sacchari albi lib. iiij
Saccharum prius clarificetur, & ad iuſtã conſiſtentiam coquatur, amoto deinde ab igne ſaccharo tepefieri ſinito, & ſuccum infundito, & rurſum lento igne ad ſpiſſitudinem coquito, & emicantem in coquendo ſpumam continuo auferto. Quidam ſpumam non auferunt, ne color pereat: ſed citò corrumpitur cum ſpuma repoſitus.

Bilis acrimoniam obtundit, ac ob ſui lentorem Thoracis vitijs eſt aptus.

Syrupus Granatorum dulcium Meſue.

℞. Succi Granatorum dulcium lib. v.
Sacchari albiſſimi lib. iij.
Coquantur ſecundum artem.

Febres bilioſas iuuat.

Syrupus de Succo Endiuiæ ſimplex.

℞. Succi Endiuiæ depurati lib. viij.
Sacchari albiſſimi lib. v. & ſemis
Coque ſecundum artem.

Corroborat, lætitiamque inducit, ad omnes calefactiones Hepatis, & aliorum membrorum nutritiuorũ facit, confertq; bili educendæ ab Hepate.

Oxyſacchara ſimplex Nicolai.

℞. Sacchari albi lib. j.
Succi Malorum Granatorum vnc. viij.
Aceti vnc. iiij.
Coquantur cum facilitate ad formam ſyrupi.

Confert ad febres tertianas duplices ardentes, & eſt efficax.

Syrupus de Lupulis.

℞. Succi Lupuli depurati lib. iiij.
Succi fumiterræ depurati lib. ij.
Sacchari depurati lib. vj.
Coque ſecundum artem, & fac Syrupum.

Refrigerat, & fluxionum impetus lenit, bilemque regio morbo laboranti detrahit.

Syrupus de Cicorea ſimplex.

℞. Succi Cicorei depurati lib. iij.
Sacchari clarificati lib. ij.
Coquantur in Syrupum.

Obſtructiones aperit, intemperiẽ calidam Hepatis, & Renum emendat, bilis acrimoniam frangit, refrigerat, & humectat, ſed minus quam Syrupus de ſucco endiuiæ, magis tamen aperit, & deobſtruit.

Syrupus de Succo Cucurbitæ Meſue.

℞. Cucurbitam magnam maza, ſeu paſta inuolutam clibano coque, eiusque expreſſi ſucci ℞ lib. v.
cum ſacchari lib. iij.
Percoque ſecundum artem.

Notat hic Caleſtanus, expectandum eſſe, quouſque ſuccus refrigeretur, & clareſcat, deinde cum aqua ſufficienti vult agitandum eſſe vnius oui albumẽ, & vbi facta ſit ſpuma, ponendum eſſe ſaccharum, & ſuccum, inde ambo coquãtur, & colentur, & fiat Syrupus. Ioannes Coſteus alio modo putat eſſe faciendum hunc Syrupum, & eſt, vt Cucurbita ex cauetur tota, & indito illi ſaccharo leuiter coquatur, ſeu leuiter coquenda temperato clibano committatur, & collectum liquorem in ea vſurpetur ad affectus, quos Meſue proponit, videlicet.

Febres ardentes, bilioſaſque, Gutturis aſperitates, & pleuritidem emendat. Coſteus tamen diffidit, poſſe opem ferre pleuri-

pleuritidi, etiam si materia sit calidissima, transacto principio. Hoc loci, inquit Costeus, in memoriam mihi ducit melonem indum, anguriæ nomine, agnitum, cui si in superiori parte fiat orificium, & saccharum immittatur, dissoluitur, & anguriæ succo, quo multo afluit, commixtũ potum ad refrigerium, & sedandam sitim opportunissimum præstat auxilium: sunt qui, & ex succo anguriæ parant Syrupum ad eosdem affectus tollendos, & præsertim ad vrinæ ardorem, sitim implacabilem, & calorem vrentem: cauendum tamen, ne pituitosis corporibus, & obesis, & his, qui Ventriculum frigidum habent, concedatur.

Dosis ipsius in febre ardentissima ad sitim extinguendam atque ardorem, concedi potest ab vncia vna, ad vncias tres, cui ad bibendum supra concedãtur aquæ gelidæ vnc. sex, præsertim æstiuo tempore, & ijs, qui aquæ frigidæ sunt assueti.

Syrupus de Succo Scabiosæ.

℞. Succi Scabiosæ purificati lib. j.
Decocti hordei
Adianthi ana quantum sufficit,
Sacchari lib. duas
Prædictis dissolue: hisque infunde pulueris corallorum rubeorum linteo raro ligati drag. iij.
Fiat Syrupus secundum artem.
Tussiculosis, Pleuriticis, Empyematicis, Thoracis abscessu laborantibus succurrit.

Syrupus Capillorum Veneris simplex.

℞. Infusionis Capillorum Veneris recentium ter factæ secundum artem lib. iiij.
Sacchari lib. ij.
Coque & fiat Syrupus.
Ad Thoracis affectus calidos, viscerumque obstructiones valet.

Syrupus de Berberis.

℞. Succi Berberorum lib. iiij.
Sacchari lib. ij. & semis
Coquantur, vt artis est, in consistentiam Syrupi.

Huiusmodi Syrupus de Berberis valde prodest vomitibus biliosis, febribus æstuosis, cardialgiæ, siti vehementi, atque fluxibus ventris immoderatis.

Syrupus de Ribes.

Syrupus de Ribes, eodem modo paratur ac superior, ijsdemque vsibus inseruit.

Syrupus de Cidonÿs.

℞. Succi Cydoniorum acidorum depurati, & clarificati lib. ij. & semis
Sacchari albi lib. i. & semis.
Fiat Syrupus secundum artem.
Quidam succi Cydoniorum lib. x.
Coquunt ad dimidias, deinde biduo residere permittunt, dum clarescant, colato addunt sacchari lib. iij.
In Syrupum percoquunt.
In Pharmacia Augustana de facultatibus huius Syrupi ad hunc modũ scriptum est. Ventriculi vires languidas, & resolutas recreat, nauseam, & vomitum sistit, nutritionis instrumenta roborat, coctricem facultatem iuuat, viscerum omnium vires reficit, lienteriam, & alui profluuium biliosum, aut dysenteriam hepaticam ex humorum acrimonia obortam sedat, cibi appetentiam excitat, eiusque fastidium detrahit, malos succos concoquit, lenit, & expulsioni apparat.

Miva Cydoniorum simplex Mesue.

℞. Succi Cydoniorum medij saporis depurati lib. xij.
Coquantur ad medietatem, & adde
Vini albi veteris lib. v.
Coquantur lento igne, crebro despumãdo, ad tertię partis consumptionem, post quam resederit, cola, & adde
Sacchari lib. iij.
Coquantur ad iustam consistentiam.
Aduersus alui profluuia biliosa, Ventriculum, & cætera viscera firmat, & vomitum reprimit.

Syrupus de Rosis siccis Mesue.

℞. Aquæ infusionis rosarum siccarum,

Sac-

Sacchari albi ana lib. v.
Fiat Syrupus secundum artem.
Valet ad alui profluuia ex humore bilioso, & Ventriculum roborat.

Syrupus de Succo Mirtillorum simplex Mesue.

℞. Succi Mirtillorum depurati lib. viij.
Sacchari clarificati lib. iiij.
Coquantur secundum artem.
Ventriculum, & viscera roborat, ob id fluorem alui antiquatum sistit, & tussim mitigat.

Syrupus de Infusione Florum Mali Punici.

℞. Infusionis Florum Mali punici lib. v.
Fiat infusio sicut fit ex folijs Rosarum.
Mellis optimi lib. ij.
Sacchari lib. j.
Misce, & fiat Syrupus secundum artem.
Fluxus mẽstruorum immodicos sistit, stomachum roborat, & Gonorrheæ medetur. Datur ab vncia vna ad duas.

Syrupus de Portulaca Mesue.

℞. Succi endiuiæ cocti, & depurati lib. iiij.
Seminis portulacæ lib. i.
Teratur semen, & fundatur super ipsum succus, & dimittatur in vase lapideo per diem & noctem, & coquatur cum facilitate vsque ad dimidium, & additis Sacchari lib. ij. fiat Syrupus: & quandoque additur ei Aceti lib. j. aut Succi Malorũ Granatorum acetosorum lib. j. & semis.
Valenter refrigerat, sitim in febribus extinguit, ardorem Ventriculi, & calidã Hepatis intemperiem corrigit, & sistit Sanguinem.

Syrupus de Papauere simplex Mesue.

℞. Capitum Papaueris albi recentis,
Capitum Papaueris nigri recentis ana drag. Lx.
Aquæ pluuialis lib. iiij.
Coquantur vsquequo remaneat lib. j. & semis, colaturæ adde
Sacchari,
Pœnidiarum ana vnc vj.
Et fiat Syrupus secundum artem.
Valet ad Catarrhum, tussim, vomitum Sanguinis, & vigiliam.

Syrupus Acetosus compositus Mesue.

℞. Rad. Fœniculi,
Apij,
Endiuiæ ana vnc. iij.
Seminis Anisi,
Fœniculi,
Apij ana vnc. j.
Endiuiæ vnc. semis.
Coquantur lento igne in libris decem aquæ ad dimidium: adde colaturæ,
Sacchari optimi lib. iij.
Aceti acerrimi lib. ij.
Coquantur ad Syrupi consistentiam.
Obstructiones viscerum leuat, humorum crassitiem tenuat, & purgat, vrinas promouet, febres compositas, & nothas sedat, Ventriculum bile, & pituita crassa refertum alleuat, Renum, Iecoris, & Lienis infarctus penetrat.

Syrupus de Nymphæa compositus Francisci Pedemontani in cap. de intemperie calida Iecoris.

℞. Florum Nenupharis albi vnc. ij.
Nenupharis citrini,
Seminis Psilij integri,
Acetosæ ana vnc. j.
Quatuor seminum frigidorum minorum ana drag. ij.
Quatuor seminum frigidorum maiorum ana vnc. semis.
Rad. Fœniculi vnc. j.
Bulliant in sufficienti quantitate aquæ hordei, colato adde
Sacchari lib. j.
Aceti albi
Succi Granatorum acidorum, ana vnc. ij.
Et fiat Syrupus, qui aromatizetur cum infrascriptis, videlicet,
Santalorum citrinorum,
Spicæ Nardi ana drag. vnam & semis.
Bilis flauæ feruorem extinguit, vt simplex, sed efficacius.

Syrupus.

Syrupus de Epatica seu Lichenis.

℞. Lichenis,
Lentis palustris,
Florum Cucurbitæ ana manip. j.
Violarum,
Rosarum ana vnc. j.
Schenantos drag. j.
Sacchari albi lib. j.
Irrorentur cum vini granatorum vnc. iiij. & cum Succo Epaticæ quantum sufficit fiat Syrupus, qui aromatizetur cum Santal.
Antispodij ana drag. j.
Idē pollet quod Syrupus de Nenuphare.

In hoc syrupo animaduertendum est, melius esse eo carere, quàm ipsum compositum seruare, cùm præsertim in eo scriptum sit ad aromatizandum syrupum esse opus vti antispodio, quod medicamentum ignotum est. Apud Græcos spodium nihil aliud significat, nisi medicamentum metallicum, à Galenoque dicitur Pompholix, & Tutia, & etiam Cadmia, tale medicamentum ineptum prorsus est, vt misceatur medicamentis intus assumendis, neq; illud Spodiū, cuius meminit Auicennas, factum ex radicum arundinum cineribus valet, quia neque cineres vidētur aptæ huic aromatizandi officio ex quacunque materia fiant, vt discurrenti apparet; neque audiendi sunt illi, qui affirmant loco antispodij esse accipiendum Auorium, aut Amylum, quia nec Auorium, quod dens Elephantis est, nec Amylum naturam aromatum redolent: nec minus potest loco Antispodij Arabum substitui tabaxir, quia tabaxir, vt Ingarsias ab horto scribit lib 1. c. 12. nihil aliud est, nisi lacteus humor, & succus dulcis, à Barbaris Saccar mambu dictus, qui omnino ineptus est ad aromatizandum, id quod fusius scriptum est à Ioanne Renodeo lib. 2. de materia medica, cap. 11. Loco igitur spodij, vel antispodij duplicari potest dosis Santalorum rubeorum, vel alborum. Succedit, quod scribitur ab Authore ipsius, idem præstare, atque faciat syrupus de Nimphea, & paucissimi Authores ipsum describunt; nam apud Calestanum, Luminare maius, & Bononiense Antidotarium describitur, in alijs verò non reperio; quamuis Collegium Bononiense, quod composuit huiuscemodi Antidotarium, sit maximæ apud me authoritatis.

Syrupus de Succo Endiuiæ compositus Gentilis.

℞. Succi Endiuiæ,
Epaticæ ana lib. iij.
Clarificentur ad ignem, vt expedit, & addantur
Rosarum,
Violarum,
Lentis palustris,
Foliorum Nenupharis,
Politrici ana vnc. vnam, & semis.
Capilli Veneris,
Hordei Mundi ana vnc. semis.
Seminum communium maiorum frigidorum vnc. j.
Fiat syrupus cum saccharo quantum sufficit secundum artem, & aromatizetur cum sequentibus, videlicet,
Santalorum alborum,
Rubeorum,
Berberorum,
Seminum Citriorum,
Ligni Aloes,
Corticum Citri ana scrup. j.
Cinamomi scrup. ij.
Seruetur vsui, & potest confici cum aromatibus, & sine aromatibus.
Præstat idem, quod simplex, sed valētius.

In syrupo de succo Endiuiæ videntur non satis rectè appositi berberi ad syrupum aromatizandum, quia neque ipsi aliquam aromatum qualitatem habent, nam berberi nihil aliud sunt, quam crespini vocati, qui facultatem habent refrigerandi, & exsiccandi, etiamsi aliqua facultate incisiua polleant, non tamen aromatum vires possident, adsunt præterea santali, rubeus nempe, & albus, semina citriorum, lignum aloes, cortices citri, & cinnamomum, quæ omnia possunt aromatizare syrupum absq; berberibus.

Oxysaccbara compositum Nicolai Præpositi.

℞. Capillorum Veneris,
Linguæ ceruinæ,

Sco-

Scolopendriæ,
Polytrici,
Hepaticæ,
Violarum,
Radicum Fœniculi,
Rusci,
Asparagi,
Graminis ana lib. j.
Confice hoc modo: in succo malorum Granatorum herbas, radices per tres dies macerato, quarto die parum bullire finito, cum forti expressione percolato, postremo addito saccharo quantum sufficit, ad iustam crassitiem coquito.

Addit Ioannes Renodeus aliud Oxysaccharum, seu Syrupum acetosum simplicem ex Nicolao Mirepsio, cuius vsum maximè probat, qui ad hunc modum scribitur, vt etiam superius.

℞. Aceti vnc. iiij.
Succi Granatorum acidorum vnc. viij.
Sacchari lib. j.
Subiungit, quod vbi adsunt isti duo Syrupi acetosi simplices, non sit opus composito, etiamsi descriptio ipsius detur à Nicolao Præposito, cum raro, vel potius nullo sit in vsu: Cum tamen putemus nos huiusmodi Oxysacchara compositum non esse ita prætermittendum; nam præterquam quod diuersos habet vsus à simplicibus: incidit humores crassos, mouet, & impellit firmiter inhærentes, calidos temperat, æstum Ventriculi, & Hepatis refrigerat, & humorum corruptelam emendat: At huiusmodi Oxysacchara simplicia conueniunt magis his, qui vermes siue in intestinis, seu in venis coaceruant, vt ipsemet testatur Renodeus, quā vsibus prædictis, cum debilius illos præstent composito: Iure id perscribendum putauimus.

Syrupus de Cicorea compositus Nicolai Florentini Sermone v. cap. de oppilationibus Hepatis.

℞. Endiuiæ domesticæ,
Siluestris,
Cicorei hortensis,
Cicorei siluestris ana manip. ij.
Cicerbitæ,
Hepaticæ,
Lactucæ domesticæ,
Scariolæ,
Fumiterræ,
Lupulorum ana manip. j.
Hordei integri,
Halicacabi ana vnc. ij.
Liquiritiæ,
Asplenij, idest Cetrach,
Cuscutæ,
Politrici,
Capillorū Veneris vtriusq; ana drag. vj.
Radicum fœniculi,
Apij,
Asparagi ana vnc. duas.
Coque in sufficienti aqua, cola cum saccharo clarificato, & rursus colatum percoque in Syrupum; confricando in eius libris singulis
Rhabarb. electi pāno raro ligati drag. iiij.
Cum Spicæ Nardi scrup. iiij.

Confert maximè Ictero laborantibus, Iecoris intemperiem calidam, & obstructionem tollit, Spleniticis, Melancolicis, Chachexia affectis, & Nefriticis, peculiariter Epilepticis, & maxime prodest Pueris.

Syrupus Capillorum Veneris compositus.

℞. Capillorum Veneris vnc. v.
Liquiritiæ rasæ vnc. ij.
Maceretur in aqua horis vigintiquatuor; deinde coque ad dimidij consumptionem, colaturæ adde
Sacchari clarificati,
Pęnidiarum,
Aquæ Capillorum Veneris ana vnc. viij.
Coque, & fiat Syrupus secundum artem.

Valet ad Thoracis affectus calidos, & viscerum obstructionem, pro inde initio Pleuritidis cum materia calida cōuenit.

Syrupus Mirtinus Compositus.

℞. Mirtillorum drag. xx.
Santali albi,
Santali rubei,
Summachiorum,
Balaustiorum,
Berberorum ana drag. xv.
Mespillorum drag. xxxxx.
Aquæ fontis lib. viij.

Co-

Coquantur ad consumptionem medietatis, colato adijciantur
Succi Granatorum,
Succi Cydoniorum ana vnc. vj.
Sacchari clarificati lib. iij.
Et fiat syrupus secundum artem.

Sistit ventris fluorem etiam diuturnũ, & sanguinis excreationem compescit.

Syrupus de Papauere Compositus Mesuæ.

℞. Capitum Papaueris albi,
Nigri ana drag. xxxxx.
Capilli veneris drag. xv.
Glycyrrhizæ drag. v.
Iuiubarum numero triginta
Seminum lactucæ drag. xxxx.
Seminum maluæ,
Cydoniorum ana drag. vj.
Coque in lib. iiij. aquæ ad dimidias, colato adde
Sacchari,
Pœnidiorum ana vnc. viij.
Et in syrupum coque secundum artem.

Valet ad catarrhum calidum, acrem, tenuem in Pulmones ruentem, cumque prohibet incrassando, lenit asperam arteriam, & somnum conciliat.

Syrupus de Plantagine Arnaldi de Villanoua.

℞. Succi Plantaginis depurati vnc. iiij.
Aquæ rosarum lib. j.
Spodij,
Nucis cupressi,
Balaustiorum,
Sumach.
Sanguinis Drag.
Gummi Arab.
Mastichis,
Thuris,
Gallarum,
Hypocistidis,
Rasuræ eboris,
Lapidis hæmatitis ana drag. ij.
Terantur omnia, & in prædicto succo, & aqua ros. vsque ad medietatem coquantur; & addita sufficienti quantitate sacchari fiat syrupus.

Præstat idem quod Mirtinus.

In omnibus ferè medicamentorum cōpositionibus Arabũ, & eorum, qui Arabes sequuntur, reperitur spodiũ vbi refrigerandum, & adstringendum veniat, vt in hoc Arnaldi de Villanoua syrupo, imo verò apud Mesuem, præter alias cōpositiones, reperitur trociscus de spodio: & certè mirum est, quo modo viri docti tam turpè cecutiuerint, afferentes medicamentum ignotum, & potius imaginarium: vnde Ioannes Renodeus lib. 2. de mat. med. cap. 11. de spodio loquens, inquit, nihil tam frequenter inculcatur in Pharmacopolijs, vel potius auditur, nihilq, minus intelligitur, quam spodium, quod omnes, quotquot nouerim, Pharmacopei, duplex constituunt, vnum Græcorum, & Arabum aliud, atq; vtrumq; vt idem nomine, sic re, & natura longè diuersum, hæc Renodeus: sed iã supra dictum est, spodium vnicum esse, & Græcorũ illudq; appellari pompholigem; Auicennę verò, & reliquorum Arabum spodium (si quod sit,) ex materia fit multum à spodio Græcorum dissimili, nam dicunt fieri ex cãnę radicibus vstis, quę verò sint huiusmodi cannę, non constat inter ipsos, cum Auicennas lib. 2. cap. 27. scribat esse radices, & in imargine declaratur, istas radices esse tabaxir, at in interpretatione vocum arabicarum Andreæ Bellunensis scriptum est, spodium fieri ex radicibus quarumdam arborũ subtilium combustis, quę appellantur Alchanna, seu Alcona, ita vt spodium fiat ex radicibus harum arborum combustis; vnde circa materiam ex qua fit spodium, non conueniunt simpliciter Arabes; cum Alij dicãt fieri ex tabaxir, alij ex alchãna differuntq; in modo combustionis harum radicum, nam Auicennas scribit radices suarum cannarum aduri, quando summitates ipsarum fricantur adinuicem, eo tempore, quo vētus perflat, easq; mouet; est aut adurendi modus hic prodigiosus admodum, nec minus admirabilis, ac est istud suum spodium; alchannę verò radix igne aduritur, & in cinerem conuertitur, ipsiusq; cinis est spodium, quod sane spodium videtur potius esse de secundis intentionibus, & in Arabum mente tantũmodo consistens; & dato etiam per fiduciariam reprobationem, quod huiusmodi spo-

diaspodium sit reale medicamentum, nullus ex Auctoribus, est de hac materia tractantibus, qui scribat, ad nos hactenus translatum fuisse, proinde non possumus in medicamentorum compositionibus illud inserere, quamuis Ingarzias ab horto hunc errorem adscribat Gerardo Cremonensi, qui hanc vocem, tabaxir, interpretatus est, spodium, & falso, & Io: Renodeus, inquit, non satis admirari possum nimiam Auicennę in scribendo simplicitatem, vel hominis credulitatē, qui radicibus vstis tantam virtutem, & tam eximias dotes tribuerit. Quare nimis oscitantes, & sine aliqua consideratione illi sunt, qui loco spodij ebur vstum substituunt, spodiumq; apertè nominant, cū potius dicendum esset antispodium, quēadmodum illud est, quod fit ex frondibus ficulneis, myrteis, & rebus alijs concrematis, de quibus plura scribit Dioscorides, vt supra dictum fuit; nam quemadmodum ebur crudum natura, & viribus multū distat à cannis crudis, sic & ebur vstū à cānis vstis maximè differt, & crudū ebur longe prestantius est se ipso adusto; cum igitur spodium arabicum nō habeatur, nec si haberetur, viribus ab Auicēna enumeratis esset insignitū, neq; analogū datur illi substituendū, ex remediorū formulis expungendum esse rectè censet idem Renodeus, etenim re; vnicum est spodiū & Grecorum, quod per os nec solet, nec debet assumi vt supra dictum à nobis fuit; nec scire possumus, quid pro spodio Mesuæ, aut alij ipsum sectantes intellexerint, cum eorum intentio sit, ea medicamenta, in quibus ipsum ponunt, habere facultatem refrigerandi, exiccandi, atq; adstringēdi, quare nullum reperiri posse puto, magis idoneum, quam sint rosarum folia viridia, vel vt appellant, rosarum nodi, quos, *bottone di Rose*, dicunt: nisi velimus dicere spodiū illud esse, quod Castor Durans in suo herbario pingere curauit inter simplicia, quæ adduxit sine historia, quod tamen non probo, cum nō adducat vbi nascatur, neq; ipsius qualitates: Ab hoc igitur syrupo auferēdū est spodiū, & substituendę sūt Rosę; nec satis admiror eos, qui scribunt in suis Antidotarijs, idem prestare hūc syrupum, ac faciat syrupus Myrtinus, cum diuersas habeat ab ipso facultates, vt discurrēti, & vtrumque cōsideranti apparere facile poterit.

Syrupus de Mucilaginibus.

℞. Sem. Altheæ,
Maluarum,
Cydoniorum ana vnc. j.
Dragacanthi drag. iij.
Infundantur in aqua tepida decoctionis
Maluarum,
Seminis papaueris albi,
Granorum alchachengi ana q. s.
Deinde fiat expressio omnium, ex quibus mucilaginibus, & decocto prædicto, quātum sufficit, cum saccharo albissimo conficiatur syrupus bene coctus.

Ardorem vrinæ mirabiliter iuuat, si cum prædicti decocti vncijs quatuor, binæ vnciæ singulo mane exhibeantur.

Non conseruatur vltra sex menses.

Syrupus de Pilosella seu Aeluropo simplex.

℞. Summitatum floridorum, & recentium
Aeluropi lib. j.
Infunde per noctem, aut diem integrum in aquæ calentis lib. v.
aut sufficienti quantitate; deinde bulliant lento igne, in colatura ad lib. iiij. adde
Sacchari lib. iij.
Coquantur ex arte in syrupum.

Ioannes Renodeus huiusmodi syrupum varijs nominibus appellat, eo quod Pilosella, quę est eius basis, plura habet nomina, nam & Hyspidula, & Gnaphaneum, & Coronaria, & Aeluropus, vulgo de pede cati, & à quibusdam Lagopus, hoc est pes leporis (qui trifolij quædam species est) etiam dicitur.

Huiusmodi syrupus simplex est, & facilis præparationis; etenim Alij tantum plātę summitates, aut solam ipsius lanuginem in aqua macerant: Alij flosculos, & folia. Alij demum sunt, qui in decocto adijciūt glycyrrhizam, iuiubas, passulas, hordeum, & alia bechicha; verum magis probatur hæc vltima descriptio tanquam vsitatior, cui si dimidia libra sacchari rosacei permisceatur, aut eius par pœnidiorum pondus, qualitatem assequetur magis bechicham, cardiacam, & saporem gratiorem habebit.

Vis

Vis & facultas huius Syrupi ingens ad multos pulmonis affectus cognoscitur, & ratio est, inquit Renodeus, quia Aeluropus, seu Hyspidula planta est vulneraria, adstrictoriæ facultatis, non modo illorum vitia sanat, sed maxime his conuenit, quibus pulmones pituitoso humore multo infarcti sunt: nam humoris irruentis impetum cohibet, fluxum concoquit, partem affectam roborat, & expectorationem mouet.

Syrupus de Pilosella Compositus descriptis in Antidotario Bononiensi inter medicamenta selecta.

℞. Pilosellæ manip. iij.
Radicum Alchimillæ, siue
Stellareæ manip. vnum, & semis.
Rubiæ,
Dictami albi,
Tormentillę,
Bistortę ana manip. j. & semis.
Pirolę,
Caudę Equinę,
Hederæ terrestris,
Plantaginis,
Ophioglossi,
Fragarię,
Florum, & frondium hypericonis,
Consolidæ maioris, minoris,
Et Regalis,
Virgæ aureæ,
Agremones,
Bettonicæ,
Pimpinellæ,
Gariophillatæ,
Tormentillæ,
Caulium rubrorum,
Quinque folij maioris,
Florum maligranati,
Rosarum rubearum ana manip. j.
Misce, & fiat decoctio in sufficienti quãtitate aquæ plantaginis, è lambico vitreo excerptæ vsque ad consumptionem medietatis aquæ: deinde fiat fortis expressio, coletur, & clarificetur, clarificato adiungitur
Mucaginis Gummi tracaganthi,
Seminis psilij,
Altheæ,
Cytoniorum ana vnc. iij.
Et pro singula libra decocti adde
Sacchari optimi, & albissimi vnc. vj.
Deinde coquatur donec consistentiam quandam accipiat, electuario molli, & fluido ferè similem.

Sputo sanguinis medetur, internisque vlceribus, Disętericis succurrit, fluxibus immodicis Mulierum, & Gonorrheæ.

Datur per duas horas ante cibum bis in die, dosis à drag. duabus ad quatuor.

Viget per menses decem, & octo.

Syrupus de Testudinibus.

℞. Testudines nemorales tres ætatis mediæ viuentes, & limaces num. centum, laua aqua subferuenti, deinde coque in aqua fontis ad separationem tabularum, quibus abiectis, mundato carnes à sordibus, contere in mortario diligenter, ac iterum in noua aqua fontis cum infrascriptis coque.

℞. Succi Glycyrrhizæ,
Tracaganthæ,
Sem. Papaueris albi,
Lactucæ,
Portulacæ,
Maluarum,
Cucurbitæ,
Cucumeris,
Melonis,
Anguriæ,
Cydoniorum,
Gosipij ana drag. vj.
Passularum dulcium enucleatarum,
Sebesten,
Iuiubarum,
Oxiacanthæ ana vnc. semis.
Rosarum drag. vj.
Violarum,
Hordei,
Adianthi,
Florum Borraginis,
Buglossæ,
Bulliãt ad consumptionem tertię partis, postea cola, & cũ sacchari lib. iiij. fiat Syrupus Phthisicis Hecticis, Empycis, & diuturno morbo extenuatis, Tussiculosisque succurrit.

Multæ reperiuntur descriptiones huius syrupi de testudinibus quæ omnes (ni fallor) à Nicolao Florentino Serm. 2

tract. 2. fum. 3. cap. 11. de cura febris hecticæ ſumptæ ſunt, in quibus deſcriptionibus reperiuntur teſtudines quidem, ſed non cochleæ: Guainerius ipſum deſcripſit ad verbum à Nicolao, quemadmodum, & Puluerinus, Antidotarium Bononiēſe eādem quoque deſcripſit, ſed addit limaces, & antiſpodium, auctores iam citati non antiſpodio, ſed ſpodio vtuntur, at deſcriptio Caleſtani continet teſtudines, & cochleas, verū caret & ſpodio, & antiſpodio, & quidem nō iniuria, cum, vt ſupra dictum eſt, medicamentum incognitum ſit, & potius imaginarium; quare etſi non laudem aliquam ex prędictis deſcriptionibus, nihilominus opinionem Caleſtani magis probo, quod noluerit mentionem habere huius incogniti medicamenti.

Quamuis, ſi verum fateri debet, magis placet Alex. Maſſariæ opinio vbi lib. 5. de feb. cap. 23. qui loquens de huiuſmodi materia, nempe de teſtudinibus, cancris, limacibus, eorum vſum in febribus hecticis, & phthiſicis deteſtatur, ſiue tanquam alimentis, ſiue medicamentis ijs vtamur, hæc ſunt ipſius verba. Etenim ſi Galeno, cæteriſq; probatis auctoribus credimus, neceſſe eſt nos fateri, huiuſmodi medicamenta difficillime concoqui, craſſum, terreſtrem melancholicum, ac peſſimum ſuccum generare, nec nō quam plurimis excrementis ſcatere, quæ quidem, nemo non videt, laborantibus febre hectica, non ſolum non conuenire, ſed etiam quā maxime aduerſari. Addo ego Galenum, lib. 2. de comp. med. appellaſſe teſtudinem paluſtrem lutariam, quaſi quod in luto ſemper viuat; deinde Galenus in iſtis libris de comp. medicam. per loc. & per genera vtitur huiuſmodi pręſidio pro capitis dolore ex Archigenis ſententia in acopis: Ad hęc Io: Renodeus lib. j. cap. 9. de Syrupo reſumptiuo ſcriptum reliquit, omnes in Syrupis reſumptiuis præparandis expetere nemorales teſtudines, quæ ſi dentur, deteriores eſſe iudicat, non ſecus atque inter ranas rubetę, quod ſuccum habeant acriorem, feruidiorem, & minus alibilem, & habitui reſarciendo ineptiorem, ſi tamen debent in hoc Syrupo faciendo aſſumi teſtudines, inquit, vulgares ſalubriores eſſe, vt quæ partim in terra, partim in aqua victitent, amphibiorū more, quia docente Rondoletio lib. de Amphibijs cap. 2. nō poſſunt teſtudines perpetuo carere aqua, vnde per nemorales terreſtres, non quæ in loco cœnoſo, & paluſtri degunt, ſed, quæ partim in aqua limpida partim in terra ſicca victitant, accipiendę veniūt: proinde ipſemet Renodeus teſtudinum carnes, in ſuo ſyrupo cōficiendo, vncias tantū quatuor apponit. Inſuper de limacum, aut cochlearum facultatibus, & natura multa Dioſcorides, Galenus, Oribaſius, Aetius, & Paulus ſcripſerunt, quod tamen hecticis, aut phthiſicis occurrant, minimè dixerunt, immo verò Gal. lib. 3. de alim. facul. cap. 3. ſcriptum reliquit, eorum ſuccum abſtergentem facultatem habere, ijſque propterea morbis, qui abſterſione egent, illum conuenire hinc colligitur, quod idē ex Paulo lib. 1. de re medica, cap. 91. ꝗ omnibus teſtaceis, veluti cochleis terreſtribus, pręter abſterſionē ſuccū ineſſe dixit, qui ventrē ſubducat, & eiuſdem ſententiæ fuerunt Oribaſius lib. 4. Collec. med. cap. 1. & Aetius Tetrabibli 1. ſerm. 2. cap. 183. At qui medicamenta, quæ conueniunt hecticis, debent eſſe ſubſtantiæ talis, vt nutrire poſſint, & vires reficiant, limacum autem caro concoctu difficilis eſt, quod apparet ex eodem Galeno lib. 3. de alim. facult. cap. ſuperius citato: tandem dicimus minus tutam limacum carnem eſſe hecticis, & tabidis, minoremque mereri fidem, quia nec Dioſcorides, nec Galenus, nec ex antiquioribus Medicis aliquis, qui cochlearū facultates exquiſierunt, hoc auxilij genere vſi fuerunt; quare concludo cum Io. Baptiſta Siluatico lib. controuerſ. controuerſ. 61. nec cochlearū carnes tabidis, & phthiſicis conuenire, & multo minus aſthmaticis; nā in morbis contumacibus, & periculoſis, certis, tutis, & manifeſtis medicamentis vti conuenit: tandem nullo argumento perſuaderi poſſum, vt credam, hāc cochlearum facultatem his latere potuiſſe, qui in perſcrutandis cuiuſque medicamenti facultatibus non modo diligentiores, ſed omni admiratione digni fuerunt; ego

tamē nolim existimari me talē esse, vt ijs tantūmodo credam, quæ Galenus, & alij Antiqui scripserunt, eaq; tantū insequenda esse putem, cum sciam recentiores plerosq; magno hominum cōmodo, artisque splendore multa, & optima inuenisse; sed hæc dicere volui, quia puto nō esse vndequaq; tutas cochleas, imò sum huius sententiæ, vt existimem, limaces, testudines, & alia id genus non conuenire Hecticis, & Phthisicis, & proinde non esse admiscenda medicamentis, quæ in Antidotarijs prædictis pro Hecticis, & Phthisicis describuntur. Adhæc illi, qui optant in suis compositionibus testudines, non omnes conueniunt in dosi ipsarum testudinum, neque in modo præparandi; in dosi quidem, quia alij accipiunt tres, alij quatuor testudines, & alij carnis præparatæ assumunt tantum quatuor vncias; neque in modo præparandi, cum alij dicant esse coquendas cum sua testa, quousque separentur, alij volunt esse separandas carnes à sua testa, id est à suo tegumento, deinde coquendas: alij verò dicunt esse accipiendam carnem ipsarū perfectè coctam, vt Renodeus in suo syrupo analeptico infra descripto.

Modus verò præparandi est, vt testudini primum abscindas collum, caudam, & artus, ferroque idoneo testa diuidatur, ac separetur, vt caro tota habeatur, quæ ab omni sorde repurgata, & frustatim incisa sit, deinde in aqua coquatur simul cum simplicibus enumeratis, idque eo ordine, vt citius quæ cocturam longiorem postulant, serius quæ leuiorem, admisceantur; sicque melius est omnia simul concoquere, quàm seorsum simplicia, deinde testudinum carnem, vel hanc primum, dein illa, vt quibusdam placere video, colaturæ addatur saccharum vtrumque cum pęnidijs. Quare si admittendus est aliquis syrupus, ex prædictis magis laudarē, quē describit Renodeus.

Syrupus de testudinibus seu resumptiuus Ioannis Renodei.

℞. Carnis testudinum vnc. iiij.
Hordei mundati vnc. ij.
Carnis dactylorum vnc. j.
Passularum Damasc,
Glycyrrhizæ rasæ ana vnc. vj.
Sebesten,
Iuiubarum ana num. xij.
Seminum Bombacis,
Melonum,
Cucumeris,
Citruli ana vnciam semis.
Seminum Lactucæ,
Papaueris albi ana drag. ij.
Vngulæ cabalinæ,
Pulmonariæ ana manip. j.
Florum violarum,
Nenupharis ana vnciam semis.
Fiat decoctio vt decet, in colatura clarificata ad libras quatuor adde
Sacchari albissimi
Sacchari rosati, lib. ij.
Diatragacanthi frigidi ana lib. semis.
Fiat Syrupus perfectè coctus.

Syrupus iste resūptiuus his confert, qui à morbo chronico resurgunt, macie confectis, Tabidis, Phthisicis, & his, qui praua quadam Pulmonum diathesi laborant.

DE SYRVPIS HVMORES crassos præparantibus.

Syrupus de Betonica simplex.

℞. Succi Betonicæ depurati lib. iij.
Sacchari clarificati lib. vnam, & semis.
Fiat Syrupus, vt artis est.
Cum succus desideratur, fiat ex infusione foliorum Betonicæ. Adijciuntur quandoque aromata, & fit Syrupus de Betonica compositus, de quo infra.

Ad Capitis, & Vteri vitia confert, menses mouet, & simplici potius vtimur, quàm composito, estque magis in vsu. Ferunt, quod vbi serpentes in circulo frondiū Betonicæ positi fuerint, non amplius exire possūt, sed inter se se occidūt.

Syrupus de Pœonia Antepilepticus Ioannis Baptistæ Cortesij.

℞. Radicis recentis vtriusque Pœoniæ, tam maris, quàm fœminæ in taleolas diuisæ, sed prius in vino albo odorifero per viginti quatuor horas infusæ ana vn. j. & semis.
Vnguis Alcis, seu Magnæ bestiæ vnc. j.

Radicis contraherbæ vnciam semis.
Betonicæ,
Stœchadis,
Hyssopi,
Origani,
Inuæ,
Rutæ ana drag. iij.
Ligni Aloes,
Sileris montani,
Garyophylorum,
Radicis fœniculi,
Cardamomi ana drag. ij.
Gingiberis,
Spicæ ana drag. j.
Roris marini manip. j.
Nucis moschatæ drag. duas, & semis.

Infundantur omnia in aqua Pœoniæ lambicatæ quod sufficit, bulliant, & colentur secundum artem, colato adde sacchari quantum sufficit fiat syrupus (radix verò sit in die plenilunij extracta)

Dosis ipsius ad vncias duas.

Durat per annum.

Confert in primis Epilepticis, Vertiginosis, & ijs, qui nocturnas pollutiones patiuntur.

Posui in hoc syrupo vnguem animalis prædicti, quod sæpissimè obseruauerim ipsum contulisse Epilepticis, & Vertiginosis, augetque facultatem basis huius medicamenti, quæ est radix Pœoniæ, alia verò, quæ calidæ, & siccæ sunt facultatis adiuuant basim, tũ quia sunt vehicula, tum etiam, quia, cùm hæc radix sit recens, illi opem ferunt humiditatem aliqua ex parte absumentia.

Multa sunt in illo syrupo, de Pœonia Mesuę, adscripto, quæ huius syrupi descriptionem confundunt, & obscurum reddunt; hinc admiror Collegium Bononiẽse, quod ipsũ ad verbũ transcripsit, & sicco pede hanc cõpositionẽ prętererit, quia in primis circa Pœoniã, quæ est huius syrupi basis, scribit ℞. Pœoniæ, & ipsius succi confusè: nam cum duplex apud Dioscoridem reperiatur species, & differẽtia Pœonię, mas nẽpè, atque fœmina, & apud alios describitur altera, & tertia differentia, non declarat, quę nã accipiẽda veniat, mas, an fęmina an vtraq; deinde cùm in Pœonia reperiatur radix, & tota planta cum suis folijs, floribus, & seminibus, non declarat cuiusnam partis succus accipiendus sit, radicis, vel plantæ, aut foliorum, vel florum aut totius, quia cùm huiusmodi syrupus sit compositus in gratiam Epilepsiæ, nulla pars est, quę facultatem habeat auferendi Epilepsiam, excepta radice; nam Dioscoride Auctore Pœonia facultatem habet calefaciendi, crassosque humores attenuandi, de facultate autem aduersa Epilepsię ne verbum quidem habet: Galenus verò lib. 6. de simplic. medicam. facultatibus & lib. de puero Epileptico, radicem, prætér has, scribit habere facultatẽ etiã expellendi Epilepsiam: quare si succus eligendus est in hunc vsum, vt tollatur Epilepsia, erat opus dicere ipsum succum extrahendum esse à radice ipsius Pœonię recentis, cum idemmet Galenus loquatur, de radidice recenti, qua vtebatur tanquam amuleto in illo suo puero, quem ab Epilepsia liberauit. Facultas autem Antepileptica non est in alijs huius plantę partibus, sed tantum in radice, igitur succus extrahendus est ex ipsa radice recenti: quare non placet syrupus Antepilepticus Quercitani, in quo vult accipiendã esse radicẽ Pœoniæ siccam; deinde basim medicamenti adiuuantia sunt multa, & in maiori copia quã par sit: cęterum Pharmacopeus, qui hunc syrupum compositurus est, non habet determinatam quantitatem decoctionis, neque oximellitis squilitici, quod hanc compositionem ingreditur, ita vt mirum non sit, si quando ordinatur à Medicis, nihil certi videtur de operatione ipsius, quia vnusquisque pro arbitrio ipsum componit.

Syrupus ex succo Saluiæ.

℞. Succi Saluię purificati lib. iiij.
Sacchari boni lib. iij.
Misce, & fiat syrupus.

Valet morbo frigido Capitis, Paralisi, Vterique affectibus, vrinę, ac mensium suppressioni. Fuit Saluia ab Agrippa appellata herba santa.

Syrupus de Stœchade simplex.

℞. Florum Stœchadis drag. xxx.
Thimi,
Calaminthę,
Origani ana drag. x.
Anisi drag. vij.
Passularum enucleatarum vnc. iiij.
Aquę quantum sufficit,
Coquantur secundũ artem, colato adde
Mellis optimi lib. quatuor, & semis.
Condiatur cum
Cinnamomi,
Calami aromatici,
Gingiberis ana drag. vna, & semis.
Ligentur in sindone, & in syrupo suspendantur.

Iuuat omnes affectus Cerebri frigidos, & neruorum, vt Paralysim, Epilepsiam, Conuulsionẽ, Spasmum cynicum, & Tremorem, destillationibus frigidis à Capite ad Thoracem confert.

Syrupus de Hyssopo Mesuæ.

℞. Hyssopi aridi, ℥
Rad. apij,
Fœniculi,
Rad. Petroselini,
Glycyrrhizæ ana drag. x.
Hordei mundi vnc. iij.
Seminum Maluæ,
Seminum Cytoniorum,
Dragacanthæ ana drag. iij.
Capilli veneris drag. vj.
Iuiubarum,
Sebesten ana num. xxx.
Passularum enucleatarũ vnc. j. & semis
Ficuum siccarum,
Dactylorum pinguium ana num. x.
Pœnidiorum alborum lib. ij.
Cum aqua scabiosæ fiat syrupus secundum artem

Asthma, tussim, dolorem Thoracis, & Hypocundriorum à frigida materia procreatum iuuat.

In hoc syrupo conficiendo pœnidia debent esse alba, idest, ex saccharo albissimo, & purissimo facta, non autem ex saccharo vel crasso, vel pingui, nam ex Siluio pœnidia facta ex saccharo crasso egrè colantur, & impurum, ac ingratum magis syrupum reddunt. Mesues nullam habet mentionem aquæ quantitatis: Siluius omnia in octo aquæ libris ad librarum quinque consumptionem coquenda consulit: Renodeus admonet, vt in aqua primum concoquatur hordeum circiter per dimidiam horam, deinde radices inijciantur incisæ, vt elixentur per quartam horæ partem, postea fructus omnes, mox semina, & tragacanthũ linteo raro inclusa addãtur, postremo hyssopus mediocriter sicca, & capillus veneris verus, vel eius loco adiantum commune; colaturæ, coquendo ad libras tres redactæ, & clarificatę, addantur pœnidia, vt supra dictum est, parata. Sunt nonnullę alię apud Mesuem descriptiones, sed hęc cęteris omnibus anteferenda est.

Syrupus Iuiubinus Mesuæ.

℞. Iuiubarum num. Lx.
Violarum,
Seminum Maluę ana drag. v.
Adianthi albi,
Glycyrrhizę,
Hordei mundi ana vnc. j.
Seminum Cydoniorum,
Papauerum,
Melonis,
Lactucę,
Tragacanthæ ana drag. iij.
Coque in aquę fontis lib. iiij.
Ligatis prius seminibus in petia, & facta forti expressione, adde
Sacchari albi lib. ij.
Et fiat syrupus secundum artem.

Confert raucedini, tussi, pleuritidi, & sputo concoquendo, mouendo, & educendo, estq; medius inter Violaceum, & Papauerinum, fluxiones omnes cohibet, & humores fluxos lenit, & cõcoquit.

In hoc syrupo præparando opus est primum coquere hordeum, cui cocto addantur iuiubę, deinde glycyrrhiza, postea capillus veneris, & semina melonis, lactucę, & papaueris, & tandem flores violarum, tragacanthum in fine ponitur, ne ex longiori coctura resoluatur in mucaginem.

Syrupus

Syrupus de Cannis Mesuæ.

℞. Succi Granatorum dulcium lib. iij.
Succi Malorum schenicorum,
Succi Cannarum, ex quibus extrahitur Saccharum,
Sacchari, aut pœnidiorum ana lib. semis.
Fiat syrupus.

Per mala schenitica substituantur, poma dulcia, aut mora, ex quibus conficitur Diamoron,

Ad tussim, pleuritidem, & sitim vtilis.

Syrupus de Glycyrrhiza Mesuæ.

℞. Glycyrrhizæ vnc. ij.
Capillorum veneris vnc. j.
Hyssopi vnc. semis.
Aquæ lib. iiij.
aut quantum sufficit, in aqua primum feruefacta, macerētur horis vigintiquatuor. Coque ad dimidium, colato, & expresso adde
Mellis despumati,
Sacchari,
Pœnidiorum,
Aquæ rosarum ana vnc. viij.
Fiat syrupus secundum artem.

Thoracis, & Pulmonis vitijs confert, proinde diuturnæ tussi, & pleuritidi auxiliatur, aperit enim, dilatat, tergit, lenit asperam arteriam, partes spirituales, & Pulmones, eaq; ad expectorandum materiam roborat.

Notat hic in suis scholijs Bertaldus quod vbicūq; requiritur capillus veneris, oporteat intelligere recentem, alioquin non præstat ea, quæ intendit Medicus; Addit parari etiam syrupum de capillis veneris ex triplici infusione capillorum veneris saccharo, & pœnidijs, & ratio est quia capillus veneris vbi siccus est, adstrictoriæ facultatis ēst, prohibens fluxum omnium humorum.

Syrupus de Farfara, seu Tussilagine.

℞. Tussilaginis manip. vj.
Capillorum veneris manip. ij.
Hyssopi manip. j.
Glycyrrhizæ vnc. ij.
Coque in sufficienti quantitate aquæ pluuiæ secundum artem, colaturæ adde
Sacchari lib. vj.
Et fiat syrupus.

Huiusmodi syrupus fiat ex tussilagine recēti primæ & tertiæ speciei, dūmodo sit viridis, quia sicca est potius calidæ & siccæ cōplexionis, & ex radice huius viridis fit illud medicamentum quod Loch de Farfara appellatur.

Facultas ipsius est expectorare materiam à Pulmonibus, hinc multum valet tussi antiquatæ, & omnibus indispositionibus Pulmonum, confert etiam phthisicis, & tabe laborantibus, & præ cæteris hanc habet facultatem expellendi fœtum mortuum.

Syrupus hic compositus est ex quattuor rebus, quæ breuem ferunt coctionē & in aquæ tantum quattuor libris incoquenda.

Notandum est, quod, qui parant hunc syrupum tempore veris, flores tantum assumant ipsius tussilaginis, qui vero æstate partes ęquales foliorū viridium, & florū siccorum accipiant, sunt qui media æstate ex solo foliorum succo depurato, & sacchăro parare solent, optime quoque fit ex solo florum decocto, & saccharo. Et isti sunt simplices syrupi tussilaginis seu farfaræ ad superioris compositi differentiam.

Syrupus de Denario, seu de Bizantijs simplex Mesuæ.

℞. Succi Endiuiæ,
Succi Apij ana lib. ij.
Succi Lupulorum,
Succi Buglossæ domesticæ, aut siluestris ana lib. j.
Succi depurentur, & despumentur, donec remaneant lib. iiij.
Sacchari optimi lib. ij. & semis.
Coquantur cum facilitate, donec fiat syrupus.

Humores crassos, lentos incidit, & extenuat, obstructiones aufert, morboque regio succurrit.

Syrupus de Absyntio maior Mesuæ.

℞. Absynthij Itali sicci lib. semis.
Rosa-

Rosarum rubearum vnc. ij.
Spicæ Nardi drag. iij.
Vini albi antiqui odoriferi,
Succi Cydoniorum ana lib. ij. & semis.
In his macera prædicta per horas vigintiquatuor, coque igni lento ad medietatem, & adde
Mellis lib. ij.
Fiat syrupus.

Ventriculum roborat, & Hepar, aliaque instrumenta nutritionis.

Sunt, qui, in componendo hoc syrupo, malunt ipsum infundi in vino muschatellino: sunt etiam, qui duplicem habent huiusmodi syrupum; vnum ex melle, & absynthio vulgari pontico, & alterum ex saccharo, & absynthio minore paratum: sunt etiam qui sic parant.

℞. Absynthij viridis libram dimidiam
Aquæ lib. iij.
coquunt ad tertias, & colaturæ addunt
Vini albi clari antiqui, & generosi,
Mellis albi optimi ana lib. j.
Et coquunt in syrupi consistentiam.

Sed quocumq; ex his paretur modo, ingratus plurimũ est; & ob id sunt aliqui, q. quantũ possunt, minuunt absynthij quantitatem, addentes saccharum, & certè ea, quę roborando Ventriculo dantur, si valdè ingrata sint, eum potius subuertunt.

Syrupus de Mentha minor.

℞. Succorum depuratorum Menthę,
Granatorum dulcium,
Granatorum acidorum ana lib. vnam.
Sacchari, aut mellis tantundem,
Fiat syrupus,

Syrupus de Corticibus Citri.

℞. Corticum Citri recentium lib. j.
Chermes crudi drag. ij.
Aquę fontanæ lib. v.
Coquantur ad duarum partium consumptionem, coletur, & colato addatur
Sacchari clarificati lib. j.
Fiat syrupus secundum artem, & aromatizetur cum moschi oriẽtalis granis iiij.

Cerebrum, Cor, & Stomachum roborat, & Oris gratiam commendat.

Oximel simplex Mesuæ.

℞. Mellis despumati lib. ij.
Aceti acerrimi lib. j.
Aquæ fontis lib. iiij.
Mel cum aqua despumetur; deinde addatur acetum, & decoquatur secundum artem.

Valet ad humores crassos, lentos, & pituitosos in Ventriculo, & Venis existentes incidendos.

Non videtur certò à veteribus definita aceti quãtitas in oximelite cõponẽdo; nã cũ mel sit calidũ ex Gal. lib. viij. de simpl. med. facul. cap. xxiiij. & in calidis naturis citò bilescat, tãtum aceti addendum esse videtur, quãtum satisfit, vt facultas ipsius in bilem conuertendi corrigatur, & hoc modo fiet oximel omni ætati, & naturæ ad tuendam valetudinem vtilissimum; nam variè debet fieri, pro vario sumentis gustu ita vt non noceat; nam quod valdè acre est, potest abradere Intestina, expectorationemque impedire, sed quod mediocriter est acre, Pulmonis, Thoracisque affectionibus multo est ex vsu; nam sputum educit, & faciem spirationem edit, humores crassos incidit, & attenuat, visceraq; sine molestia expurgat, & ad victus attenuationem est accomodatissimũ, Hippocrate, Galeno, & Oribasio consentientibus: ergo augeri potest vel minui aceti quantitas, secundum voluntatem vtentis, cui magis conuenit, attamen in officinis vt plurimũ seruatur secundum Mesuæ descriptionem dictam.

Oximel Scilliticum simplex Mesuæ.

℞. Mellis despumati lib. iij.
Aceti scillitici lib. ij.
Coquantur in vase figulino ad consistentiam syrupi liquidioris.

Humores crassos, lentos, frigidos eradicat, extenuat, incidit, & abstergit; ob id Epilepticis, & Asthmaticis plurimum confert, ad vomitumque ciendum est efficax.

Sunt, & alij Auctores, alio modo parantes huiusmodi Oximel scilliticum; nam Marcellus Medicus antiquus ad hunc parat modum.

℞. Scillæ lib. j.
Aquæ fontanæ lib. iiij. & ſemis.
& facit ebullire vſque ad libram vnam, & mediam; deinde per diem integrum relinquit in olla rectè obturata; demum exprimit, & expreſſioni admiſcet aceti tantundem,
Mellis deſpumati lib. iij.
Rurſus leuiter concoquit ad conſiſtentiam ſyrupi.

Ioannes Manardus Ferrarienſis, & Bernardus Diſſenius Cronenburgius exiſtimant non poſſe fieri ſine aqua; quorum opinioni plerique conſentiunt, ac proinde aquæ duplum ad acetũ miſcent vt in ſimplici: atqui Siluius ſcribit, aqua non eſſe opus, cum mel nonniſi deſpumatum, & coctum ſumatur, & acetum legitimè cum ſcilla præparatum, acetum autem ſcilliticum ad hunc fit modum.

℞. Scillæ ſegmentorum filo traiectorum, & in vmbra ſiccatorum lib. j.
Aceti facti ex vino albo lib. viij.
Macera æſtiuis caloribus per quadraginta dies in vaſe, vel vitreo, vel fictili, & vitreato oris anguſti mixturam iam dictam, deinde cola, & abiectis ſcillæ ſegmentis, transfuſum acetum ſeruatur, cuius olim frequentior erat vſus, quam noſtris temporibus ob ſaporis inſuauitatẽ.

Sunt multi alij modi parandi huiuſmodi acetum, ſed hic, quem nunc tradidimus, vſitatior videtur, & congruit deſcriptioni, quam de illo tradidit Paulus Aegineta lib. 7. de re. med. cap. 11.

Multæ quoque oximellitis ſcillitici à varijs Auctoribus dantur deſcriptiones & magis cõpoſitæ, cuiuſmodi eſt oximel ſcilliticum Democratis, Iuliani, & quod de radicibus cognominatur, quæ omnes ſcillitici magis compoſitę varietates à nobis negliguntur.

Syrupus de Duabus Radicibus.

℞. Rad. Petroſelini,
Rad. Fœniculi ana vnc. iiij.
Aquæ quantum ſufficit,
Sacchari clarificati lib. ij.
Coquatur ſecundum artem cum aceto, vel ſine aceto.

Humores craſſos incidit.

Syrupus de Quinque Radicibus Meſuæ.

℞. Rad. Apij,
Rad. Petroſelini,
Rad. Fœniculi,
Rad. Ruſci,
Rad. Aſparagi ana vnc. ij.
Coque in libris ſex aquæ fontis ad tertiæ partis conſumptionem, expreſſum percoquitur cum ſacchari lib. iij.
addendo in fine
Aceti albi vnc. viij.

Idẽ præſtat, quod ſuperior, ſed validius; & ad febres putridas cõtumaces cõfert.

Syrupus de Fumo terræ ſimplex Meſuæ.

℞. Myrobolanorum Citrinorum vnc. ij.
Violarum,
Cuſcutæ,
Abſynthij ana vnc. j.
Coquantur cum lib. ſeptem aquæ vſque ad tertiam partem, cui adde
Succi Fumi terræ cocti, & deſpumati,
Sacchari ana lib. ij.
Et fiat ſyrupus ſecundum artem.

Pituitam ſalſam attenuat, & morbis cutaneis prodeſt: melior, & gratior guſtui erit, ſi addatur media libra ſacchari; nam fumaria, & ſuccus ipſius ſunt amariſſima.

Syrupus de Pomis ſimplex Meſuæ.

℞. Succi Pomorum dulcium,
Succi Pomorum acetoſorum ana lib. v.
Coquantur, deſpumentur, & coletur; deinde adde
Sacchari clarificati lib. iij.
Coquatur ſecundum artem.

Cor imbecillum roborat, ob id ſyncopem, & Cordis tremorem ſanat.

Aliqui ſunt, qui, in hoc ſyrupo componẽdo, in purificatione ſuccorum ſubmergunt ſericum tinctum in alchermes, ad hoc vt ſucci recipiant huius tincturę virtutem, quæ cordialis eſt, & valde excellens.

Caleſtanus obſeruat hunc componendi mo-

di modum accipit lib. tres pomorum dulcium, & totidem acetosorum, inde igni exponit, intus immissis tribus vncijs serici de recenti tincti, & ita omnia calefacit, quousq; leuiter bulliant, postea reponit, donec succi sint optimè à serico colorati; deinde colat, ponendo tres libras sacchari, cum quo facit syrupum.

Syrupus de Succo Boraginis.

℞. Succi Boraginis clarificati lib. viij.
Sacchari despumati lib. iiij.
Florum Boraginis recent. lib. j.
Macerentur aliquot horis in succo clarificato, ac calido, deinde colentur, & cum saccharo fiat syrupus.

Cor roborat, eiusque tremorem, & lipothymiam sanat, maniacos, & melancholicos iuuat.

Syrupus de Succo Buglossæ.

Eodem modo, quo superior, conficitur syrupus hic, & idem præstat.

Ambo isti syrupi eandem facultatẽ habent, eundemq; præstant vsum, ideò, qui vnum habet, altero facilè carere potest: pærparatio vtriusque eadem est, cũ autẽ præparari debet, opus est, Buglossum, vel Boraginẽ, vel ambo per diem integrũ naturalem in humido, & frigido loco detinere, deinde exprimenda sunt, sed ante calefacienda, nam succus ipsorum cum viscidus sit, ab ipsis vix, nisi hac arte, educitur, & vbi eductus fuerit, ita relinquitur, vt subsideat. Nonnulli, qui parãt hos syrupos, flores contusos in eodem succo depurato parum incoquunt, alij in aqua, & colaturam affundunt in succum, & saccharum, & perfectè concoquunt ad cõsistentiam syrupi; insuper sunt, qui harũ plantarum flores sumunt, alij radicẽ, puto tamen, totam plantam conuenire.

Syrupus de Betonica compositus:

℞. Betonicæ manip. j.
Rutæ,
Chelidoniæ,
Fragrariæ,
Ligustici,
Pulegij,
Chamædryos,
Rorismarini,
Origani orientalis,
Foliorum Lauri,
Saluiæ,
Hyssopi,
Glycyrrhizę,
Rubeætinctorum,
Caryophylatę ana manip. semis.
Sem. Anisi
Anethi,
Ameos,
Petroselini,
Lactucę,
Rosarum,
Florum borraginis ana vnc. j.
Ex his fiat decoctum, & cum saccharo quantum sufficit, fiat syrupus.

Hemicranicis, Cephalalgicis, ex pituita potissimum, succurrit, Caput firmat, omnemque frigidum affectum in eo existentem destruit, neruorum doloribus opitulatur, deobstruit, & menses prouocat, validiusque operatur simplici.

Syrupus de Stœchade Compositus Mesuæ.

℞. Florum stœchadis drag. iij.
Thimi,
Calaminthæ,
Origani ana drag. x.
Anisi,
Pyretri ana drag. vij.
Piperis longi drag. iij.
Gingiberis drag. ij.
Passularum enucleatarum vnc. iiij.
Aquæ lib. x.
Coquantur secundum artem lento igne ad dimidias, colaturæ adde
Mellis lib. v.
& cum reponis, tunc condias cum sequentibus speciebus in sindone rara, & munda suspensis,
Cinnamomi,
Calami aromat,
Spicæ Nardi,
Croci,
Gingiberis,
Piperis nigri,
Piperis longi ana drag. j. & semis.
Contundantur grosso modo,

Neutra compositionum syrupi de stœchade Fernelio placet; aufert enim piper vtrumque, & pyretrum, eò quòd calida nimis sint, adiecitque, Renodeo auctore, quædam cephalica, saluiam nempè, betonicam, pœoniam, rorem marinum, vt effectum ab auctore propositum assequatur; nam cum ex sententia Mesuæ, multis cerebri affectibus conferat, si iuxta ipsius descriptionem conficeretur, ijs minimè conferret; nam stœchas, quod hìc pro basi ponitur, iecorarium potius est, & splenicū, quàm cephalicum; sed cum ambo Auctores inter se pugnent, suisque vtantur rationibus, mihi tamen Antiquioris potius auctoritati adhærendum videtur, etsi Fernelius magnæ auctoritatis vir sit; & quãuis verè hæc tria simplicia sint calida, nihilominus tenuium sunt partium, & prò stœchadis vehiculo satisfaciunt, quod, vt Galenus scriptum reliquit 8. de simpl. med. facult. terrestris est substantiæ, cuius ratione adstringendi vi pollet; hinc Fernelij castigatione non opus est; nam potest syrupus ita paratus affectibus à Mesue præscriptis satisfacere; neque apud Galenum aut Mesuem aut Dioscoridem reperio stœchadem esse hepaticū, aut splenicum, vt Ioannes Renodeus scribit, sed ex communi Medicorū consensu capitale: Vnde Mesues lib. de simplicibus cap. de stæcade dicebat, esse Cerebri, & Neruorum confortatiuum. Quare mihi magis placet vt syrupus de stœchade secundum descriptionem Mesuæ ad vsum maneat, neglecta Fernelij, & Ioannis Renodei compositione.

Syrupus de Prassio Mesuæ.

℞. Prassij, idest Marubij viridis,
Glycyrrhizæ — ana vnc. j.
Capilli veneris,
Hyssopi — ana drag. vj.
Calaminthæ,
Anisi,
Rad. Apij,
Rad. Fœniculi — ana drag. v.
Sem. Maluæ,
Sem. Fœnugræci,
Rad. Ireos — ana drag. iij.
Sem. Lini,
Sem. Cydoniorum — ana drag. ij.
Passularum enucleatarum — vnc. ij.
Ficus passas pingues — num. xvj.
Pænidiorum,
Mellis despumati — ana lib. ij.
Aquæ quantum sufficit, fiat syrupus, ligando semina in petia, & exprimendo ea.

Pituitam crassam, lentam, putrem in Pulmone incidit, & ex eo educit, ac iuuat leniendo; hinc fit vt senibus, & asthmaticis plurimum conducat.

Huiusmodi syrupus pectoralis est, non secus atquè sit syrupus de Glycyrrhiza, & de Hyssopo; confert tamen peculiariter passionibus Pectoris, & Pulmonis à materia tenaci, viscosa, & crassa, quæ est difficilis eradicationis, & præsertim in senibus, & frigidis natura; etiam confert asthmati, tussi antiquæ, & difficultati anhelitus, & quòd optimū est, facit excreare saniem, & omnem materiam putridã contentam in cauitate Thoracis, idque præstat virtute aperitiua, attenuatiua, desiccatiua, & abstersiua, & cõfortatiua: qua pollet: tẽpus vsus ipsius est in declinatione prædictarum dispositionū, nisi fortasse materia sit multa, quæ sua crassitie, & malitia morã sustinere minimè possit, strenuè enim, vt inquit Siluius, sputum promouet in declinatione horum affectuum, si à fluxione pręsertim pendeant.

Omnes isti syrupi pectorales sunt, & omnes decoctiones eiusdem generis fieri debent cum aqua pluuiali, quę cęteris aquis magis tenuis est, & ratione tenuitatis, magis penetrat, faciens etiam penetrare virtutem medicamentorum ad partes penitiores, & maceranda sunt hęc omnia (etiàm si auctor id taceat) in debita aquę mensura, vt in superioribus, coquendaque ex arte, ita vt supersit tantum decocti quantum excipere possint mellis lib. duę; erit autem quantitas aquę ad libras decem, quæ coquatur ad dimidias, & expressum percoquatur cum pœnidiorum, & mellis despumati ana lib. ij.

Alias duas descriptiones habet Mesues cap. de asthmate sed inusitatas.

Syrupus de Eupatorio Mesuæ.

℞. Rad. Apij,
Fœniculi,
Endiuiæ ana vnc. ij.
Liquiritiæ,
Schœnanthi,
Cuscutæ,
Absynthij,
Rosarum ana drag. vj.
Capillorum veneris,
Bedegar, idest spinæ albæ,
Succhæ, idest spinæ arabicæ,
Florum, aut rad. Buglossæ,
Anisi,
Fœniculi,
Eupatorij ana drag. v.
Rhabarbari,
Mastiches ana drag. iij.
Spicæ Nardi,
Asari,
Folij ana drag. ij.
Coque in aquæ lib. octo ad tertiæ partis consumptionem, deinde adde
Sacchari lib. ij.
Succi Apij, & Intubi ana lib. ij.
Fiat syrupus.

Syrupus hic de Eupatorio Ventriculum, & Hepar roborat, hydropi incipienti, hypocondriorum dolori, febribus antiquis confert, obstructiones aperit, flatus dissipat, cachexiæ medetur, confortat stomachi virtutem concoctricem, estque syrupus spectandus propter suas, & raras, quas habet, conditiones.

Cum tres sint Eupatorij differentiæ, vna est Græcorum, agrimoniũ, seu agrimonia dictũ, altera est eupatoriũ Auicenę, quod Pharmacopeorum eupatorium etiam vocatur, tertia est illa, quæ ageratum appellatur, & à Pharmacopolis eupatorium Mesuæ, quænam autem harum in compositione huius syrupi accipienda veniat non omnium eadem est opinio; Siluius enim putat accipiendum esse agrimonium; Costeus verò scribit nullum aliud eupatorium vsurpandum esse, quàm eupatorium Mesuæ, nec sanè errare videtur, quia cum huiusmodi syrupus à Mesue fuerit descriptus, rationi consonum videtur, nullum aliud eupatorium voluisse, quam illud, quod describit lib. j. de simpl. cap. 15. Antecessores nostri, qui tempore patrum nostrorum vixerũt, syrupum hunc magna cum difficultate componebant; eò quòd non rectè perciperent, quòd nomine, bedegar, esset intelligendam spinam albam, nomine verò, succaha, spinam arabicam, quæ est herba quædam spinosa, alba, super terram expansa, cuius flos coloris est sanguinei, & Siluius notat eosdem patres nostros magnopere, in hoc componendo, errasse, fructum rosæ siluestris pro his duabus radicibus supponentes. Notat etiàm vnum Costeus consideratione dignum, quòd vbi prædictæ radices non adsint, aut non placeant, substitui posse camaleonis genus, quod sub nomine, carlinæ, circumfertur.

Syrupus Acetosus diarhodon Mesuæ.

℞. Succi Endiuiæ,
Apij ana lib. ij. & semis.
Rad. Fœniculi,
Apij,
Endiuiæ ana vnc. ij.
Rosarum vnc. j.
Glycyrrhizę vnc. semis.
Spicę drag. ij. & semis.
Sem. Anisi,
Sem. Fœniculi,
Sem. Apij ana drag. vij.
Proijce super ea aquę dulcis lib. vj.
Et decoque vsque ad consumptionem duarum partium, deinde adde
Sacchari lib. iij.
Aceti lib. ij.
Fiat syrupus.

Ad febres valet complicatas, & eas, quę formam corporis corrumpunt, obstructiones Hepatis, & Lienis aperit; & est vbique vsitatissimus.

Celeberrimus est hic syrupus, magnamque habet conformitatem cum syrupo Bizantino supra descripto, eo tamen paulò calidior; ille verò magis atrã bilem respicere videtur, huic magna aperiẽdi vis inest, ita vt febribus, quę ex crassis humoribus obstruentibus fiunt succurrat, ac proinde obstructo Lieni atq; Hepati cõferre mirè possit, adduntur tamen, vt inquit Costeus, consultò rosę, vt adstringenti

genti vi, qua pollent rosę, aliquid visceribus compararetur robur.

Syrupus de Dynario, seu de Bizantijs compositus.

℞. Florum Rosarum vnc. ij.
Glycyrrhizę vnc. semis.
Sem. Anisi,
Sem. Fœniculi,
Sem. Apij ana drag. iij.
Spicæ Nardi drag. ij.
Coquantur hęc in suprascriptis succis syrupi de Dynario simplicis, & colentur, colaturæ adde
Aceti lib. ij.
Sacchari albissimi lib. iij.
Coquatur secundum artem.

Idem præstat, & efficacius simplici, imò verò putarem, quod, qui hunc syrupum paratũ seruat, posse carere simplici.

Notat hoc loci Ioannes Renodeus dictum fuisse dynarij ab Arabibus, hoc est, diureticus, non autem à denario vt multi putant, dicitur etiam bizantinus, à Bizantio, seu Costantinopoli, quo in loco erat maximo in vsu.

Myua Cydoniorum aromatica Nicolai.

℞. Succi Cydoniorum acidorum lib. xx.
Vini veteris boni lib. x.
Coque igni lento, semper despumando, ad consumptionem tertiæ partis, cola, & permitte clarescere, claro adde
Sacchari albissimi lib. vj.
Iterum coque despumando, & in eo suspende hæc aromata nodulo ligata.
Cinnamomi,
Cardamomi ana drag. iij.
Gingiberis,
Macis,
Lig. Aloes,
Mastiches ana drag. j. & semis.
Caryophyllorum,
Croci ana drag. ij.
Omnia, præter crocum, parum terantur, & suspendantur nodulo, vt dictum est, identidem fricando crocum in ipso medicamento, donèc crassescat, deinde aromatiza cum moschi orient. scrup. vno, & trocischorum è gallia mosch. Mes. drag. duabus.

Ventriculum, Iecur, & cætera viscera frigefacta roborat, & appetentiam excitat, coctionem iuuat, & alia præstat, quæ & superior, sed valentius.

Huius conditi descriptionem, Myuæ aromaticæ nomine, habemus ad verbum à Mesue, & à Nicolao, ita vt dubitandum ferè veniat, quisnam horũ fuerit auctor, Mesues, an Nicolaus, sed quidquid sit, sum ego cum Burgarucio, antiquiorẽ fuisse Mesuem, & proinde dictũ Nicolaum ab eo transcripsisse, in qua præparanda Io: Costeus admonet, crocũ integrum, alijs iam cõtritis, miscendum, simùlque suspendendum, aliòquin in puluerem redactum plurimum virtutis amittit, licèt quandoque etiam puluerizatum cum superioribus, vt in speciebus alephanginis, vsurpetur.

Syrupus de Mentha maior Mesuæ.

℞. Succi Cydoniorum acidodulcium,
Dulcium,
Granatorum acidodulcium,
Dulcium,
Acidorum ana lib. j. & semis.
In succis macerentur horis xxiiij.
Menthæ siccæ lib. j. & semis.
Rosarum rubearum vnc. ij.
Vini antiqui mensuras duas nostrates, seu lib. iiij.
Coquantur lento igne ad dimidias, colentur, addendo colaturæ
Mellis, aut Sacchari lib. ij.
Coquantur ad perfectionem, & cum reposueris, aromatiza cum galliæ moschatæ veræ tritæ, & in sindone ligatæ, atque in orificio vasis suspensæ drag. iij.

Syrupus hic de Mentha maior, qui, & cõpositus appellatur, secundũ hanc Mesuæ descriptionẽ vbique præparatur, & generaliter est in vsu; nam valet ad Stomachum relaxatum confortandum, virtutem eius digestiuam suauiter calefaciendo, & vigorando calidum naturale, nauseam atque vomitum prohibet, suaque leni stipticitate, qua pollet, confert fluxui ventris à pituitosa materia enato, sed absque singultu.

Siluius

Siluius hoc in loco scribit posse etiam hunc syrupum in hunc modum componi, nempe.

℞. Menthę parum siccatæ lib. j. & dimidiã.
Rosarum rubearum vnc. ij.
Succi Cydoniorum dulcium,
Succi Granatorum acidorum,
Dulcium,
Acidodulcium ana lib. j. & dimidiam.
Coque igni lento ad dimidias, expressum coquatur cum
Mellis aut sacchari lib. j.
Aromatizetur cum gallia moscata Mesuæ; atqui si mentha sit siccior, quia succorum plus ebibit, augeantur succi.

Notat hic Ioannes Costeus, quod si quispiam in conficiendo hoc syrupo mẽtham semiaridam sumat, non esse multi rem faciendam, cum succus menthæ Ventriculo sit ex vsu, quamuis postea existimet aridam mentham maius robur posse Ventriculo adferre; aliud notat, & est quod quando menthę aridæ lib. vna, succi lib. vij. cum dimidia, quas Mesues pręscribit, vix possent macerari, ac proinde in ipso conficiendo errent Seplasiarij, licebit, inquit, vt postquam eius dimidia pars in toto eo succo fuerit macerata, expressa, abiectaque aliam dimidiam partem macerare, & exactius postea reliquum, esse prosequendum, & ad hunc modum syrupo vis maior, atque odor comparabitur. Scribit etiam, & Siluius, posteriorem hunc syrupum valentiorem esse, solumque in vsu esse cum saccharo, quia, & mitior, & gratior redditur, quam si fiet ex melle, Ventriculum enim, & Ventrem reliquum inferiorem suo calore blando, & leuicula adstrictione roborat, etiamsi vel dissolutum, vel à causa frigida imbecillum.

Hic syrupus magis est in vsu, quam sit simplex, & vbique compositus seruatur, vt supra dictum est.

Syrupus de Iua Nicolai Florentini.

℞. Iuæ manip. ij.
Saluiæ,
Maioranæ,
Rorismarini,
Polij,
Origani,
Calaminthæ,
Menthastri,
Pulegij,
Hyssopi,
Thimi,
Rutæ siluestris,
Betonicæ,
Serpilli ana manip. j.
Rad. Acori,
Rad. Aristolochiæ longæ,
Aristolochiæ rotundæ,
Peucedani,
Phu,
Bryonię,
Gentianæ,
Dictami ana vnc. semis.
Rad. Fœniculi,
Petroselini,
Apij,
Asparagi,
Rusci ana vnc. j.
Stœchadis,
Sem. Anisi,
Fœniculi,
Ligustici,
Ameos,
Carui,
Sileris montani ana drag. iij.
Pyretri vnc. j. & semis.
Passularum vnc. ij.
Aquæ, & Mellis, quantũm sufficit, fiat syrupus secundum artem, & aromatiza cum Cinnamomo,
Nuce moschata,
Cubebis,

Valet ad paralysim.

Huiusmodi syrupus de Iua à Nicolao floretino descriptus lib. 3. cap. de paralysi, assumit suam denominationem ab iua, quæ alio nomine appellatur herba lunaria, & vrbiga, & herba paralysis, vel iua artetica, à nonnullis verbascum odoratũ, & quia singulo mense producit flores, proinde dicitur primula veris; insuper vocatur iua artetica ad differentiam alterius, quæ dicitur iua moschata, & ob insignes facultates, quas aduersus artriticos morbos, & paralysim habet, accepta est à Nicolao viro doctissimo pro basi huius sui syrupi, ꝙ, vt ille loquitur, multũm

tùm valeat aduersus paralysim, & omnes morbos artriticos, & certè puto, paucissimos syrupos à paucissimis viris descriptos in hac materia posse, huic syrupo adæquari.

Syrupus de Arthemisia Matthæi de Gradi.

℞. Arthemisiæ,
Pulegij,
Calaminthæ,
Origani orientalis,
Melissę,
Dictami Cretici, ana manip. j.
Persicarię,
Sabinę,
Camædryos,
Hypericonis,
Iuæ,
Matricarię,
Centaurei minoris
Rutę,
Betonicę,
Buglossę,
Rad. Fœniculi, ana manip. j.
Rad. Apij,
Rad. Asparagi,
Rad. Brusci,
Rad. Saxifragiæ,
Rad. Enulæ,
Rad. Cyperi,
Rad. Rubeæ,
Rad. Ireos,
Rad. Pœoniæ ana manip. j.
Baccarum Iuniperi,
Sem. Ligustici,
Petrosellini,
Apij,
Anisi,
Nigellæ,
Carpobalsami, ana manip. j.
Costi,
Rad. Asari,
Pyretri,
Cassiæ ligneæ,
Cardamomi,
Calami Aromat.
Phu ana vnc. semis.
Coquantur in sufficienti quantitate aquę secundum artem, colentur, & adde
Sacchari lib. iiij

Fiat syrupus vt decet

Medetur Vteri vitijs, præsertim præfocationi, & flatus, ac dolores soluit, mensesque mouet.

In hoc syrupo de Artemisia pulchrè Renodeus admonet, magnam, & solemnem compositionem multis syculis receptam, longo vsu, & ratione comprobatam (Addo ego) & à doctissimis viris, imò à collegijs illustribus confirmatam, nec mutandam nec mutilandam esse, e contra, quę vix ratione probabili describitur, & negligenda vel castiganda.

Descriptio syrupi de Artemisia à Matthæo de Gradi hinc à multis annis ab omnibus, & antidotarijs, & collegijs fuit recepta, & in vsum quotidianum posita; solus Renodeus scriptum reliquit, eam tanquam inutilem fuisse à Fernelio castigatam, quòd simplicium congestorum farraginem perperam continebat, vndè superflua, aut male conuenientia, vel parum cognita subtraxit, vtilia tantum relinquens; Verum si vtramque compositionem rectè animaduertamus, videbimus esse defectuosam; illa Fernelij multa continet, quæ calida, & sicca sunt, non secus atque Artemisia, cuius facultatem, calidam nempe, augere quidem possunt, paucissima verò sunt, quæ basim, & facultatem ipsius ad Vterum deducant, qui est pars affecta, quam huiusmodi syrupus respicere debet. In compositione verò Matthæi de Gradi sunt, & adiuuantia ipsam basim, & quæ apta nata sunt facultatem ipsius ad vterum deducere.

Verum in hoc defectuosa est compositio, quòd radices per manipulos numeret, quia si acciperentur radices ad manipulos, longè in maiori copia esset facultas radicum, quàm aliorum simplicium; nam pro manipulo vno radicum non satis essent manipuli duo herbarum, regulæ enim sunt, vt pro manipulo herbarum accipiatur vncia vna radicis; deinde res aromaticæ non patiuntur tantam ebullitionem ac faciant radices, quare primò ebulliendę sunt radices, deinde folia, & tandem aromatica, quod declaratur etiam in fine syrupi, quando dicitur Coquatur in sufficienti quantitate aquæ

que secundum artem. Istę descriptiones differunt etiam quò ad modum coquendi, & materię, in qua coqui debent; nam apud Matthæum de Gradi simplicia coquuntur in aqua absque aliqua additione, at in syrupo Fernelij contusa macerantur per vigintiquatuor horas in hidromellitis lib. viij. quousque remaneant lib. v. denuo percoquuntur in syrupum, qui condiri debet vncia vna cinnamomi, & spicę drag. iij.

Quo ad facultatem, ambo dicunt, hunc syrupum conferre Vteri vitijs, suppressis mensibus, præfocationi, flatui, & doloribus ipsius Vteri.

His omnibus consideratis, concludo, hunc syrupum Matthęi non esse spernendũ, sed eo vtẽdum: nã in Antidotario Bononiensi ad verbum transcriptus est, sicut & ab Augustana Pharmacopoea, quę nihil aliud animaduertit, nisi quòd manipulum vnum herbarum æquiualeat vnciæ vni radicum, & ponit manipulos duos artemisię: Transcribitur quoque à Bernardo Dissenio Conemburgio, sed vult, radices esse diuidendas per vncias non per manipulos: Idem describitur à Laurentio Iouberto quibusdã notatis circa quędam simplicia: Vueckerius eandem affert descriptionem ad verbum, nisi quod addit arthemisię duos manipulos, vt Pharmacopoea Augustana, & mea quidẽ opinione nõ ineptè, nam basis huius syrupi, quę est artemisia, paruę erat efficaciæ. cum igitur Matthęi de Gradi syrupi descriptio ab omnibus tum sapientioribus, tum fama claris probetur, ergo bona est, & ad vsum reducenda, at descriptio, & emendatio Fernelij à paucissimis recipitur, ergo potius reiicienda videtur.

Syrupus de Sebesten Montagnanæ.

℞. Sebesten vnc. ij.
Rubeæ Tinctorum vnc. semis.
Anisi,
Cumini,
Glycyrrhizę,
Sem. Lactucæ,
Cucumeris,
Melonis,
Maluarum ana vnc. ij.
Alkekengi,
Fœnugræci,
Stœchados,
Prasij ana drag. iij.
Sem. Apij,
Ameos,
Petroselini,
Dauci,
Fœniculi,
Rad. Tribuli marini,
Meu ana drag. ij.
Sanguinis Hericij pręparati,
Hordei ana drag. v.
Lapidis Spongiæ,
Lapidi Iudaici,
Corticum Auellanarum ana drag. vj.
Coquantur in lib. duabus, & semis aquæ ad consumptionem medietatis lento igne, deinde colentur, & colaturæ adde
Aceti scillitici vnc. ij & semis.
Sacchari secũdę coctionis lib. ij. & semis
Et fiat syrupus.

Ad ardorem vrinæ, & lapidem Vesicæ, ac Renum valet.

In syrupo hoc de Sebesten, circa modũ pręparandi, videtur non spernenda difficultas; quia res, quę coqui debent, sunt ad pondus viginti duarum vnciarum, & trium dragmarum, vel circiter, aquæ vero quantitas, in qua ebulliri debent, est ad lib. ij. & semis, ita vt, pro quauis vncia ebullienda, non videantur adesse vnc. ij. aquę, quæ improportionata nimis est; & dato, quòd possint ebulliri, colatura pauca est, nec potest sufferre tantam sacchari copiam, vt fiat syrupus; nam colatura est quindecim vnciarum, sacharũ triginta; & quamuis adsint vnc. ij. aceti scillitici, & sanguinis quinq; drag. nõ tamẽ satis sunt ad coquendũ syrupum vt conuenit; propterea augendam esse aquam puto in maiori copia, ad hoc vt syrupus ad sufficientem consistentiam reduci possit. Hæc quò ad modum pręparandi.

Quòd modò ad vsum attinet, qui est, ad ardorem vrinæ, acetum scilliticum non conuenit, quia magis augeret ardorem; pro materia verò lapidis Renum, & Vesicæ, quæ est crassa, & lenta pituita, satisfacere poterit eam attenuando, & incidendo, prohibebitque ne

que ne in lapidem abeat; non potest autem ardori vrinæ opitulari, cum causa est calida, cui acetum scilliticum non confert, imò contrarium est, vt patet. Quare syrupus hic non debet inscribi ad ardorem vrinæ.

Syrupus ex quinta essentia Fiorauanti Bononiensis.

℞. Aquæ vitæ optimæ, & circulatæ vnc. xij.
Olei sulphuris drag. vj.
Olei Vitrioli vnc. semis.
Olei Tartarei vnc. vj.
Zulapij Rosacei lib. xv.
Moschi scrup. semis.
Misce, & fiat syrupus.

Valde deobstruit, Ventriculum, & Cerebrum corroborans.

Dosis est a dragmis duabus ad vnciam semis.

Syrupus de Hybisco, seu de Althea Fernelij.

℞. Rad. Altheę mundatæ vnc. ij.
Cicerum rubeorum vnc. j.
Rad. Graminis,
Asparagi,
Glycyrrhizæ Mundæ,
Passularum purgatarum ana vnc. semis.
Comarum Altheæ,
Maluæ,
Parietariæ,
Pimpinellæ,
Plantaginis,
Adianthi vtriusque ana manip. j.
Quatuor seminum maior. frig.
Quatuor seminũ minor. frig. ana. drag. iij.
Coquantur in aquæ lib. vj.
ad consumptionem tertiæ partis, & adde sacchari albi lib. iiij.
Fiat syrupus secundum artem.

Thoracem lenit, crassam, & lentam Renum pituitam, purulentamque eorum saniem, & arenulas blandè, ac clementer expurgat, vrinæ que ardori succurrit.

Hic syrupus adscribitur Fernelio tanquam inuentori.

Duo aduerte in hoc syrupo de Althea; primum, quod radices purgatæ, & lotæ diu coquendæ sint præter glycyrrhizam, quæ longiori coctione amarescit; secundum, quod coctio in aqua facienda sit ad eius partis tertiæ dissipationem; longior enim viscidiorem coctionem efficit.

Syrupus Iridis, seu de Lilio.

℞. Rad. Helenij,
Ireos,
Carnis Dactilorum,
Succi Glycyrrhizę ana vnc. j.
Hyssopi,
Chalaminthæ,
Adianthi ana manipulum. j.
Succi Caulium,
Succi Gallitrici, i. Adiãthi albi ana dr. ij.
Muccilaginis sem. Lini,
Fœnugræci ana vnc. semis.
Prassij,
Rad. Graminis ana drag. iij.
Coque, & cum melle sufficienti syrupum confice.

Asthmaticis, Tussiculosis, Empijcis potissimum opitulatur, crassosque succos extenuat.

Syrupus hic à paucissimis descriptus, est, quemadmodum, & alij duo sequẽtes, nullusque horum in vsu est, quare neque Pharmacopœi eos preparatos tenere opus est, vnusquisq; enim, methodo seruata componendi syrupos, poterit occasione se se offerente similem componere.

Posset nostrum hoc Antidotarium istis, & multis alijs etiam carere, eosque tantũ contemplari, qui à Mesue habentur; ne tamen mancum, aut diminutum relinqueretur, extraordinarios aliquos addere placuit, qui vult farraginem omnium syruporum, tam eorum, quibus omnes vtuntur, quàm eorum, quorum nullus est vsus, recurrat ad Ioannem Iacobum Vveckerium in suo magno Antidotario.

Tres igitur isti syrupi sese ordine consequentes à paucissimis cognoscuntur, aut probantur, nempè syrupus Iridis, seu de Lilio, Rubeę Tinctorum, & Camedryos, circa quorum consideratione nem nolo conterere tempus.

Syrupus de Rubea Tinctorum.

℞. Artemisiæ,
Rubeæ maioris,
Sabinæ ana lib. semis.
Foliorum Menthæ,
Foliorum Absynthij,
Summitatum Origani,
Summitatum Calamenthi ana drag. ij.
Spicæ Nardi drag. j.
Schœnanti drag. ij.
Calami aromatici drag. iij.
Anisi,
Maratri,
Carui ana drag. j.
Sileris montani,
Ameos ana drag. ij.
Pœoniæ drag. semis.
Mellis rosati quantum sufficit
Fiat syrupus.

Syrupus Chamædryos.

℞. Chamędryos, quę, & Trissago dicitur, vulgo, Querciola,
Citrach,
Chamæpithyos,
Rubeæ Tinctorum,
Sisymbrij aquatici,
Foliorum Tamaricis ana manipulum j.
Radicum Capparis,
Apij,
Inulæ,
Iridis,
Glycyrrhizæ ana vnc. semis.
Corticum radicis Cyperi,
Calami aromatici ana drag. iij.
Seminum Apij,
Anisorum,
Fœniculi ana drag. j.
Passularum purgatarum vnc. j.
Coquantur secundum artem in posca ad consumpionem medietatis; deinde facta vehementi expressione, pro singula libra succi colati, adde
Sacchari optimi vnc. viij.
Aquę Cinnamomi stillatę vnc. iij. & sem.
Fiat syrupus.

Dosis à dragmis quatuor ad sex ante cibum.

Menses potenter educit, obstructiones aperit, interna viscera roborat.

Durat per annum.

Oximel compositum sub nomine Secaniabin de Radicibus Mesua.

℞. Rad. Fœniculi,
Apij,
Petroselini,
Rusci,
Asparagi ana vnc. ij.
Sem. Apij,
Fœniculi, ana vnc. j.
Coquantur in aquæ claræ lib. xij.
aut quantum sufficit; colaturę adde
Aceti acerrimi lib. j.
Mellis despumati lib. ij.
Fiat syrupus secundum artem.

Humores crassos, & pituitosos incidit, extergit, & ob id Iecoris, & Renum obstructiones aperit.

Oximel Scilliticum compositum Mesuę.

℞. Rad. Apij,
Petroselini,
Fœniculi,
Rusci,
Asparagi ana vnc. ij.
Sem. Fœniculi,
Apij ana vnc. j.
Aquæ fontis lib. xij.
Aceti scillitici lib. j.
Omnia hæc macerentur in dicta aqua, & aceto, & coquantur ad consumptionem medietatis; postea colatum cum mellis optimi lib. duabus ad consistentiam perducatur.

Idem præstat, quod Oximel scilliticum simplex, sed valentius.

Syrupus de Calamintha Mesuæ.

℞. Calaminthi domestici,
Calaminthi Syluestris ana vnc. ij.
Sem. Ligustici,
Dauci,
Schœnanthi ana drag. v.
Passularum enucleatarum lib. semis.
Mellis lib. ij.
Aquæ quantum sufficit, coquantur secundum artem.

Asthma, tussim antiquam, intemperiem viscerum frigidam, spleneticos, & senes iuuat.

Duo à Mesue describuntur syrupi de Calamintha; vnus, qui de calamentho maior appellatur, cuius vsus videtur rarus apud aliquos; alter, qui de calamentho minor dicitur, è contra frequentior; apud alios ambo maximo sunt in vsu, & vtrumque debere semper paratum in Pharmacopolis conseruari asserunt; primus hic descriptus, qui syrupus de calamentho maior nuncupatur, quamuis à Mesue obscurè, & concisè preparetur, nihilominus non desunt, qui elegantius, & clarius ad hunc modum componunt.

Accipiunt omnia, & faciunt ea ebullire in sex libris aquę purę vsque ad medietatem, expressum concoquunt cum melle, quod sit aromaticum; vbi non possunt habere mel optimum, loco ipsius accipiunt saccharum, & componunt syrupum secundum artem.

Alter verò syrupus de calamintha minor ad hũc modum à Mesue componitur.

℞. Succi Calaminthæ,
Vini odorati ana lib. iiij.
Succi Malorum Granatorum acidorum cum pulpa sua interiori lib. v.
Coque ad dimidias, & permitte biduo, vt crassum subsideat, & clarum percoquatur in syrupum cum sacchari lib. iiij. Aromatizetur cum Galliæ aromaticæ drag. ij. & in vase vitreo bene obstructo insola per dies quadraginta.

Potest præparari hic syrupus ad hunc modũ: post factam coctionem ad medietatẽ, est permittẽdum, vt ita per duos dies quieta permaneat, quòusque crassum petat fundum; inde accipere oportet quod clarificatum est, & illud concoquẽdum ad perfectionem formę syrupi cum supradictis lib. iiij. sacchari, & cũ duabus drag. galliæ moschatę: syrupus reponendus est in vase vitreo optimè obturato per dies quadraginta ad minus, & certè elegantissimum syrupum habebimus quouis principe dignum.

Hic syrupus magis confortatiuus est virtutis contentiuæ Ventriculi, & viscerum, quarè valet vomitui superfluo à crassa bile nato.

Ambo isti syrupi conueniunt in compescendo vomitu; verum maior compescit vomitum ortum ducentem à pituitosa, seu flegmatica materia; minor verò à biliosa, aut ab vtraque simul mixta.

Differunt vero circa modum vsus; nã syrupus maior temperari solet cum aqua scolopendriæ, aut fillitidis, minor verò linsatur cum aqua menthę, aut absynthij.

Manardus scribit se non agnoscere calaminthum domesticum, quare in syrupo maiori non videtur posse Mesues scribere calamintham syluestrem, & domesticam; verùm domestica esse potest calamintha montana, quæ in hortis seminatur, & dicitur calamentum, altera verò videtur potius esse species calaminthæ, quæ, & mentastrum dicitur; ac proinde vtramque amplexus est Mesues, nempe calamenthum, & mentastrum, quod magis syluestre videtur.

Ioannes Costeus in secundo, nempè in minori, inquirit, quid nomine pulpæ interioris voluerit Mesues; nam dicit accipiendum esse succum malorum granatorum acidorum cum sua pulpa interiori, quod certè obscurum est intellectu, quæ sit pulpa interior succi granatorum.

Hoc igitur in loco videtur potius diuinandum esse, quid sibi velit Mesues, nisi velimus dicere, voluisse intelligere membranas illas, quæ sunt intersita granis ipsorum, quia habent facultatem adstringendi; vel dicendum est, per pulpam internam, granorum voluisse intelligere acinos, qui vbi coquuntur, detracta carne, qua tegebantur, ad vomitum, & ad aluui fluxiones non sunt infirmæ facultatis, quemadmodum etiam vbi exiccantur, & in puluerem rediguntur.

Syrupus de Scolopendria Petri de Tussignano.

℞. Scolopendriæ veræ, idest Citrach,
Linguæ Ceruinæ,
Endiuiæ,
Hepaticæ,
Absynthij,
Cicoreæ ana manip. semis.
Cuscutæ vnc. j.

Quatuor

Quatuor sem. frig. maiorum,
Florum Boraginis,
Florum Buglossæ ana manip. j.
Capillorum veneris,
Rad. Fœniculi,
Petroselini,
Rusci ana manip. semis.
Cum sufficienti quantitate aquæ, & sacchari fiat syrupus secundum artem, & aromatizetur cum sequentibus pulueribus.
℞. Folij drag. ij.
Laccæ,
Spicæ Indicæ,
Cassiæ ligneæ ana drag. ij.
Ligentur in panno lineo, & bulliant in syrupo.
Melius est hos pulueres immergere in decoctione; deinde post colaturam conficere syrupum secundum artem.
Obstructiones Lienis, & Ictcritiā tollit.
Huiusmodi syrupus Tussignani nusquam in vsu est, & à paucissimis descriptus.

Syrupus de Epithymo Mesuæ.

℞. Epithymi drag. xx.
Myrabolanorum citrinorum,
Indorum ana drag. xv.
Cuscutæ,
Fumi terræ ana drag. x.
Thymi,
Buglossę,
Calaminthæ,
Myrabol. emblicorum,
Bellericorum,
Glycyrrhizę,
Polipodij,
Agarici,
Stœchadis ana drag. vj.
Rosarum,
Fœniculi,
Anisi ana drag. ij. & semis.
Prunorum num. xx.
Passularum enucleatarum vnc. iiij.
Tamarindorum vnc. ij. & semis.
Aquæ quantum sufficit
Sacchari albi lib. iiij.
Sapæ lib. ij.
Coquantur secundum artem.
Atram bilē, & alios humores vstos euacuat, ob id morbos ex his nascentes, Elephantiam scilicet, Cancrum, Vlcera maligna fistulosa pręcauet, curatque.
Syrupus hic à Mesue describitur tanquam esset purgatorius, nam inquit, syrupus de epithymo atram bilem, & alios humores vstos euacuat: & Manardus scribit, hunc syrupum multùm conuenire cum syrupo de fumo terræ, sed quòd sit minoris purgationis, & minus calidus; inde addit se vti syrupo de fumo terræ in humoribus magis biliosis, syrupo verò de epithymo, quia calidior est, in humoribus minus calidis.
Idem quasi scribit Siluius, nam inquit, hunc syrupum magis conferre humoribus vstis, quam syrupus fumariæ, quia magis aperit obstructiones, & humores eos potentius apparat, & expellit per aluum, vrinas, sudores; clementer tamen purgat, myrabolanis, fumaria, polipodio prunis, tamarindis, & alijs additis; at quādo datur ad vnc. ij. cum aqua lupuli fumariæ, boraginis, intubi, vel decoctione conueniēti præparat, quod si augeas pondus, hoc est dosim ipsius syrupi, aperte aluum subducit; ita vt, ex huius viri sententia, hic syrupus ad alterandos humores adustos valeat si in pauca dosi offeratur, si vero in multa, videatur esse purgatiuus.

Syrupus de Scordio Mercurialis lib. de febribus cap. de febre maligna.

℞. Flor. Citri,
Rosarum,
Flor. Tormentillæ ana p. ij.
Fol. Scariolæ,
Vincetoxici,
Boraginis,
Acetosæ ana manip. j.
Fol. Melissæ,
Condri ana manip. semis.
Fiat decoctio secundum artem; deinde
℞. Dictæ decoctionis lib. iij.
Succi scordij lib. iiij.
Succi Boraginis lib. semis.
Sacchari optimi quantum sufficit
Fiat syrupus secundum artem, & in fine addantur grana xv. galliæ moschatæ,
Dosis est ab vncia vna ad vncias duas.
Durat per annum.

Hunc syrupum de Scordio Doctissimi Mercurialis hoc in loco describere coactus fui propter aliquos errores contingentes in editione hac facienda, quia iam syruporum historia descripta erat, & sub prælo posita vsque ad mellium compositionem; quoniam vero intentio erat vt syrupi alterantes præcederent in memoriam venit, & huiusmodi syrupus, quem deprauatum etiam ab aliquibus obseruaui. Nam flores nimpheæ additi sunt, & ablati flores tormentillæ, simul, & vincetoxicum, & loco melissę fuit posita pimpinella, quæ omnino aduersatur menti ipsius Auctoris, cuius intentio fuit componere syrupum aduersus febres malignas, & pręsertim Tritęophies, ideo apposuit flores tormētillę, quę omnibus humoribus malignis aduersatur, & febribus pestilentialibus, iisq; pręsertim, quibus manifestātur exhantemata, seu vt appellant, peticulę; ablatum est etiam vince toxicum quod omnibus venenis, tā internis, quam externis ex multorum Medicorum consensu aduersatur; melissa quoque magis conuenit in hoc syrupo quam pimpinella, quia illa Cor hæc verò respicit Renes, & vrinam extrapellit. Quare melius est relinquere syrupum hunc, quemadmodum descripsit idemmet Auctor absque aliqua diminutione, aut alterius rei additione.

Syrupus de Pomis Sabor Regis Macedoniæ, ex Mesue cap. 25. de cura maniæ, & melancholiæ sanguineæ.

℞. Succi Buglossæ domesticæ,
Buglossæ syluestris ana lib. ij.
Succi Pomorū dulciū redolentiū lib. iij.
Foliculorum Senæ vnc. iiij.
Croci drag. ij.
Sacchari tabarzeth lib. iij.

Fiat autem sic. Sena proijciatur in succos per diem, & noctem post contritionē eius, postea bulliat ebullitione vna, vel duabus; deinde cum saccharo fiat syrupus. Crocum autem ligatum in panno in eius decoctione confricetur.

Confert maniæ, & melancholiæ ex adustione coleræ citrinæ.

Syrupus de Pomis Compositus Mesuæ in cap. de soda frigida ab humore melancholico.

℞. Capillorum veneris,
Rad. Buglossæ domesticæ,
Rad. Buglossæ syluestris,
Florum vtriusque Buglossæ,
Polypodij quercini,
Epithymi ana vnc. j.
Foliculorum Senæ,
Calamenthi,
Chamæpithyos,
Stœchados ana drag. vij.
Chamædryos,
Schœnanthi,
Hellebori nigri ana drag. iij.
Fumi terræ vnc. j.
Eupatorij vnc. semis.
Succi Pomorum dulcium vnc. viij.

Omnia, præter flores, epithymum, capillum veneris, & succum pomorū, coquantur in lib. quatuor aquæ ad consumptionem medietatis; deinde bulliant cum ijs ebullitione vna flores, epithymum, & capillus veneris, postea colentur, & cum succo pomorum, & lib. duabus sacchari clarificati fiat syrupus.

Confert sodæ, quartanæ, oppilationi Splenis, & omni ægritudini ab humore melancholico excitatæ.

Ambo isti syrupi dicuntur de pomis compositi; quorum primus hic descriptus refertur Regi Sabor tamquam suo inuentori, siue modo is fuerit Sabor Rex Medorum Sirgi Regis filius, siue fuerit alter Sabor Rex Persarum, parum referre nobis debet: ambo describuntur à Mesue, non quidem in suo Grabadim, seu Antidotario; sed vt apparet, vnus est scriptus in suā praxi cap. 25. de cura maniæ, & melancholiæ; sanguineæ, alter verò ab eo est descriptus in cap. de soda frigida ab humore melancholico, & propriè magis dicitur syrupus de pomis compositus: vtriusque vsus frequentissimus est in Italia.

Calestanus scribit, quòd, & si vterque eandem habeat intentionem, nihilominus ex consilio medicorum præfe-

præferendus sit is, qui Sabor dicitur, eò quod sit maioris efficaciæ in affectibus Cordis, & gustui gratior. vnde Ioannes Renodeus scriptum reliquit, nullum Pharmacopolium tam eximio syrupo carere debere; cuperem ego, & vt Pharmacopei huius Ciuitatis, & Regni semper paratum haberent.

Circa modum compositionis animaduertere debent, vt vbi ipsi hunc syrupum confecerint, quòd primùm Sena parùm trita maceretur per diem naturalem simul cum aniso in succis descriptis, postea semel, aut bis ferueфiat, & coletur; expressio verò iam colata, & clarificata coquatur in syrupum, cum hac animaduersione, quòd crocum non bulliat in decoctione, sed opus est, vt ipsum comminuatur, & concidatur, & in linteum candidum inuoluatur, deinde ipsum in syrupum ponatur, quòusque sit perfectè coctus, & adhuc ipsum in syrupum relinquatur, sic enim melius partes tenues ipsius croci recipit, & etiam melius conseruatur, & hac ratione syrupus perfectior redditur.

Non desunt aliqui, qui in ipsius descriptione accipiunt lib. quatuor aquæ; alij verò sunt qui contenti sunt tribus libris; sed vt inquit Calestanus, neque tres neque quatuor libræ possunt coctionem perfectam complere, neque satis esse possunt pro quantitate sacchari dissoluenda, quia sunt in nimia pauca quantitate; quare melius est onus relinquere Pharmacopœo exercitato, q perfectè nouerit, quæ sit quantitas idonea, tam pro decocto faciendo, quam pro dissoluendo saccharo, syrupumque ad perfectionem reducendo vt artis est. qui igitur componit hunc syrupum vocatum Sabor, potest carere altero, qui dicitur simpliciter de pomis cõpositus, quamuis vnusquisque poterit, & hunc, & alterum componere.

Syrupus Exhilarans Laurentij.

℞. Florum Boraginis,
Buglossi,
Echij ana lib. j. & semis.
Succi Pomorum redolentium lib. ij.
Succi Melissæ vnc. j.
Gran. Tinctorũ (Kermes vulgo) drag. vj.
Croci drag. j.
Spec. Diamarg. frig. drag. i.
Specier. Diambræ scrup. iij.
Sacchari optimi lib. iiij.

In succis depuratis grana Kermes per noctem integram supra cineres calidos macerato, facta deinde forti expressione, saccharum dilutum addito, & secundum artem fiat syrupus. In nodulo tamen telæ lineæ crocum, & species prędictas ligatas in medio syrupum suspendito.

Vim habet eximiam ad roborandos spiritus vitales, & ad Cordis affectus, ac tristitias sine causa nascentes, & ad humoris melancholici malignitatem compescendam.

Dosis ab vncia vna ad duas in aurora, aliquando etiam cum dormitum itur.

Durat per annum.

Syrupus de Pomis cum Sena Quercetani.

℞. Succi de Pomis redolentibus lib. j. sem. huic admisce.
Succorum Citri, vel Limonum, recenter extractorũ, & depuratorum vnc. iiij.
Vel quantum ad aciditatem succo dicto inducendam sufficit: his adde,
Fol. Senæ elect. vnc. ij. semis, vel iij.
Cinnamomi conquassati drag. j.
Flor. Violarum recentium, aut exsiccatarum, & optimè mundatarum pugil. ij.
Florum Buglossæ pugil. j.
Vel eiusdem conseruæ drag. vj.
Macerentur omnia in balneo tepido per duos dies continuos, & aqua ita tingetur in elegantissimum colorem purpureum, & imprægnabitur virtutibus simplicium additorum: deinde fiat omnium colatura, & expressio, addendo
Succi Pomorum redolentium recenter extracti vnc. vj.
Sacchari violati vnc. x.
Omnia probè agitata cum vno, vel duobus albuminibus ouorum clarificentur, dein coquantur ad ignem lentum in consistentiam syrupi: qui & visu iucundissimus, & gustu gratissimus.

Cætera quęuis purgantia, & syrupos huius ordinis, naturæ, & qualitatis præstantia, &

tia, & vtilitate sua facilè superabit: ad huius normā plures alios cōponere licebit.

De Mellibus.

Multæ sunt species mellis arte facti, sed potissimum in vsu sunt quinque istæ differentiæ, nempè.
Mel rosatum,
Mel violatum,
Mel anthosatum,
Mel mercuriale,
Mel passulatum,

Primò Mel Rosatum, quod ita latinè appellatur, Græcè Rhodomel, Arabicè Geleniabin, huius non est vnus parandi modus apud omnes; nam multi conficiendi modi à Mesue, & Nicolao Præposito dantur; nunc igne solo, nunc insolatu, nunc vtroque modo, nunc istorum nullo; sed, vt inquit Renodeus, sola maceratione contenti, parant; aliqui rosas integras, & Sole exiccatas in mel conijciunt; alij non nisi tritas; sunt qui succum tantum; alij, & succum eductum, & simul alias rosas. secundum Mesuem ad hunc modum componitur.

Mel Rosatum.

℞. Foliorum Rosarum in vmbra siccatarum partes duas.
Mellis boni partes vj.
Coquantur quantum oportet, & clementer quidem.

Sunt, vt dicebam, qui, foliorum loco, succi eorum, & mellis portionem ęqualem ponunt, & coquunt; alij foliorum, & succi partem vnam, & dimidiam, mellis partes tres; Magis vsitata præparatio fit iuxta modum iam traditum, postea Soli exponitur, & tertio quoque die mouetur, vt vndequaq; incalescat, etenim si hoc modo paretur, & seruetur, nec coletur, mel rosatum foliatum dicitur si verò calfiat & linteo percoletur, vt fieri solet, mel rosarum colatum nominatur, & maximè quod ex tritis rosis, & melle fit, quod ex duabus partibus, succi nempè, & rosarum exiccatarum, & vna mellis simul coctis ad quartæ partis absumptionem paratur, inter coquendum diligenter amota spuma, id mel medicatum rhodostactum, seu mel rosatum colatum dicitur omni alio liquidius: à Paulo descriptum.

Siluius notat & rectius, ex infusionis multiplicis rosarum recentium, & mellis pari mensura, in syrupi consistentiam mel rosatum colatum coqui, & quò plures sunt infusiones, eò valentius redditur.

Mel rosatum vtrumque in partibus nutritorijs pituitam detergit, coctionemque suo calore modico iuuat.

Ferunt Thomam de Garbo eo cum hac decoctione vsum semper fuisse, nempè,

℞. Passularum,
Anisi,
Glycyrrhizæ,
Capillorum veneris ana vnc. j.
Masticis grana vj.
Fiat decoctio,

Mel Violatum.

℞. Florum violarum lib. j.
Mellis optimi medię ętatis lib. ij.
Misce, & repone in vase vitreo, aut terreo vitreato oris angusti, insola, & vsus tempore percola, & conserua.

In huiusmodi Mellis violati præparatione, sunt, qui terant violas, alij integras, quòd paruulæ admodum sint, melli tepido olla terrea vitriata excepto permiscent, tum per quindecim dies ollam Soli exponunt, alternis diebus rudicula mixturam agitando, postea reponunt, & tempore vtendi, parum aquæ permiscent, parumque elixant, & probè percolant, & ad hunc modum Mel violatum optimum habent; sunt & alij, qui alio modo ipsum pręparant; verum Mesues scribit rectè parari posse vt Mel rosatum.

Hic notandum est, oportere eligere violas parumper exiccatas, vel saltem omni humiditate exhaustas, Mel verò nec recens nimis, nec nimis antiquatum.

Mel violatum ad affectus Thoracis plurimùm valet, ad abstergendum, leniendum, refrigerandum, & roborandum, ob id clysteribus vtiliter, & gargarismatis permiscetur, valetque ad vlcera detergenda.

Mel

Mel Anthosatum.

℞. Florum Rosmarini lib. j.
Mellis optimi benè despumati lib. iij.

Misce in olla vitrea, aut vitriata oris angusti, insola, & serua ad futuros vsus. Huiusmodi Mel Anthosatum dicitur à floribus Rosmarini, qui conditi Dianthos vocantur, quoniam reliquos flores superare videntur, tum quia odore, & sapore præstant, tum etiam quia gratia atque vsu antecedunt.

Cùm Rosmarinus bis in anno floreat, Vere scilicet, & Autumno, bis quoque Mel Anthosatum optimè confici poterit, tunc scilicet, cùm flos illius recens est, & suauissimè flagrat; siccus enim nullius est odoris, & vix vlli vsui accommodatus.

In hoc Melle conficiendo eadem quoque diligentia vtemur, qua in superioribus; abijciendum enim est, quicquid præter foliola summa superest; nam licet flores sapore, odoreque præstent, duriora tamen reliqua sunt, & concoctu difficillima, minusque palato grata.

Notat Costæus Venetijs, vbi Rosmarini florem deterioris conditionis Regio parit, si saccharum ex aqua eorumdem florum stillatitia, vel ex decocto dissoluatur, plurimum illi roboris comparari. Notat etiam Nicenum Dianthos omnium præstantissimum esse.

Mel Anthosatum habet vim cephalicam, neruisque confert: vtiliter admiscetur clyteribus ad lethargum, apoplexiam, & comatosos affectus; frigidas enim intemperies corrigit, flatusque dissipat.

Mel Mercuriale.

℞. Succi Mercurialis lib. iij.
Mellis optimi lib. iiij.

Misceantur, elixentur, & despumentur ad modum syrupi. Huiusmodi Mel nullibi videtur esse in vsu, præterquam in Gallia, & præsertim Parisijs, vbi præsens obseruaui multoties grauissimos Medicos vsos fuisse, & in officinis Pharmacopœorum pro clysteribus paratum seruari semper. Modus ipsum præparandi, aut componendi non omnibus idem est; nam Renodæo auctore, alij sunt, qui plus succi, multi etiam qui æquale vtriusque pondus accipiunt. Mel tamen præponderare est opus, vt præstantius fiat. Potest item parari ex succo Mercurialis maris, & fœminæ; vtraque enim vires habet affines, & huic melli conficiendo cōuenientissimas. Id vnum notat Castor Durãs in suo Herbario capite proprio, quod folia Mercurialis eundum effectum præstent, atque folia Senæ: hinc est, quod clysteres facti ex Melle Mercuriali miram habeant facultatem aluum mouendi. Addit, quod si mulier vtero gerens succum Mercurialis maris bibat, marem pariet: si fœminæ fœminam.

Tempus, in quo Mel huiusmodi parari debet, est à medio Vere ad finē Aestatis; tunc enim plantę succulentiores sunt, earumque qualitates vegetæ, efficaoresque habentur. Mel Mercuriale vix alijs vsibus inseruire potest, quàm clysteribus parandis; nam eorum vim magis abstersoriam, & purgatoriam reddit.

Mel Passulatum.

℞. Passularum ab acinis purgatarum lib. ij. Infunde per viginti quatuor horas in libris sex aquæ calentis, deinde coquantur ad medietatem, & facta forti expressione denuò coquantur ad consistentiam mellis, vel

℞. Colaturæ prædictæ lib. iij.
Mellis despumati lib. ij.

Misce, & coque ad crassitiem syrupi.

Huius compositionis author fuit Mattheus de Gradis, qui primus eam descripsit absque mellis interuētu. Apud Ioannem Renodæum (omnium sanè, & diligentissimum, & doctissimum, qui de materia pharmaceutica scripserūt) duæ reperiuntur descriptiones, vna cum melle, altera absque melle, vt apparet suo loco.

Huiusmodi Mel, quocumque modo ex dictis fiat, palato gratissimum est, habetque vim bechicam, proinde in eclegmatibus quibusdam ingreditur, vt in eclegmate de pino apud Mesuem.

Sunt modò, & alia Mella medicata, vt est Myrtinum, Scylliticum, Anacardinū,

& quod ex Myrobalanis Emblicis paratur, quę cùm in Medicina vel pauci, vel nullius vsus sint, raro parata reperiuntur. Verùm mirari non desino in his partibus Siciliæ, vbi nascuntur Anacardia, nullum hactenus reperisse Pharmacopęum, qui agnouerit id genus Mellis, sicut non amplius admiror, quòd Renodæus scripserit se non vidisse huiusmodi medicamentum, primò quia Anacardia sunt fructus exotici, qui è tam longinqua Regione ad suam, vel raro, vel nunquam transportantur. Deinde, quòd Anacardia deleteria sint. Tertiò propter discrepantiã eorum, qui huiusmodi Mel parant; nam sunt aliqui, qui Anacardiorum decoctum tantùm cum melle feruefaciunt, quousq; mellis spissitudinem acquirat: alij eadem in aceto trita per dies septem macerant, deinde coquunt ad medias vsque, postea cum melle coquunt adhuc in syrupum: alij, qui tantùm Anacardia terunt, & coquunt, donec aqua rubeat, spumamque innatantem colligunt, tanquam mellaginem, atque seruant pro Melle Anacardino. Tandem addit se nolle parari Mel Anacardinum ob eius vires, si non noxias, certè parum vtiles, aut vix sanitati tuendæ, vel resarciendæ conuenientes, quod me iterum in admirationem trahit, cùm Garcias ab Horto lib. de simplicibus ex India allatis cap. 31. scribat Anacardia omni venenositate carere, imo in omnibus Prouincijs Indiarum esse ingentem eorum copiam, pręcipuè in Cananor, in Cambaia, & in Decam, quibus in locis adeo familiaria sunt, vt ijs viridibus vtantur conditis cum sale, & aceto, pro obsonio, non secus atque nos oliuas seruamus, & comedimus. Loco medicamenti etiam habent, si infundantur in sero lactis; nam asthmaticis conferunt valde, & ijs, qui vermes patiũtur. Accusatq; Auicennam idem Garcias hoc loci, quòd lib. 2. c. 41. primus scripserit Anacardia esse venenosa, cum sanè neque experientia talia esse comprobet, neque in Sicilia eiusmodi producantur.

DE MEDICAMENTIS SOLVTIVIS inferioribus partibus adhibendis.

CAPVT III.

EXacta alterantium tractatione dicendorum ordo postulat, vt humorum euacuantia proferamus. Sed cùm in vnum caput ea reijci non possint, in plures classes diuidemus: nam alia per os assumuntur, alia per infernas partes induntur. De primis in sequentibus. De his verò iam nunc agere aggredimur, si primùm dixerimus triplici comprehendi differentia; quarum prima Clysteres sibi vendicat; altera Suppositoria, & globulos, seu nodos: tertia denique quoduis Pessariorum genus. his præhabitis en prima diuisio.

DE CLYSTERIBVS.

Clyster, seu enema, latinis lauamen dicitur, vel etiam ablutio, aut iniectio, quæ variè, componitur, prout affectio requirit. Vt plurimum ex quatuor rebus componi solet, decocto scilicet (quod ius aliquando esse solet) vino, aqua vel mellis, vel marina, vel denique oleo simplici, cui decocto, aut liquori medicamenta purgantia addi solent cum oleo, & sale pro morborũ varietate: interdum etiam mel, saccharum, vitelli ouorum, butyrum, pinguedo, nonnunquam etiam adduntur quædam compositiones medicamentorum, vel pulueres, & alia id genus, quæ magis compositos Clysteres reddunt.

Horum singula certa quadam ponderum ratione permiscentur; nam vt plurimum decocti, vel liquoris libra assumi solet, quæ pro corporis magnitudine, morbi natura, & loco affecto variari solet; in corporibus enim grandioribus,

ribus, & vbi ad tenuia intestina pertingere volumus, aut ad diluendum paramus, ad sesquilibram transcendimus: at in mulieribus vtero gerentibus, in doloribus colicis, in vetris plenitudine, in pueris, & vbi diutiùs retineri cupimus, infra subsistimus, ad libitum medici curantis, Porrò medicamentorum purgantium quantitas Clysteribus addenda, ad duplum eorum, quæ ore capiuntur, assumi potest, siue simplicia, siue composita sint; quamuis pro virium ratione, morborumque vehementia eandem quandoque variare soleamus; nam in febribus, in debilibus, in conualescentibus, in intestinorũ mordicationibus, minor dosis assumenda est; in apopleticis verò, & grauibus capitis affectibus, & in coxendicum doloribus maior quidem imperanda venit.

Pro dosi verò olei, tres vnciæ plus minus sufficiunt: pinguedinis, mellis, aut sacchari ab vnc. j. ad vnc. ij. vitelli verò ouorum assumũtur ad numerum duorum, vel triũ; pulueres rarò trãscẽdunt vnc. semis: sal verò à drachma vna vsque ad duas; electuariorum, aut conseruarum, vel vnguentorum esto ad vnc. j. vel circa; butyri denique, & succi herbarum pro arbitrio medici operantis.

Decoctum autem pro Clystere (cùm non assumimus ius) vt plurimùm fit ex rebus, quas remollitiuas appellant, vt sunt
Malua,
Bismalua, siue Althæa,
Violaria,
Parietaria,
Mercurialis,
Acantha, seu Branca vrsina,
Beta,
In quo decocto is ordo seruandus erit, vt primò radices, deinde semina, tertiò folia, & postremò flores ferueant. Eoque vtimur ad hæc, quæ sequuntur.

1. Ad molliendã aluum duritia cohibitã.
2. Ad irritandam eiusdem vim excretoriam sopitam.
3. Ad vacuandos humores quoscunque.
4. Ad ventositates carminandas.
5. Ad dolores sedandos.
6. Ad adstringendam aluum.
7. Ad tergenda intestinorum vlcera.
8. Ad consolidanda eadem.
9. Ad inflammationem intestinorum, & partium adnexarum mitigandam.

Clyster mollitiuus.

℞. Quatuor remollitiuorum,
Parietariæ ana manip. j.
Radicum Althæe,
Liliorum alborum ana vnc. j.
Sem. Lini,
Fœnugræci,
Anisi ana vnc. semis.
Ficuum pinguium numero quatuor.
Fiat decoctio ad lib. vnam, in colatura dissolue.
Cassiæ fistulæ,
Mellis violati,
Butyri recentis ana vnc. j.
Olei violati vnc. iij.
Fiat Clyster.

Alter mollitiuus prædictis desicientibus.

℞. Olei tepefacti libram vnam, fiat Clyster, vel sic.
℞. Olei,
Butyri recentis ana lib. semis.
Fiat Clyster.

Clyster irritans vim intestinorum sopitam.

℞. Quatuor remollitiuorum ana manip. j.
Sem. Carthami vnc. j.
Anisi,
Fœniculi,
Carui ana drach. iij.
Fiat decoctio, & in colaturæ lib. vna dissolue.
Hieræ simplicis, aut
Benedictæ laxatiuæ, aut
Diaphœnici, aut
Electuarij de succo Rosarum, vel
Electuarij Indi maioris, ab vnc. sem. ad vnciam vnam.
Mellis despumati, vel
Succi Squillæ vnc. j. vel
Salis communis drach. ij. vel
Salis gemmæ scrup. j. aut drach. sem.
Clysteribus additur à nonnullis vncia j. succi Betæ ad aluum stimulandã, vel succi eiusdẽ Betæ, & caulium ana vnc. sem.

Salis cōmunis drach. ij. vel drach. j. & ſc. Vt tamen Clyſter ſit minus mordax, ſi quodam pondere prematur æger, ſalis quantitas pro ſenſu ægri facili, vel difficili augeatur, aut diminuatur.

Inſuper ſit Clyſter irritans excretoriam facultatem optimè ex ſolo melle, vel melle cum ſucco ſquillæ, aut ali quo decocto.

Quòd ſi virtus expultrix cum duritie ſimul ſit torpida, & ſopita, tunc fiat Clyſter partim ex remollitiuis, partim ex irritantibus.

Clyſter euacuans humores biliosos.

Si autem bilioſus humor, & mordens ſit educendus, tunc Clyſter fit ex euacuantibus eum, quibus addenda ſunt, quæ inflammationem leniunt, vt

℞. Maluæ,
Biſmaluæ,
Violariæ,
Parietariæ,
Endiuiæ,
Cichorij,
Lactucæ,
Portulacæ ana manip. j.
Si multa opus ſit frigiditate,
Quatuor ſeminum frigidorum maiorum conquaſſatorũ ana drach. iij. vel vnc. ſ.
Hordei integri pug. j.
Fiat decoctio ad lib. j. in colat. diſſolue
Caſſiæ fiſtulæ,
Sacchari communis ana vnc. j.
Vitellum oui vnum, vel duos.
Olei Roſati, vel
Violati, vel
Communis vnc. j.
Fiat Clyſter.

Clyſter vacuans humores craſſos, & frigidos.

Clyſteres, qui vacuandis humoribus fiunt, variantur penes humorum differentias; quare ſi humor fuerit craſſus, frigidus, afficiens inteſtina, fiet ſic.

℞. Quatuor remollitiuorum ana manip. j.
Chamomillæ,
Summitatum Anethi,
Origani,
Calaminthæ,
Abrotani ana manip. ſemis.
Aniſi,
Carui,
Cumini,
Ameos,
Seſeleos ana vnc. ſemis.
Baccarum Lauri,
Sem. Rutæ ana drach. ij.
Fiat decoctio, in colatura diſſolue
Catholici,
Diaphœnici ana vnc. ſemis. vel
Diaphœnici, vel
Benedictæ, drach. vj. vel
amborum ana vnc. ſemis.
Sacchari rubri,
Mellis Anthoſati, ſi habeatur, ſin minus duplicetur mel ana drach. iij. vel vnc. ſ.
Olei Anethi,
Chamomillæ ana vnc. ſemis. vel
Rutæ vnc. j.
Anethi vnc. ij. vel
Liliorum vnc. ij.
Fiat Clyſter; ſi ventoſitas adſit, adde carminatiua; ſi dolor, anodina, vt poſtea exemplis patebit.

Clyſter humorem melancholicum euacuans.

℞. Quatuor remollitiuorum,
Foliorum Bugloſſæ,
Borraginis,
Summitatum Anethi,
Lupuli,
Fumiterræ,
Meliloti,
Chamomillæ ana manip. j.
Sem. Carthami,
Radicis Polypodij Quercini ana vnc. j.
Aniſi,
Fœniculi ana vnc. ſemis.
Fiat decoctio, in colatura diſſolue
Hieræ Picræ Gal. vel
Confectionis Hamech. vnc. ſemis, vel
Catholici vnc. j.
Sacchari rubri, vel
Mellis Roſati, vel
Violati, vnc. vnam.
Olei Anethi,
Liliorum,
Violarum ana vnc. vnam.
Fiat Clyſter.

Clyster ad discutiendas ventositates.

℞. Maluæ,
Bismaluæ,
Parietariæ,
Origani,
Calaminthæ,
Chamomillæ,
Summit. Anethi ana manip. ß.
Anisi,
Carui,
Cumini,
Fœniculi ana vnc. semis, vel drach. vj.
Baccarum Lauri drach. iij. vel vnc. semis.
Sem. Rutæ drach. ij. vel iij.
Fiat decoctio, in colatura dissolue
Benedictæ, vel
Diaphœnici, vel
Electuarij Indi maioris vnc. semis.
Confectionis de baccis Lauri drach. iij. vel vnc. semis.
Sacchari rubri vnc. j.
Olei Anethi,
Chamomillæ,
Rutæ ana vnc. j.
Fiat Clyster.

Hisce Clysteribus ad discutiendas ventositates Oleum Nucum salubriter imponitur; imo ex ipso solo parari possunt; quibus insuper vinum Maluaticum, Galeno Cretense dictum, rectè aliquando miscetur.

Signa flatuum, contentorum in intestinis sunt frequentes crepitus, qui fiunt, quoties in intestinis rumpuntur bullæ: fit autem bulla, vt docet Galenus particula secunda aphor, aphorismo. Strangulati nondum mortui, &c. ex aere clauso cum humore.

Clyster ad dolores sedandos.

Doloris sedandi gratia multifariam fit Clyster. Si causa sit humor calidus, erodens, paretur eodē modo, vt descripsimus ad euacuandos humores biliosos: si frigidus; sicut adductum est in exemplo ad expellendos crassos, crudosq; humores: si denique à flatibus, quemadmodum vtimur ad discutiendas ventositates. Quòd si ex pluribus fortè causis procedat dolor, componatur & Clyster ex pluribus, quæ contrariantur eisdem causis. Verùm, vbi doloris causa non satis constat, sic fiat.

℞. Florum Chamomillæ,
Meliloti,
Summit. Anethi ana pug. ij.
Fiat decoctio in lacte, in colatura dissolue.
Sacchari albi vnc. j. & semis.
Quia rubrum mordax est, & stimulans.
Vitellos ouorum ij.
Olei Anethi,
Chamomillæ ana vnc. j.
Fiat Clyster; vel sic.

℞. Olei Chamomillæ,
Anethi,
Violati ana drach. iij.

Fiat iniectio per Clysterem, vbi autem talibus oleis caremus, fiat ex Oleo oliuarum ad vnc. sex, vel lib. j.

Clyster adstringens.

℞. Lactis vstulati lib. j.
Amyli, siue Amydi vnc. semis, vel j. ad summum
Gummi Arabici, vel
Tragacanthi, vel
amborum parum vstulatorū à drach. semis. ad drach. j. vel drach. ij.
Boli Armeniæ,
Sanguinis draconis ana drach. ij.
Olei Rosati,
Chamomillæ ana vnc. j. & semis.
Fiat Clyster.

Si verò calidus humor erodens in intestinis reperiatur, talis Clyster fit.

℞. Succorum Plantaginis, seu
Arnoglossi,
Centinodiæ,
Portulacæ, depuratorum.

(depurantur autem coctione, aut residentia) omnium, vel vnius horum, quantum sufficit pro Clystere; addendo aliquid è pulueribus prædictis, cumque prędictis oleis fiat Clyster.

Item vbi necessitas adest, tunc Clysteres fieri possunt ex decoctis illarum herbarum, vel ex aquis distillatitijs earundem, addendo aquam rosatam. vt

℞. Aquarum Arnoglossi, idest
Plantaginis,

Rosarum,
Portulacæ,
Centinodiæ,
Quod sufficit, & dissolue aliqua ex prædictis.

Notandum, quod in prædictis decoctionibus quandoque adduntur semina, & fructus stiptici; modò acetositate careant, quia tunc pungerent, & irritarent. Possumus igitur immiscere nonnulla horum
Sem. Myrti,
Acetosæ,
Portulacæ,
Plantaginis,
Nucis Cupressi, Hipposelini, idest Caudæ Equinæ, & similium.

Notandum insuper, olea nunquam imponenda Clysteribus, si intestina vlcerata sint; vt in dysenteria vera: quamuis multi id negligant ignorantes oleum esse vlceribus inimicum, vt tradit Galenus 3. & 4. Meth. vinum verò maximè amicum.
Adstringunt præterea coagula
Leporis, vel
Hædi ad drach. ij.
Sorborum,
Prunellorum,
Mespilorum,
Cydoniorum ana vnc. ij. plus minus.

Clyster intestinorum vlcera detergens.

℞. Hordei integri pug. ij.
Rosarum rubearum,
Chamomillæ (si dolor adsit.)
Plantaginis ana pug. j.
Fiat decoctio, in colatura dissolue
Mellis Rosati,
Vitellum vnius, vel duorum ouorum,
Fiat Clyster.

Eiusmodi Clyster inijciendus est semper ante adstringentes, & consolidantes, cuius rei ratio in promptu est.

Clyster consolidans vlcera.

Clyster consolidans fit, vbi tunicæ intestinorum non excernuntur, quia hoc est lethale, & ideo non est opus Clystere, sed sufficit prognosticum.
℞. Succi Plantaginis, seu
Arnoglossi ana vnc. iij.
Portulacæ,
Boli Armeniæ ana drach. j. & semis.
Sanguinis draconis,
Amyli ana vnc. j. s.
Seui hircini, vel
caprini vnc. ij.
Et fiat Clyster.

Quia verò seuum hircinum probè dissolui non potest, sed ferè semper concrescit intra intestina ægrorum, ideo potest, & debet dissolui cum modico olei rosati, cùm inde nullus esse possit metus, vt exasperentur vlcera.

Item vnguenta consolidantia, vt est album, quandoque in Clysteribus immiscentur, maximè si vlcera sunt vicina, videlicet in crassioribus intestinis.

Ex lacte etiam loco succorum probè fiunt Clysteres ob partem eius casealem, quæ adstringit, & consolidat: nonnunquam & in his, & in adstringentibus Clysteribus vitelli ouorum ad duritiem coctorum dissoluuntur.

Clyster intestinorum inflammationem leniens.

℞. Lactucæ,
Scariolæ,
Rostri porcini ana manip. j.
Florum Salicis,
Violarum,
Nenupharis ana pug. j.
Fiat decoctio ad lib. j.
In colatura dissoluatur
Cassiæ fistulæ vnc. j.
Olei violati
Nenupharis ana vnc. j. & semis.
Camphoræ scrup. j.
Fiat Clyster.

DE SVPPOSITORIIS.

Suppositorium est remedium solidum, oblongum, & rotundum, quod ano inditur, vt sphincterem irritet, & facultatem expultricem incitet ad vacuationem excrementorum.

Vtimur Suppositorio tribus maximè de causis. Prima est stercoris educendi gratia, quod cum in recto intestino exi-

ſtat clyſterem non requirit. Secunda, quando vnus, vel duo clyſteres priùs iniecti non redeunt, vt in colicis doloribus accidit; quo in caſu clyſteres alios indere periculoſum eſſet. Tertia eſt propter ægri imbecillitatem, qui multò faciliùs glandem, quàm clyſterem admittit.

Fieri conſueuit ex melle cocto tantiſper, dum concreſcat, & inſpiſſetur; cui nonnunquam ſal communis admiſcetur, ſal gemmæ, ſtercus muris, agaricum, vel hiera ſimplex, ſi magis volumus ſtimulare, & irritare.

Suppoſitorium ad excludendas inteſtinorum fæces.

℞. Suppoſitorium ex melle: quod ſi debilius exiſtimas, quàm vt fæces mouere poſſit, fiat hoc modo.

℞. Suppoſitorium commune ex melle acutum cum
Salis communis drach. j. & ſemis. vel
Salis gemmæ ſcrup. ſemis. vel
Stercoris muris. ſcrup. ſemis. vel
Pulueris hieræ ſimplicis ſcrup. j. vel drach. ſemis.

Fiunt etiam Suppoſitoria ex
Sapone albo,
Seuo,
Larido,
Candela,
Caule Betæ, vel
Mercurialis, aut earum radiculis
Melle perunctis, aut intinctis in oleo, & reſperſis ſale puluerizato, maximè pro pueris, & infantibus, quibus & ſalis grumus inditus ſufficit.

Suppoſitorium ad lumbricos.

℞. Thymi, vel
Cyclaminis, vel
Abſynthij, vel
Abrotani triti in mortario drach. j. vel drach. j. & ſemis.
Mellis cocti quantum ſufficit, & fiat Suppoſitorium.

Valēt, & Suppoſitoria ad paralyſim, ex
Pyrethro,
Pipere,
Napi,
Centaurio,
Bitumine,
Panacis radice,
Hyſſopo, &
Galbano mixtis cum reſina ſicca, aut pice, & cera.

Suppoſitorium ſit longum digitos ſex, vel ſeptem, vel octo; ſitque rotundum. Suppoſitorio non vtimur in hæmorrhoidibus, & reliquis ani tumoribus.

DE NODVLIS.

Noduli, qui ab Aetio κρόσσεται dicuntur, conueniunt his, qui rhagadas, aut condylomata in ano habent; hæc enim glandium duritie irritantur, quamobrem cogimur floccis eorum loco vti: eſt enim Suppoſitorij materia eadem, quæ & glādis, quę trita cū melle, & flocco excepta inditur intra anum. Eſt autem is nodulus optimus, & ſuauiſſimus, qui ex ſale, & vitello oui in panno, aut lana exceptis in formam fabæ fingitur, & mittitur in anum filo appēſus, vt poſſit extrahi. Apud medicos Neapolitanos in vſu eſt nodulus rotūdus, albus, qui fit ex rebus valde ſoluentibus, vt eſt turbith, colocynthis, diagridium, & huiuſmodi, & poteſt fieri ad hunc modum.

℞. Turbith
Colocynthidis,
Cumini,
Aniſorum,
Foliorum Rutæ ana partes æquales.

Fiat puluis ſubtiliſſimus, & cum ſaccharo formentur Suppoſitoria ad formam paruæ pilæ,

Vel ſic.

℞. Roſ. rub.
Spicæ.
Abſynthij,
Croci,
Epithymi,
Violarum,
Agarici,
Turbith,
Colocynthidis,
Aloes Socotorinæ ana drach. iij.

Fiat puluis ſubtiliſſimus, formenturque pilæ. Omniū præſtātiſſimus eſt iſte nodus.

℞. Amyli, vnc. j.

Colo-

Colocynthidis drach. iij.
Diagridij drag. ij.
Sacchari ad pondus omnium, fiat puluis subtilissimus, & cum mucilagine tragacãthi formentur pilæ paruæ: sed huiusmodi pilæ, prout Sactenus obseruaui, parum vtilitatis afferunt.

DE PESSARIIS.

Pessarium est medicamentum, quod molli lana, aut gossipio, aut alia simili re exceptum intra mulierum pudenda conditur. Figura est simile suppositorio, nisi quod longius, & crassius construitur, eò quia in vterum immitti debet. Vnde licet eiusmodi medicamentum commune videatur tam viris, quàm mulieribus, harum nihilominus est magis proprium. Materia ex qua fieri consueuit multiplex est, vt
Cera, aut
Pannus, aut
Bambacium, aut
Linamentum
Illita primùm vnguento, vel medicamento aliquo, quod conducat curationi, mox inuoluta serico, filoque appensa, vt faciliùs educi possit, inseritur.

Imponitur quandoque ano, nec non & vtero ad vtriusq; sedandas inflammationes, & vlcera: plerunque verò vtero ad menses prouocandos, & secundinas expellendas, vel ad sistendum immodicum menstruorum profluuium, vel etiam ad emolliendam duritiem vteri, ac reliquos eiusdem morbos profligandum. De varia Pessariorum materia diximus nonnihil in Miscellaneis Decade decima, quæstione vltima.

Pessarium ad inflammationem.

℞. Pessarium ex quauis prædictarum materierum confecto, inungatur Vnguento Rosaceo, & inseratur in locum affectum. Additur quandoque parum opij, cùm scilicet inflammatio est adeo magna, vt dolorem molestum inducat. Aduertendum enim est, quod opium sua excedente frigiditate partes obstupefarit; quare eius quantitas Pessario apponenda debet esse à semiscrupulo ad scrupulum vnum ad summum; & exiguo tempore retineri, hoc est per dimidium horæ, ne pars læsa, cùm sit neruosa, & membramosa, plus detrimenti, quàm vtilitatis consequatur.

Pessarium ad exsiccanda vlcera.

℞. Pessarium vt supra, immergatur in Vnguento Pompholygos, & inseratur in anum, aut vuluam vlceribus correptam.

Pessarium ad euocandos menses.

Pessaria pro euocandis mensibus aliter fiunt; medicamenta enim excipiuntur panno serico, tenui, & raro, & configurantur ea magnitudine, vt viri penem adæquent. vt
℞. Hierę Picrę compos. vnc. j.
Euphorbij,
Pulpę Colocynthidos ana scrup. semis.
Misce, & fiat Pessarium, quod vngatur Oleo Nardino, vel succo herbarum menses prouocantium.

Aliud ad educendos menses.

Fiunt preterea Pessaria ex herbis contusis menstrua subducentibus, vt
℞. Mercurialis, vel
Nepitę, vel
Artemisię, vel
Abrotani manip. semis.
Terantur, & inuoluantur in panno serico; & fiat Pessarium applicandũ, vt supra.

Si menstrua induruerint cum tumore, & dolore, fiat priùs balneum emolliens, & humectans, ac simul subducatur aluus, & exoneretur vesica; nam matrix inter illas interposita iacet, quæ si oppletæ sint, & matricem comprimant, sunt impedimento, quo minus menses, aut lochia profluere possint.

Pessarium ad menstruorum profluuium.

Quòd si immoderatiùs menstrua promanent.
Pessarium sic fiat.
℞. Pessarium immersum in Vnguento Comitissæ, & inseratur intra matricem,
Vel sic

Vel sic

℞. Plantaginis, vel
Centinodiæ, vel
Rubi, vel
Myrti, vel
Alterius plantæ menstrua sua natura cohibentis manip. semis.

Teratur, & inuoluatur in panno serico, atque eo modo, vt supra dictum est, & ex arte Pessarium componatur.

Pessarium ad vteri duritiem.

Pessi emollientes fieri possunt ex
Medulla vitulina,
Ceruina,
Resina,
Terebinthina,
Adipe anserino,
Suillo, &
Gummi Ammoniaco dissoluto in aqua.

DE SYRVPIS SOLVTIVIS.

CAPVT IIII.

Qvàm breuissimè formulas aliquot soluentium medicamentorum, quæ locis inferioribus applicari consueuerunt, hactenus exhibuimus, vt deinceps fusa magis oratione, quæ per os assumpta corpus ab excrementis euacuant, in medium produceremus. Cum autem ea, quibus solutiua hęc facultas inest, trifariam ab assumendi modo discernantur, quis profectò ambigit, in totidem etiam capita seorsim diuidere operæpretium esse? Sunt enim ex euacuantibus pharmacis alia sub forma prorsus fluida, & potabili; nonnulla non ita fluida, sed nec prorsus solida, sed molliusculè configurata; aliaque omninò solida, & in paruas pilulas redacta. De fluidis igitur hoc capite tractabimus, quæ ferè syruporum purgantium nomine cōtinentur: reliquis ad subsequentia reseruatis. De hac eadem materia quamplurima annis pręteritis conscripsimus Decade Octaua Miscellaneorum Medicinalium, quæ omnia huc transferre nos haudquaquam, pigebit addentes pręterea pleraque alia, quæ ad vberiorem doctrinam vtillima fore videbantur.

DE SYRVPIS BILEM educentibus.

Iam verò ad Syrupos Solutiuos nobis accedentibus primùm sese cōsiderandus offert ille notissimus, qui ex Rosis Pallidis, seu Damascenis fieri consueuit. Quāuis autem Ioannes Renodæus lib. 1. Antidotarij cap. 5. scribat paucissimos ex Syrupis facultatem soluendi obtinuisse, & si aliqui habeant, satis lenem, & ignauam sortitos esse, atque ita potiùs præparatorios, quàm euacuantes appellandos esse: nihilominus experientia fulti apertissimè asserimus quamplurimos syrupos præter illos tam ex Rosarum infusione, quàm ex succo confectos inter soluentia medicamenta connumerandos esse.

Syrupus Rosatus solutiuus ex succo.

Syrupus igitur ex succo Rosarum, hac ratione præparari solet.

Accipiantur Rosæ, vt decet præparatæ, dentur prælo, & valdè exprimantur, extrahaturque succus, cui vbi depuratus fuerit, adiungatur Saccharum pro quavis libra succi ad vnc. viij. & fiat syrupus secundùm artem.

Syrupus Rosatus solutiuus ex infusionibus.

Syrupus Rosatus ex infusionibus, qui Muccharum appellatur, ad hunc conficitur modum.

℞. Foliorum Rosf. Damasc. recent. lib. xxx. & macerentur horis 24. in lib. centum aquæ claræ feruentissimæ in vase terreo vitriato stricti oris, & multotis infusio reperatur ad nouem, & vsque ad decem

vices, coletur, & cum Sacchɑro fiat Syrupus, vt artis est; quamuis huiusmodi Syrupus pluribus modis præparetur pro diuersitate, & vsu Ciuitatum, & Pharmacopæorum.

Syrupus Rosatus solutiuus Montani.

Syrupus Rosatus solutiuus compositus Montani, vnus cum elleboro, alter verò sine elleboro describitur. Non est in vsu, quamuis fuerit adscriptus illi.

Ioseph Quercetanus vir maximè industrius lib. Pharmacop. dogm. tract. de Syrupis docet modum quo, Syrupus omnis retinere possit proprium odorem, saporem, & colorem: vt exempli gratia, si fiat ex Rosis remaneat sapor, odor, & color Rosarum, & sic de reliquis.

At huiusmodi præparatio, quam proponit, valdè laboriosa, & prolixa est, nec sanè sine magno dispendio conficitur à nostris Pharmacopæis.

Syrupus Rosatus solutiuus Quercetani.

Attamen in Syrupo rosato elegantius faciendo ipse ad hunc scribit modum.

℞. Huius materiæ crasso solum modo depuratæ vncias xvj. adde Sacchari vncias viij. vel x. deinde more communi decoque, & excellentem habebis Syrupum, qui ad vnciam vnam tantùm exhibitus plus operabitur, quàm vulgari modo paratus, licet ad vncias duas, vel tres exhibeatur, vt mos est apud nostros.

Syrupus solutiuus simplex.

Syrupus solutiuus simplex, qui Syrupus Violatus nuncupatur, fit vt Syrupus Rosatus ex infusionibus.

Syrupus Cichorij cum Rhabarbaro Nicoli.

Inter compositos educentes bilem est Syrupus de Cichorio cum Rhabarbaro Nicoli, qui ita præparatur.

℞. Endiuiæ domesticæ,
Syluestris,
Cichorij hortensis,
Syluestris ana manip. ij.
Cicerbitæ,
Hepaticæ,
Lactucæ domesticæ
Scariolæ,
Fumi terræ,
Lupulorum ana manip. j.
Hordei integri,
Halicacabi ana vnc. ij.
Glycyrrhizæ,
Aspleni, idest Cetrach,
Cuscutæ,
Polytrici,
Capillorum Veneris,
Adianthi ana drach. vj.
Rad. Fœniculi,
Asparagi,
Apij ana vnc. ij.
Coque in sufficienti aqua, cola, cum saccharo clarificato rursus colatum percoque in syrupum, confricando in eius libris singulis Rhabarbari electi drach. iiij. pāno raro ligati, vna cum Spicę Nardi scrup. quatuor.

Syrupus de Cichorio Gulielmi.

℞. Foliorum Cichorij manip. j.
Florum Borraginis,
Lactucarum,
Florum Violarum,
Intybi Satiui,
Buglossi,
Oxalidis, idest Acetosæ,
Gregulæ, seu
Battiseculæ, idest
Cyani minoris ana manip. semis.
Coque in lib. iij. aquæ; ad consumptionem tertię partis, cola, post adde sacchari lib. ij. his igne dissolutis iterum cola, & ab igne demoue, imponendo Rhabarbari electi linteo raro ligati drac. duas, & inter coquendum sæpè exprimatur.

Syrupus de Rhabarbaro Augustanorum.

Alter Syrupus de Rhabarbaro in Pharmacopæa Augustana descriptus habetur hoc modo.

℞. Rhabarbari optimi vnc. ij. & semis.
Foliorum Senæ vnc. j. & semis.

Florum

Florum Violarum manip. j.
Cinnamomi drach. j. & semis.
Zingiberis drach. semis.
Aquarum Bettonicæ,
Cichorij,
Buglossi ana lib. j. & semis.

Fiat omnium infusio per noctem, ebullitione, & expressione facta decoque colaturam in syrupum cum saccharo quantum sufficit addendo
Syrupi Laxatiui vnc. iiij.

Hic Syrupus multùm commendatur, quòd valenter vtramque bilem deturbat, & citra molestiam: in pueris, & delicatulis aluum subducit.

Syrupus solutiuus ex succis.

Syrupus de succis frequens Messanæ, & quo doctissimus Costęus olim Bononię (ni fallor) vtebatur, ita describitur.

℞. Succi vtriusque Endiuiæ,
vtriusque Cichorij,
Polypodij Quercini,
Eupatorij,
Scariolæ,
Cetrach,
Hepaticæ,
Borraginis ana lib. j.
Bulliant, & despumentur secundùm artem addendo
Capillorum Veneris,
Florum Bettonicæ,
Pimpinellæ,
Florum Cordialium ana pug. j.
Quinque Radicum Aperitiuarum ana vnc. vnam, & semis.
Comarum Absynthij num. quinque.
Polypodij Quercini,
Foliorum Senę Oriẽt. ana vnc. j. & semis.

Præstantior, magisque purgatiuus redditur, si Polypodium, & Sena in duplicata dosi recipiatur. Scito, quod Polypodium contundi debet, & ebulliri; Sena verò infundi sine ebullitione, aut saltẽ exigua.

Fiat omnium decoctio secundùm artem, coletur addendo sacchari quantùm sufficit, & fiat Syrupus, qui aromatizetur cũ specierum Aromatici Rosati, & trium Santalorum ana scrup. j. deinde fiat infusio Rhabarbari optimi pro qualibet libra decocti drach. iij. & tandem conficiatur cum saccharo Syrupus secundùm artem.

Syrupus ex succo Persicorum Fontanoni.

℞. Succi Persicorum non absolutè maturorum lib. iiij.
Coque lento prunarum igne ad dimidias, sed sine, vt fæces subsideant, coletur, & colaturæ adde
Succi malorum Punicorum acidorum vnc. vj.
Sacchari albi lib. iij.

Coque in syrupum, clarificetur, & aromatizetur cum drach. iij. Santali Moscolini, vt suauiori odore redoleat.

Pulcherrimus sanè hic Syrupus est, & à suo Authore in hunc finem compositus, vt purget bilem, nihilominus vix soluit, nisi illi addatur Rhabarbarum, quod pro quauis colaturæ libra addendum ad minus ad vnc. ij. tunc enim solutiuus, & moderatè quidem fiet.

Dosis præhabitorum Syruporum hæc est. Vt Rosatus tam ex succo, quàm ex infusionibus nec non & Violatus; ab vnc. vj. ad viij. exhibeatur. Illi de Cichorio cum Rhabarb. ad summum ad vnc. vj. Qui ex succis componitur vel ad vij. sicut & ille ex succo Persicorum.

DE SYRVPIS PVRGANtibus pituitam.

Mel Rosatum solutiuum simplex.

INter phlegmagoga adest primò Mel Rosatũ ex viiij. infusionibus, cuius prę-parationis modus est; vt fiat Rosarũ infusio per horas octo, vel decem, vel duodecim in vase fictili vitriato angusti oris, benè obturato: deinde colentur Rosę, exprimantur, & abijciantur, rursusque eidem infusioni calefactæ eadem quantitas Rosarum addatur, & sicut priùs macerentur; atque hoc repetatur nouies, decies, vel etiam duodecies, pro vt magis, & minus solutiuam volueris decoctionem.

Mel Violatum solutiuum.

Adest etiam, & Mel violatum ex infusionibus, quæ fieri debent eadem ratione.

Mel Rosatum solutiuum cum Agarico.

Inter syrupos pituitam euacuantes, enumeratur meritò Mel Rosatum solutiuum cum Agarico à Bertaldo descriptũ.

℞. Infusionis Rof. solutiuæ lib. viiij.
Agarici albi vnc. vj.
Mechiocan vnc. j. & semis.
Zingiberis vnc. j.
Infundantur horis duodecim, & facta leui ebullitione colentur, & colaturę adde
Mellis optimi, despumati lib. viij.
Coquantur secundùm artem.

Syrupus de Hermodactylis Nicolai.

℞. Quinque Radicum ana vnc. j.
Sem. quatuor frig. ma. ana vnc. j. & semis.
Hyssopi,
Capillorum Veneris,
Aspleni, idest Citrach ana manip. semis.
Violarum manip. j. & semis.
Florum Rosmarini,
Borraginis ana manip. j. & semis.
Cyperi drach. iij.
Chamomillæ drach. ij.
Passularum vnc. j.
Senæ vnc. ij.
Hermodactylorum,
Cuscutæ ana vnc. semis.
Anisi,
Fœniculi,
Cari ana drach. ij. & semis.
Polypodij vnc. iij.
Agarici drach. ij.
Coquantur in aquæ lib. tribus, & colaturæ adde
Sacchari albi lib. j. & semis.
Rosarum vnc. j.
Rhabarbari drach. iiij. & semis.
Turbit drach. iij.
Hæc tenuissimè trita, & in panno ligata, suspendes in syrupo cocto S. A.

Sed in his Syrupis, in quibus Rhabarbarum infundendum esse scribitur alligatum in linteo nodulo, longè melius est, si pluries exprimatur, postquam in aliquã partem decoctionis immersum fuerit Huius rei ratio est, quia quamuis linteus sit rarissimus, nihilominus ob crassitiem syrupi virtus Rhabarbari substantiam illius ingredi minimè potest.

Syrupus de Fumo terræ maior.

℞. Myrobalanorum Citrinorum,
Chebulorum ana drach. xx.
Florum Borraginis,
Violarum,
Absynthij,
Cuscutæ ana vnc. j.
Glycyrrhizæ,
Rosarum ana vnc. semis.
Epithymi,
Polypodij ana drach. vij.
Prunorum num. centum.
Passularum enucleat. lib. semis.
Pulpæ Tamarindorum,
Floris Cassiæ ana vnc. ij.
Coque omnia præter Cassiam, & Tamarindos in lib. decem aquæ fontis ad lib. septem, deinde cum Cassia, & Tamarindis adde
Succi Fumi terræ cocti, & purgati,
Sacchari albi ana lib. iij.
Fiat syrupus secundùm artem.
Educit etiam bilem vstam, ventriculum, & hepar roborat.

Syrupus de Bryonia.

Hic Syrupus dupliciter præparari solet; sed magis vsitatus est ille, quem ad hunc modum descripsit Mesues.

℞. Succi Bryoniæ vnc. v.
Aquæ decoct. Origani,
Hyssopi sicci,
Libystici,
Seselios,
Cardamomi,
Stœchados ana drach. j.
Sapæ,
Vuarum passarum ana lib. semis.
Mellis lib. ij.
Et fiat syrupus secundùm artem.

Dosis horum Syruporum non est semper eadem; quandoque enim Mel Rosatum solutiuum datur ad vncias quatuor, & hoc vt plurimùm; aliquando etiam exhibetur ad vncias sex pro ratione morbi, roboris, virtutis, & aliarum circumstãtiarum. Syrupus de Fumo terrę

cùm

cùm faciat ad præparandos humores, & ad purgandum, si præparandum est, datur ab vncia vna vsque ad duas; si verò purgandum ab vncijs tribus ad quinque, vel etiam sex: id quod supra animaduersum est, vbi loquebamur de Syrupo Epithymi, & de Fumo terræ. Syrupus de Hermodactylis Nicolai datur ab vncijs duabus ad quatuor pro arbitrio Medici curantis. Mel Rosatum solutiuum cum Agarico ab vncijs duabus ad tres propinari tutò potest, & in his partibus etiam ad vnc. iiij. Syrupus de Bryonia dosim habet diuersam; nam ex Mesue non trascendit vncias duas, quod idem dicendum est de Oxymelle solutiuo eiusdem.

DE SYRVPIS MELANCHOLIAM DUCENTIBUS.

Syrupi melancholiam purgantes, inter quos primus est, qui in officinis quibusdam hic habetur, sunt sequentes.

Syrupus ad Melancholiam magistralis.

℞. Capillorum Veneris,
Lupulorum,
Fumi terræ,
Scolopendriæ,
Foliorum Senæ orient. ana man. j. & sem.
Rad. Glycyrrhizæ,
Buglossi,
Borraginis,
Rhapontici,
Polypodij Quercini ana vnc. j. & semis.
Sem. Anisorum,
Santalorum omnium,
Cinnamomi ana drach. iij.
Bulliant secundùm artem in lib. vj. aquæ fontis ad consumptionem tertiæ partis, auferatur ab igne, coletur, & in secunda parte colaturę infunde foliorum Senę Orientalis vnc. viij. in vase stricti oris per horas vigintiquatuor, addendo syrupi Rosati ex nouem infusionibus lib. ij. & cum sacchâro albo quantum sufficit fiat syrupus.

Sed si vis me verum fateri, etiam si in officinis eiusmodi syrupus sit valdè frequens, duo tamen sunt, quæ, mea sententia, castigatione egent: Vnum est dosis Senæ, quæ non potest substineri à duabus lib. aquæ; nam satis essent vnciæ duæ, vel tãtumdem Syrupi Rosati ex nouem infusionibus. Aliud, quod non prorsus arridet, est Senæ decoctio; nam potius deberet poni infusa solùm; ita vt cum saccharo quantum sufficit, fieret Syrupus secundùm artem.

Syrupus de Senæ Bertaldi.

Sequũtur deinde aliquot Syrupi de Sena, ex quibus placet illa descriptio, quam affert Bertaldus in suo Apparatu Medicamentorum ad hunc modum.

℞. Foliorum Senæ orient. lib. j.
Folliculorum eiusdem vnc. iij.
Corticum Capparum vnc. ij.
Polypodij Quercini vnc. iiij.
Thymi,
Epithymi ana manip. j.
Anisorum vnc. j.
Fœniculi,
Seselios ana drach. iij.
Trium Florum Cordialium ana pug. j.
Aquarum cordialium temperatarum ana quantùm sufficit.

Macerentur horis vigintiquatuor in vitreo vase fictili, stricti orificij, & mane facta colatura adde sacchari lib. iij. & semis. coquantur ad iustam crassitiem.

Syrupus de Polypodio Bononiensium.

Non prętermittendi sunt hoc loco syrupi de Polypodio; nam eorum vsus est satis frequens vbique; verùm ille, quem vsurpant Medici Messanenses, discrepat ab eo, quo vtuntur Bononienses. Licet antem in Antidotario Bononiensi haud vnica habeatur illius descriptio, sed triplex, vna tamen est in vsu, & est sequens.

℞. Polypodij Quercini lib. j.
Passularum lib. semis.
Aquæ communis lib. xij.
Misce; & bulliant ad consumptionem lib. iiij. deinde adde
Acori, vel eius loco
Calami Aromatici crasso modo contusi drach. x.
Sem. Fœniculi contusorum vnc. j. & sem.

Cinna-

Cinnamomi crasso modo contusi vnc. se.
Bulliant vna ebullitione, & statim in hoc decocto infunde per horas xxiiij.
Foliorum Senæ Orient. lib. vj.
Epithymi vnc. j.
Postmodum coletur cum forti expressione, & colato adde
Sacchari lib. v.
Bulliat ad syrupi consistentiam, & in fine ebullitionis adde
Rhabarbari subtilis. puluerizati (magis placet in talleolas diuisi) vnc. semis, & decoctum quod sequitur.

℞. Succi Borraginis,
Rosarum,
Myrobalanorum Citrinorum,
Chebulorum,
Indorum ana vnc. j. & semis.

Myrobalani crasso modo contusi infundatur in prædictis succis per horas vigintiquatuor; deinde bulliant vna ebullitione, & colentur, fiatque Syrupus secundùm artem.

Syrupus de Polypodio, qui & Mirachinus dicitur.

Hic Syrupus, & sequens habentur in eodem Antidotario Bononiensi.

℞. Polypodij Quercini drach. x.
Melissæ,
Buglossi ana manip. semis.
Cyperi,
Corticum rad. Capparum,
Acori,
Asari ana vnc. semis.
Senæ,
Epithymi,
Lactucæ,
Endiuiæ,
Scariolæ ana vnc. j. & semis.
Coquantur in aqua secundùm artem, & colaturæ adde.
Mellis Rosati colati lib. j. & fiat syrupus.

Humores crassos, & lentos digerit, & vacuat, bilem atram, & pituitam crassam, & lentam purgat, etiam à iuncturis.

Syrupus de Polypodio solutiuus.

℞. Polypodij Quercini vnc. vj.
Contundantur crasso modo, & bulliant in aquæ fontis lib. vj. ad medietatem, cui adde
Fœniculi drach. ij.
Calami Aromatici vnc. semis.

Et iterum parum bulliant, & colentur.

Myrobalan. Citrinorum,
Indorum,
Chebulorum ana drach. x.
Contundantur, & per noctem infundantur in
Succi Rosarum,
Borraginis ana vnc. vj.
Et bulliat cum supradicto colato parum, & in fine adde
Foliorum Senæ Orient. vnc. iij.
Passularum vnc. ij.
Bulliat, & iterum coletur, & cum lib. duabus sacchari boni fiat Syrupus secundùm artem.

Supradictos humores fœliciter, & sine molestia educit.

Syrupus de Polypodio Messanensium.

Ille, qui circumfertur per officinas Messanenses, dictus syrupus de Polypodio magistralis, sic componitur plerumque.

℞. Polypodij recentis lib. ij.
Infundantur in lib. vigintiquatuor aquæ fontis per diem naturalem.
Rhapontici,
Glycyrrhizæ,
Passularum ana vnc. ij.
Anisorum,
Fœniculi ana drach. ij.
Foliorum Senæ,
Epithymi,
Corticum Myrobalanorum omnium ana vnc. j.
Lupulorum,
Fumi terræ,
Florum Cordialium ana manip. j. & sem.
Contundantur contundenda, & bulliant secundùm artem, & colentur, in quibus adde.
Succi Fumi terræ,
Lupulorum ana lib. semis.
Sacchari optimi clarificati lib. x.

Et fiat syrupus secundùm artem.

Hic syrupus valet quidem, sed per se non potest esse efficax, nisi augeatur dosis Senæ: at magis

næ: at magis solutiuus est superior.

Dosis prædictorum syruporum est ab vncijs quatuor vsque ad sex, qui eandem ferè obtinent facultatem, nimirum euacuandi humores è toto corpore crassos, & melancholicos naturales.

Syrupus de Sena Matthioli.

Habetur etiam inter Syrupos melancholiam expellentes ille de Sena Matthioli, qui adeo mihi probatur, vt libenter ipsum cum reliquis descripserim; videtur enim primas partes obtinere, & componitur hoc modo.

℞. Adianthi,
Lupi salictarij,
Fumariæ,
Aspleni,
Senæ ana manip. iij.
Rad. Centaurij magni,
Glycyrrhizæ,
Filiculæ, idest,
Polypodij Quercini,
Borraginis,
Buglossi ana vnc. iiij.
Sem. Anisi,
Melanthij,
Florum Borraginis,
Buglossi,
Santalorum omnium,
Cinnamomi ana drach. v.

Omnia decoquantur in libris viginti aquæ purissimæ vsque ad tertias, colentur, deinde
℞. Senæ præstantissimæ lib. ij.
Conijcito in vas fictile oris angusti, demum percolatum decoctum feruens super imponito, ac supra obturato fictilis ore puluinare plumis farcto, ignique prius calefacto fictili inuoluito, & loco calido collocato, & ita per diem, ac noctem reponito; postridie verò manibus Sena premitur, mox dilutum percolatur, cui adijciuntur diluti Rosarum efficaciter aluum subducentis lib. sex; sacchari lib. octo efferuescant, deinde simul subiecto igni quousque tertia pars euanescat, quo facto additur electissimi Rhabarbari minutim concisi vnc vnam; ac iterum ferueant omnia, donec Iulapij modo consistat liquor; postremo percolatur linteolo, & vase vitreo reconditur.

Cuperem huiusmodi syrupum esse apud omnes Pharmacopeos, quia seruatur per annum, & quamuis non seruaretur, potest quocunque tempore componi. Cæteris omnibus efficacior est, & solus egregiè purgat absque aliorum medicamentorum auxilio.

Syrupus D. Augustini Suessani.

Est & Syrupus D. Augustini Suessani, qui duobus modis descriptus circumfertur, & primò à Bertaldo ad hunc modum.

℞. Rhapontici,
Myrobalanorum Citrinorum,
Folliculorum Senæ,
Epithymi ana vnc. j. & semis.
Polypodij Quercini lib. semis.
Fumi terræ,
Lupulorum ana manip. iij.
Vuarum passarum mundatarum,
Glycyrrhizæ Rasæ ana vnc. j.
Florum Borraginis,
Buglossi,
Violarum ana manip. iij.
Aquæ fontis quantum sufficit, fiat decoctio secundùm artem, & facta colatura adde
Rhabarbari optimi,
Agarici electi ana drach. vij.
Diagridij drach. v.
Succorum depuratorum Lupuli;
Fumariæ,
Borraginis,
Buglossi ana lib. j.
Sacchari albi lib. v.

Saccharum clarificetur cum succis, & reliqua coquantur in syrupum semper exprimendo manibus Agaricum cum reliquis linteolo ligatis, deinde reponantur in syrupum.

Syrupus D. Augustini alio modo descriptus.

Alia descriptio huius Syrupi habetur apud Pharmacopæos Messanenses, & est, quæ sequitur.

℞. Polypodij Quercini lib. ij.
Contunde, deinde infunde in lib. xxiiij.

aquæ purissimæ per diem naturalem.
Ligni Sancti vnc. iij. & drach. vj.
Cort. eiusdem subt. pulu. vnc. semis.
Passularum enucleatarum vnc. iij.
Rhapontici recentis,
Rhabarbari,
Glycyrrhizæ rasæ ana vnc. j.
Anisi,
Fœniculi ana vnc. semis.
Cort. Myrobalanorum omniū ana vnc. j.
Foliorum Senæ,
Epithymi ana vnc. semis.
Iuæ Arthericæ,
Lupulorum,
Fumi terræ ana vnc. semis.
Florum Cordialium ana manip. j.
Contundantur contundenda, bulliant, & fiat decoctio secundùm artem, coletur, & fortiter exprimatur, cui adde sacchari depurati quantum sufficit, fiat syrupus secundùm artem, aromatizetur cum Ambra trochiscata.

Isti sunt Syrupi ad melancholiam extra corpus educendam satis apti, quorum dosis eadem ferè est omnium, nisi quod postremi, qui circumferuntur sub nomine Augustini Niphi Suessani, validiores sunt, & dosis ipsorum à quatuor vncijs ad sex, quæ verò de Sena simplices dicti sūt, non requirunt minorem dosim sex vnciarum, si soli offerantur. Hic notandum, quod syrupus Suessani vltimo loco descriptus est efficacior ad luem veneream curandam.

DE SYRVPIS HVMORES mixtos extrahentibus.

Sunt modo alij Syrupi, qui dicuntur purgare humores mixtos, inter quos est ille, quem describit Andernacus loco præcitato, est autem eius compositio ad hunc modum.

Syrupus Dianieu Andernaci.

℞. Adianti,
Hyssopi,
Thymi,
Origani,
Chamædryos,
Chamæpityos,
Scolopendriæ,
Buglossi ana manip. semis.
Cuscutæ,
Vesicariæ ana vnc. j.
Rad. Angelicæ,
Glycyrrhizæ,
Fœniculi,
Apij,
Asparagi ana vnc. j.
Corticum Tamaricis vnc. semis.
Polypodij vnc. j. & semis.
Sem. Anisi,
Fœniculi,
Ammeos,
Dauci ana vnc. j.
Cnici, hoc est sem. Carthami contusi vnc. iij. & semis.
Passularum enucleatarum vnc. ij.
Decoquantur in aqua ad tertias, colentur addendo.
Senæ Orientalis vnc. j. & semis.
In iure decocto per noctem macerentur: ad hæc
Agarici trochiscati vnc. semis.
Zingiberis drach. j.
Rhabarbari drach. vj.
Hæc sequenti die colentur, valideque exprimantur, postea
Sacchari albissimi lib. j.
Viol. Solutiui,
Acetosi Simplicis ana vnc. ij.
Misce, atque iterum modicè coquantur donec satis spissescat.

Syrupus compositus Argenterij.

Addamus hic Syrupum compositum ex Argenterio, qui valet ad omnes humores extra corpus educendos, & fit ad hunc modum.

Infus. Ros. solutiuarum modernorū. lib. j.
Foliorum Senæ Orient. mundatorū lib. j.
Polpoydij Quercini vnc. viij.
Seminis Anisorum vnc. j.
Florum Violarum pug. iiij.
Thymi,
Epithymi ana vnc. j.
Horis duodecim in vase vitreo stricti orificij macerentur: deinde facto leui tantùm feruore, & colatura; adde iterum in dicta infusione percolata
Rhabarbari electi vnc. j. & semis.

coquan-

Agarici optimi vnc. iij.
Cinnamomi,
Zingiberis ana drach. iij.
Macera horis octo in dicto percolato, deinde facta ebullitione, & colatura cum libris sex sacchari vnius cocturæ percoquantur in syrupum.

Syrupus Rosatus compositus cum Sena, & Agarico.

Ad eandem intentionem componendum curaui illum Syrupum, cui nomen imposui Syrupi Rosati cum Sena, & Agarico, quem, cùm sit facilis præparationis, & perbellè expurget corpus ab humoribus mixtis, vt sæpissimè expertus sum, hic describere libuit.

℞. Succi Rosarum solut. recentis lib. vij.
Agarici electi,
Foliorum Senę ana vnc. vj.
Zingiberis vnc. j.
Floris Tartari,
Cinnamomi ana vnc. semis.
Misce,&infundantur omnia in vasevitreo per vigintiquatuor horas: posteabulliant secundùm artem in Balneo Mariæ benè obturato orificio, coletur, & in colatura dissolue sacchari optimi, quantum sufficit, & fiat Syrupus.

Syrupus Hydragogus Bertældi.

Habes iam syrupos omnes solutiuos à multis authoribus probatos, quibus omni cacochymię tam simplici, quàm compositæ satisfacere potes. Restat solùm describendus aliquis syrupus, qui Hydragogus sit, hoc est purgans humores aqueos, inter quos est ille Bertaldi ad hunc modum descriptus.

℞. Succi Radicum Ebuli per residentiam depurati lib. ij.
Ireos similiter purificati lib. j.
Gratiolæ,
Absynthij,
Centaurij minoris,
Rosarum Rubrarum,
Eupatorij ana vnc. iij.
Rhabarbari optimi sine cortice vnc. j. & semis.
Rhabarbari Albi vnc. ij. & semis.
Soldanellæ,
Thymelææ ana vnc. j.
Seminum depuratorum Sambuci,
Ebuli ana vnc. j.
Granorum Lathyridis numero xxxxx.
Cinnamomi drach. vj.
Galangæ,
Laccæ præparatæ ana drach. ij.
Spicæ Nardi,
Scordij,
Cyperi,
Nardi Celticæ,
Aristolochiæ vtriusque ana drach. ij.
Schœnanthos,
Zedoariæ,
Piperis Albi,
Macis,
Mastiches ana drach. j.
Croci scrup. iiij.
Macerentur tribus diebus canicularibus in vase vitreo stricti orificij: Deinde bulliant in balneo Mariæ ad tertias, & aqua, quæ euaporabit arte ex elambicis vitreis reponatur: deinde residuum decocti linteolo percolatur, & in colatura adde
Sacchari Albi,
Mellis Hispanici ana lib. ij.
Bulliant iterum lento igne ad spissitudinem: quo facto adde aquam, quam collegisti ex decocto, & iterum bulliant vna, aut altera ebullitione, & repone: cum drach. quinque elaterij opt. pul.

Dosis huius Syrupi est à drach. sex ad sesqui vnciam, per se, vel cum aqua, seu diluto aliquo appropriato.

Syrupus de Eryngio.

Ab eodem Bertaldo describitur Syrupus de Eryngio, qui per renes, & vreteres aquam educit ad vesicam, & canalem communem, ischuriam, dysuriam, & stranguriam sedans:arenulas idem à renibus exturbat, vesicamque mundificat, quare vrinæ cruciatus lenit, & sæpè lapides frangit: componitur hoc modo.

℞. Radicum Eryngij vnc. vj.
Graminis vnc. iij.
Eryngij Stellati,
Chrysantemi ana vnc. ij.
Glycyrrhizæ,
Ononidis ana vnc. j.

Granorum Halicacabi paria xxv.
Sebest en vnc. iij.
Quatuor Sem. Frig. maiorum vnc. ij.
minorum,
Florum Violarum,
Maluarum ana pug. j.
Aquæ corticis Fabarum,
Parietariæ,
Saxifragiæ ana quantum sufficit.
Coquantur secundùm artem, & facta colatura adde
Sacchari Candi Violati lib. iij.
Succi Limonum lib. j.
Coquantur iterum secundùm artem.
Dosis huius Syrupi est ab vncijs tribus ad vncias quatuor.

Modus rectè componẽdi additur à Stecchino ad hunc modum, vt ingredientia recentia (quantum fieri potest) eligantur, radicibus minutim incisis, & alijs contusis, primò coquatur Radix Ononidis, deinde alię Radices, & vbi coctæ fuerint, addenda sunt Sebesten, & in fine Semina. Deinde fiat fermentatio, & facta forti expressione adiungatur saccharum, & fiat syrupus, cui, vbi redactus fuerit ad cocturam, adiungatur Succus Limonum optimè purificatus, & seruetur.

Et hæc breuiter dicta sufficiant de Syrupis solutiuis.

DE ELECTVARIIS SOLVTIVIS

CAPVT V.

A liquidis, seu fluidis ad minus mollia, & aliquantulum consistentia fit transitus. Sub illorum classe syrupos comprehendimus: in genere verò non prorsus fluxibilium, nec omninò solidorum Electuaria complectimur, de quibus hoc capite erit tractatio. Electuarium autem soluens, licet multoties sit medicamentum, quod ægrotantibus in formam boli redactum offeratur: nihilominus longè pluries vel aquis, vel decoctis, aut infusionibus eliquatum, & syrupis commixtum iuxta opportunitatis exigentiam, vt potus propinari consueuit. Atque eius non vnica est differentia; nam aliud in lenitiuorum soluentium specie aptè accomodari potest, vt pote quod aut primas tantùm vias repurgat, aut ex intestinis solas fæces exturbet, vnde ecoproticũ à Græcis nomen assumpsit: aliud inter cathartica, seu electiuè purgantia adnumeratur, vel quòd noxios humores etiam à longinquis nostri corporis partibus, vel quòd non quoscunque, sed determinatè aliquem ex ijs alliciat, forasque propellat. Atque hinc factum est, vt vnum cholagogum, hoc phlegmagogum, illudque melanagogum appellatum fuerit, pro diuersitate scilicet humoris, quem vnumquodque sua peculiari virtute proripit, & educit. Verum ferè nullum experientia compertum habemus, vni tantùm humori ita esse dicatum, vt vel alium quempiam simul non attrahat; quamuis minimè dubium insit, vno excepto, reliquos humores non primariò, sed consequenter deijcere solitum esse. Item liquidò constat alterum vni, alterum alteri parti esse proportionatum; quare inducta est illa distinctio, vt hoc capiti, illud hepati, vel ventriculo, pro vt est affectio, tribuatur.

Cæterùm componitur eiusmodi præsidium ex quouis medicamentorum purgantium, vna cum suis corrigentibus, & adiuuantibus, melle, aut saccharo exceptis. Quoniam verò ingredientia, antequam hisce dulcioribus subigantur, in puluerem, vel in massam reduci oportet, hæc est seruanda norma, vt illorum pars vna apponatur, mellis verò, aut sacchari quatuor ferè recipiantur. Quorum omnium recta, & diligens mixtio fieri debet; nam si negligentiùs misceantur, vsu venit, vt species in vna Electuarij parte conglobentur (id quod maximè verendum, vbi diagridium habetur) in alia vix communicentur, vnde ægris pernicies, Medico, & Pharmacopæo indelebilis interdum

terdum ignominia suboriri poterit.

Tempus exhibendi ægrotantibus electuaria multiplex assignatur; in principijs enim morborum lenitiua tantùm concedenda esse didicimus à medicinæ coryphæis; cocta verò materia morbifica cathartici vtimur, licet nonnumquam necessitate coacti, vel cruda existente (dummodo turgeat) offerre consueuimus. Particulare autem tempus matutinum plerumque esto sub auroram, id quod in fortioribus præcipuè obseruandum, cùm lenientia, quæ vel in alimentum vertuntur, satis sit, si duabus, vel tribus ante prandium horis assumantur. Non desunt tamen, qui paulò ante accessionem febrilem purgantia medicamenta offerant, quamuis id rarò contingat.

DE ELECTVARIIS Cholagogis.

IN syruporum tractatione hūc seruauimus ordinem, vt primò eos, qui bilem educunt, in medium produceremus, mox pituitam, deinde melancholiam, demum mistos, & serosos humores extrahentes: hunc eundem retinemus in hoc capite: accedit igitur primum ex his omnibus.

Electuarium Rosatum Mesuæ.

℞. Succi Rosarum Rubearum completarum lib. iiij.
Sacchari Tabarzet. lib. j. & semis.
Mannæ vnc. vj.
Scammonij Antiocheni præparati vnc. j. & semis.
Coquantur omnia cum facilitate ad ignem lentum ad mellis consistentiam, deinde projce super illud
Trochisc. de Spodio,
Galliæ,
Croci ana drach. ij.
Trochiscorum de Berberis drach. iiij.
Educit humores biliosos, valetque arthritidi calidæ, cephalalgiæ calidæ, vertigini, oculorum dolori, & ictero.
Datur ad drach. v. aut vj.
Integris viribus seruatur ad annos duos, aut ad summum ad menses triginta.

Electuarium de Succo Rosarum Nicol. Alex.

℞. Succi Rosarum Rubearum,
Sacchari ana lib. j. & vnc. iiij.
Santalorum Alborum,
Citrinorum,
Rubeorum ana drach. vj.
Spodij drach. vj.
Diagridij drach. xij.
Camphoræ scrup. j.
Coquatur saccharum cum succo Rosarum ad mellis consistentiam, deinde reliqua trita adijciantur, & fiat Electuarium.

Expellit citra molestiam, flauam bilem, morbisque articulorum ex biliosis, & calidis humoribus natis, febribusque tertianis confert.

Datur à drach. tribus ad quatuor; & annos duos seruatur.

Laurentius Ioubertus in suo Antidotario classe prima cap. de Elect. Rosf. Mesuæ scriptum reliquit Electuarium Rosatum Mesuæ, & Electuarium de Succo Rosarum Nicolai tantam inter se habere affinitatem, atque similitudinem, vt qui vnum habet compositum, alio facili carere possit. Huius sententiam probare videtur Ioannes Renodæus; nam in suo Antidot. tractans de Electuar. Rosf. Mesuæ, ne verbum quidem habet, sed proponēs Electuarium de Succo Rosarum suo modo reformatum, dicit se à Recentioribus illud variè consutum, & malè concinnatum recepisse, cum in eo alia sint, quæ pondere maiori ponantur, quàm conueniat, alia minori, & alia inepte admixta fuerint. Et primo cùm a Nicolao Authore ponantur in compositione saccharum, & succus Rosarum, vtrumque ad libram vnam, & vncias quatuor, scribit quantitatem succi Rosarum non debere esse parem quantitati sacchari, sed sufficit accipere lib. j. succi, & sacchari lib. j. cum dimidio; siquidem hoc modo faciliùs concoquentur in Syrupum, & in Electuarium reducentur. Santala verò omnia, cùm singula sint accepta ad drachmas sex, ita vt omnium dosis sit vnciarum duarum, & vnius quartæ, vult, vt vniuscuiusque dosis

fit ad vnc. ſemis, atq; ita minuit omnium doſim ad drach. vj. Addit corticum Citri, ſeu corticis Citri ſicci drachmam j. cuius nulla habetur mentio in Electuario de ſucco Roſarum Nicolai. Reliquit caphuram intactam prorſus, & tollit de Diagridio drachmam vnam; & hoc modo vult fieri confectionem, ſeu Electuarium in tabellas cõcinnatum, quarum ſingulæ pendeant drachmam vnam, & ſemis, aut ad ſummum drachmas duas. Verùm idem Renodæus ſe excuſat, quòd in hoc Electuario multa immutauerit, dicens ſe id non feciſſe oſtentationis cauſa, vt videretur immutare vetera, aut noua promulgare, ſed tantùm vt ea, quæ præter rationem videbantur, auferret. Vnicuique enim, inquit, philoſophari conceſſum eſt, & de rebus cognitis ſententiam ferrè. Attamen ſi rectè coſideremus omnia, quæ ablata ſunt, id factum fuiſſe abſque ratione probabili comperiemus; nam inprimis imminuendum eſſe ſuccum, vt faciliùs redigatur in Electuarium, falſum eſt, quia ex ea portione ſacchari, & ſucci poteſt ſecundùm artem fieri, vt à ſcriptoribus, qui à Nicolao illud tranſcripſerunt, probatum facilè apparet. Item in omnibus officinis præparatur cũ ſucco Roſarum, & ſaccharo in æqua portione aſſumptis, quo modo eſt in continuo vſu, nec vllum inde ſequitur detrimentum. Præterea Renodæus cenſet ex diminutione ſucci, & auctione ſacchari Electuarium hoc non reddi minus efficax, ſiue ad purgandum, ſiue ad roborandum (vt dicit ipſe) cùm tamen dicendum fuiſſet inualidius fieri, quia operatio eius prouenit à ſucco, tanquam à baſi, quare cùm non reddat rationem huius emendationis, non videtur ea admittenda. Detraxit tiam ab hoc Electuario Nicolai mediam vnciam Santalorum addens corticis Citri drachmam vnam, vt magis valeret ad putredinem arcendam, & membra vitalia recreanda: diminuit præterea doſim Diagridij, quod eſt præcipuum adiuuans baſim huius medicamenti. Hæc ſingula ſi rectè perpendamus, videbimus ob huiuſmodi Renodæi caſtigatiõe reddi Electuarium ineptum prorſus illi intentioni, propter quam Author id compoſuit; nã totum tranſtulit in naturam alterius Electuarij. Verùm maximè probo pro Spodio non eſſe ſubſtituendum Ebur, ſicut non probo loco Eboris ponendam eſſe maſtichen, vt ipſe vult: ſed de Spodio fuſiùs pertractatum à me eſt primo capite in annotatione ſyrupi de plantagine Arnaldi Villanouenſis. Ex his concludo aduerſus Renodæum, & Ioubertum hæc duo Electuaria, neceſſariò eſſe componenda, & in officinis ſeruanda, vt pote inter ſe diſtincta, quod apparet tam ex componentibus, quàm ex operatione, quam faciunt, vt vnicuique naturam vtriuſq; conſideranti apparere poterit. Hinc Burgarucius in diſcurſu, quẽ habet de Electuario Roſato Nicolai dicit cauendum eſſe, ne hæc duo Electuaria ſimul confundantur, quod euenire poteſt, ob nomen commune, quod habent ambo, & admonet Medicos, vt in ordinatione diſtinguant nomen vniuſcuiuſque, ſicut rationi conſonum eſt; nam in Electuario Roſato Meſuæ in vnaquaque vncia adſunt grana decem, & nouem Scammonij, in alio de ſucco Roſarum Nicolai adſunt pro quauis vncia grana triginta, hoc eſt ſemidrachma, ex quibus habetur non eſſe inter ſeſe ſimilia, nec ratione operationis, nec ratione compoſitionis.

Doſis à drach. iij. ad drach. vj.

Conſeruatur per annos duos.

Electuarium de Pſyllio Meſuæ.

Electuarium de Pſyllio duplex eſt, alterum deſcriptum à Meſuę, alterum à Montagnana, quæ viribus, & compoſitione nõ parum inter ſe differunt: primùm de illo, quod à Meſue deſcribitur, tractabimus, eo quòd morbis bilioſis expurgandis valeat, deinde de alio Montagnanæ ſuo loco, nempe vbi afferemus medicamenta educentia craſſos humores, primum igitur deſcribitur ad hunc modum.

℞. Succi Bugloſſi Domeſticæ,
Syluestris,
Succi Endiuiæ,
Apij, ana lib. ij.
Coquantur, & deſpumentur, & proijce ſuper ipſos
Cuſcutæ,

Aniſi,

Anisi,
Folliculorum Senæ ana vnc. semis.
Capillorum Veneris manip. j.
Succi Fumi terræ vnc. iij.
Asari drach. iiij.
Spicæ drach. ij.
Dimitte die, ac nocte, deinde bulliant bullitione vna, & super ea proijciantur
Violarum viridium, vel siccarum vnc. iij.
Epithymi vnc. ij.
Et bulliant adhuc ebullitione vna, deinde coletur totum, exprimatur, & in colatura ponantur.
Psyllij vnc. iij.
Et dimittatur per diem, ac noctem omni hora agitãdo illud cum spathula, deinde exprimatur viscositas eius tota, cuius viscositatis accipiantur libræ quatuor, & proijciantur super eam
Sacchari albi lib. ij. & semis.
Scammonij cocti in pomo vnc. iij. & semis.
Et coquantur cum facilitate. Post quam verò coctũ fuerit, proijciantur super ipsũ
Pulueris Trochisc. Diarrhod.
Trochisc. de Spodio Mesuæ,
Trochisc. Rhabarbari ana vnc. j.
Pulueris Trochisc. de Berberis vnc. sem.
Fiat Electuarium secundùm artem, quod vocatur ab Hamech Electuarium de Trochiscis

Bilem euocat, febribus ardentibus, & curatu difficilibus auxiliatur, dolori capitis, & vertigini ab euaporationibus biliosorum humorum procreatis, morbo regio, & iecori supra modum calefacto confert.
Dosis à drachmis tribus ad drachmas vj.
Conserua per annos duos.
Ioannes Renodæus hoc loco videtur sibi ascribere huius Electuarij à Mesuæ descripti reformationem; inquit enim à multis commendari materiam huius Electuarij simul congestam, sed à paucis laudari simplicium, quibus constat, proportionem, & vix à duobus eadem probatur conficiendi ratio. Sed cùm videam descriptionem Mesuę ab omnibus probari, relictis Renodęi verbis inutilibus, illius descriptionem hoc loco cõtexere volui, At Obijcit sibi Renodæus, cur sit, quòd Mesues tantam quãtitatem Psyllij in hoc Electuario posuerit, cùm non careat venenata qualitate, Respondetque, & dubiè quidem, forsan illi euenisse, sicut alijs Authoribus multis, quibus nonnunquam aliquid præcipitanter effluit, quod postea sapientiores facti castigant, immutãtque. Sed non rectè (mea quidem opinione) animaduertit Renodæus naturam Psyllij, quæ duobus modis consideratur, vel respectu medullæ, vel corticis: medulla omni procul dubio non caret venenosa qualitate, at cortex minimè, quare in hoc medicamento à Mesuæ non ponitur medulla, sed cortex quia ab ipso extrahitur mucilago, quæ est ipsius veluti basis.

Deinde dico id, quod animaduertit Albertus Stecchinus Pharmacopæus satis doctus, & exercitatus, nempe semina Psyllij non esse ebullienda, eo quòd Author non requirit ab ipso semine Psyllij, nisi facultatem frigidam, quæ continetur in superficie ipsius, proinde calor nimius attraheret facultatem, quæ est in medulla ipsius seminis ad superficiem, misceereturque cum alijs rebus, hæc autem, cùm sit calida in quarto, esset aduersus Authoris intentionem.

Semen Psyllij, quando maturum est, assimilatur pulici, duplicem habens substantiam, non secus atque tota planta, externam, & internam: interna est calidę, & siccæ naturæ vsque ad quartum gradum, & ideo non caret venenositate, quin exylceratiua est, & corrosiua, exterior verò est frigida, quæ sola requiritur in hoc formando Electuario, quod quidem iudico rarius esse faciendum, & nisi à Pharmacopæo valde perito, & docto, cùm alia dentur Electuaria eandem facultatem habentia, & absq; vllo periculo.

Electuarium de Citro solutiuum.

Huius pulcherrimi medicamenti nolui pręterire descriptionem, quod est valde vtile in febribus continuis, quę triteophies dicuntur, & tertianis exquisitis. Huius duę traduntur descriptiones, antiqua vna, quam referunt Stephano cuidam Arnaldo, quam Guido à Gauliaco celebrat tract. tertio, Doctrina prima, cap. secundo:

cundo: altera à Renodeo describitur libro secũdo sui Antidotarij, capite tertio. Vbi iactat se, quòd huiusmodi Electuarium antiquum à magistro Stephano inuentum, & à Guido celebratum castigatius reddiderit, cùm singula purgantia auxerit, nempe vniuscuiusq; dosim duplicauerit, vt Senæ, Turbit, Diagridij. Verùm non modò auxit dosim purgantium medicamentorum, sed etiam alterantium, ita vt videatur aliud Electuarium constituisse diuersæ facultatis.

Sed quamuis Renodæus dicat se castigatius reddidisse hoc Electuarium, nihilominus antiqua descriptio, & moderatior est in soluendo, & magis temperata in actiuis qualitatibus: quandoquidem in recenti videtur magis vigere solutiua facultas, quia pro quauis vncia totius Electuarij, adest solutiuorum drachma vna, & grana quindecim, ita vt cum dosis ipsius erit vncia semis, aderunt solutiuorum trigintaseptem, & semis: in antiqua verò erunt trigintaduo, & semis grana solutiuorum. Quare magis solutiua est recens, quàm antiqua, & sic in soluendo moderatior hæc, quàm illa.

Neque adeo calida est antiqua, sicut recens descriptio, ratio est, quia in recenti castigata à Renodæo adsunt quatuor drachmę corticum Citri conditi, in antiqua verò adest vnica drachma, quarę sequitur ex his, vt & in soluendo moderatior antiqua, quàm recens huius Electuarij descriptio, nec nõ temperatior sit, atque meritò mihi magis probetur antiquum, quàm istud nouum, quod castigasse Renodæus profitetur.

Descriptio pantiqua hæc est.

℞. Conseruæ Violarum,
Florum Borraginis ana drach. ij.
Radicum Buglossi,
Corticis Citri conditi ana drach. j.
Zingiberis drach. semis.
Pulueris Diatragacanthę frigid. drac. ij.
Diagridij drach. iij.
Turbit drach. iiij.
Senæ drach. v.
Panis Sacchari vnc. x.
Fiat Electuarium in tabellis ponderis vnc. semis, quæ est iusta dosis.

Seruatur per annos duos.

Hæc est prima huius medicamenti descriptio.

Secunda descriptio Renodæi.

℞. Corticis Citri conditi,
Conseruæ Florum Violarum,
Buglossi,
Pulueris Diatragacanthæ frigidę,
Diagridij ana vnc. semis.
Turbit drach. v.
Zingiberis drach. semis.
Foliorum Senæ drach. vj.
Sem. Fœniculi dulcis drach. j.
Sacchari albissimi in aqua Rosarum soluti, & ex arte cocti vncias decem: fiat Electuarium solidum.

Electuarium de Sebesten.

Est, & Electuarium Diasebesten Montagnanæ ad hunc modum descriptum.

℞. Sebesten sine nucleis,
Prunorum siccorum enucleat.
Tamarindorum ana vnc. v.
Aquæ Violarum lib. j.
Ireos,
Anguriæ ana lib. semis.
Succi Mercur. depurat. vnc. iiij.
Penidiorum vnc. viij.
Conseruæ Prunorum lib. j. & semis.
Nucleorum seminis Cucurbitæ,
Cucumeris,
Melonis,
Citruli ana vnc. ij.

Caro, siue pulpa Sebesten, Prunorum, & Tamarindorum minutissimè teratur, & cum aquis extrahatur: Semina verò minutissimè incidantur, & reliquis misceantur, & fiat Electuarium secundùm artem, & cum fit solutiuum, adduntur Diagridij drach. iij. Huiusmodi Electuarium à Calestano negatur esse Montagnanæ, quia in praxi aliorum Medicorum ante Montagnanam repertum est, additque ipsum in officinis seruari duplici modo præparatum cum Diagridio scilicet, & sine; primo modo dicitur solutiuum, secundo modo lenitiuum.

Confert febribus cholericis, interpolatis, & continuis puris; sedat acuitatem febrium, sitim, & vigilias, & etiam amaritudinem remouendo, & educit materias acutas à vijs vrinalibus, & vesica.

Dosis

Dosis est ab vnc. j. ad iij.
Aetas non excedat annum.

Electuarium de Cnico, seu Diacarthamum. Arnaldi Villanouani.

Hoc Electuarium ad hunc modum descriptum est ab Authore.

℞. Medullæ Sem. Carthami vnc. semis.
Diagridij drach. iij.
Turbit electi drach. vj.
Spec. Diatragacanthę frig.
Hermodactylorum ana vnc. semis.
Zingiberis albi,
Mannæ granatæ ana drach. ij.
Mellis Rof. colati,
Carnis Cotoneorum,
Sacchari Candi ana vnc. j.
Sacchari quantum sufficit.

Fiat Electuarium secundùm artem. Est, & descriptio Nicolai, quæ ab hac ipsa differt, quòd non adsint hermodactyli.

Hoc igitur Electuarium videtur esse duplex: aliud quod adscribitur Arnaldo Villanouensi, aliud verò Nicolao Florentino, quæ in paucissimis differunt, ita vt vnum possit accipi pro altero. Reperitur etiam descriptum apud Petrum Argillatam Chirurgum Bononiensem, licet non videatur Bononiæ esse admodum in vsu, sicut Messanæ, vbi frequentissimè, & maximè species ipsius vsurpant.

Est animaduertendum tamen, quod nisi auferatur Manna, & Cotoneum, nunquam poterit reduci ad exactam pulueruum naturam. Accipiatur igitur, vt fiat puluis, carthami pulpa, quæ non tam facili mundatur, deinde omnia cum ipsa pulpa contundantur, & pulueriżētur, cotoneum verò coquatur sub cineribus, & mannæ admisceatur, demum cum saccharo fiat confectio secundùm artem.

Electuarium, hoc & si educat pituitam ab articulis potissimum, experientia tamen comprobatum est ipsum facere ad humorum biliosorum eductionem.
Dosis ipsius à drach. ij. ad vnc. semis.

Electuarium de Psyllio Montagnanæ.

Huic Electuario Diacnico affine est illud de Psyllio, quod Montagnanæ in Consilio 226. in Antidotario capite 19. adscribitur, ita descriptum.

℞. Polypodij recentis lib. j.
Senæ,
Violarum,
Prunorum,
Tamarindorum,
Passularum ana vnc. iij.
Aquæ fontis lib. x.

Macerentur horis vigintiquatuor, postea decoquantur ad medietatem, colentur, & exprimantur, colaturę portio reseruetur pro extractione Cassię, & Tamarindorum, residuo adde seminum Psyllij vnc. iij.

Macerentur rursus totidem horis semper agitando, post exprime mucilaginem, cuius libræ vnę adde
Sacchari lib. iiij.
Decoquantur iterum lento igne, & adde
Cassię fistulæ,
Pulpę Tamarindorum dissolutorum cum prędicta decoctione ana lib. semis.
Diagridij vnc. iiij.
Spodij de Ebore,
Rhabarbari,
Santali Albi,
Rubei,
Rosarum Rubearum,
Violarum,
Sem. Papaueris albi,
Portulacæ,
Endiuię,
Scariolę,
Fęniculi,
Anisi,
Berberorum,
Fumi terrę,
Tragacanthę,
Amyli,
Gummi Arabici,
Rasurę Eboris,
Glycyrrhizę ana drach. iij.
Myrobalanorum Indorum,
Emblicorum ana drach. v. & semis.
Misce fiat Electuarium
Educit bilem, & humores pituitosos.
Dosis ipsius est eadem cum Electuario de Psyllio supra descripto,
Et eandem habet durationem

In eodem censu est illud Electuarium, quod Elescoph, vel Electuarium Episcopi à Mesue dicitur.

Electuarium Elescoph, vel Episcopi Mesuæ.

℞. Diagridij,
Turbit albi ana drach. vj.
Cinnammomi drach. v.
Caryophyllorum,
Zingiberis,
Myrobalanorum Emblic.
Nucis Moschatæ,
Polypodij ana drach. ij. & semis.
Sacchari albi drach. vj.

Confice cum melle despumato quantum sufficit Electuarim.

Bilem flauam, & pituitam educit, flatus expellit, doloribus articulorum, laterisque prodest, itemque colicis cruciatibus: purgat etiam renes, & vesicam Datur à drac. iij. ad drach. vj. scrup. j. & semis, & vsque ad drach. vij. ad summum.

Si verò reformentur cum saccharo rotulæ, dantur à drachmis sex ad nouem ex Antidotario Bononiensi.

Extenditur eius vis ad annos duos, & non vltra.

Huiusmodi Electuarium describitur ab Auicenna, quasi eodemmodo, & vocatur Episcopi. In Officinis seruari solêt ipsius species, seu pulueres, de quibus notat Manardus Ferrariensis, & cum eo Syluius à pharmacopœis placentas quasdam efformari, quæ aliquando nimium purgant, aliquando nihil. Idque euenire censent, vel cum species vruntur, vel cum non benè ad inuicem miscentur. Notat insuper idem Syluius plurimos eo vti ad purganda corpora lue venena affecta.

Animaduertit Stecchinus, pro tribus vncijs specierum accipiendas esse vncias nouem mellis absque saccharo, eo quòd saccharum nulla alia ratione ponitur in hoc Electuario nisi ad incrassandum, vt diutiùs retineatur in stomacho, atque inde possit faciliùs humorem expurgare.

Admonet idem præterea non esse miscendum mel cum saccharo, sed vt in fine hoc pulurizetur, & adiungatur alijs, ne sentiat calorem ignis. Subdit deprauatos esse textus illos, qui dicunt saccharum esse ponendum ad vncias sex, (recipit ipse drachmas sex) nec huius rei affert rationem, sed inquit omnem molem huius confectionis non excedere libram vnam, & vncias octo, quæ tamen includit drachmas sex scāmonij, quare pro vnaquaque drachma Electuarij aderunt grana vigintiquatuor diagridij, seu scammonij. At meo videre fallitur ipse, quia non est temerè pronunciandum esse errorem in textu Mesuæ (vbi legimus vncias sex) sine maxima, & euidenti ratione, quam non adduxit. Deinde errat in ratiocinio; nam si totum Electuarium pendet vncias viginti, cui insint sex drachmæ scammonij, minimè est verum, vt habeātur grana vigintiquatuor pro qualibet drachma. Quod si fortè sit mendum in suo codice, ita vt loco drachmarum, legere oporteat vncias, nec calculus est vndique exquisitus, vt conferenti rationes patebit.

Adde apud Pharmacopœam Augustanā totam massam huius Electuarij non excedere vncias x. & octo, ita vt pro quauis vncia Electuarij adsit scrupulus vnus, idest grana viginti diagridij. Apponunt in hoc eodem Electuario vncias sex sacchari Ioannes Manardus. Iacobus Syluius, & Ioannes Costæus, qui hac in re sectati sunt Mesuem, cuius compositionem esse seruandam in Officinis censeo, quicquid sentiat Stecchinus, qui dixerat etiam saccharum incrassare magis hanc compositionem, qua in re pariter decipitur; cùm non videatur id rationi consonum, & præsertim cùm nolit saccharū adire ignem, vbi longè magis incrassaretur. Ad hęc si valeret ipsius ratio, quod saccharum sit causa incrassationis huius Electuarij, vt diutiùs morari posset in ventriculo, potiùs debuisset recipere vncias sex, quàm drachmas sex.

Adde absurdum esse incrassare saccharum hanc confectionem in pauca quantitate acceptum, magis quàm in maiori. Item mel magis incrassare videtur, quàm ipsum saccharum, & proinde huiusmodi Electuarium potius est componendum iuxta descriptionem Mesuæ, quam amplexi sunt authores citati, quo modo aptum est, vt retineatur in ventriculo, quantum satis est ad ipsius operationem.

DE ELE-

DE ELECTVARIIS Phlegmagogis.

POsuimus primò medicamenta educentia bilem solam, deinde, & aliqua, quæ eam mixtam cum pituita educũt, venio modò ad ea, quæ solam ferè pituitam educere consueuerunt, inter quæ sequẽs Electuariũ primas partes obtinet.

Electuarium de Dactylis, seu Diaphœnicon Mesuæ.

℞. Pulpę Dactylorum Hieron, idest immaturorum (tales verò sunt minus flaui) infusorum tribus diebus, ac noctibus in aceti drachmis centum.
Penediorum cum aqua hordei coctorum drach. xxxxx.
Amygdal. dulcium purgatarũ drac. xxx.
Turbit drach. xxxv.
Diagridij drach. xxij.
Cinnamomi drach. v.
Zingiberis,
Piperis longi,
Foliorum Rutę siccorum,
Macis,
Ligni Aloes,
Anisi,
Fœniculi,
Dauci,
Galangę ana drach. ij. & semis.
Tere omnia probè, & melle despumatō sufficienti, hoc est libris tribus excipito.

Animaduertendum, quòd dactyli debent priùs ab ossibus, & pelliculis mundari, deinde in aceto macerari, & cribro percolari, ad hęc acetum ab eis igne in vase vitreato separari. Quo facto rursus debent ponderari, quòd si excedant pondus drachmarum cẽtum, adhuc nonnihil aceti continent, quare addatur tantundem dactylorum, quantum aceti in eis remansit, vt integrę drachmę cẽtum dactylorum compositionem ingrediantur.

Febribus compositis, & diuturnis auxiliatur; bilem flauam, & pituitam educit. Doloribus cholicis, & ventriculi, & alijs malis ex crudo humore ortis mirificè confert.

Datur à drachmis tribus ad sex.

Virtus eius commodè ad biennium extenditur.

In hoc Electuario nonomnes circa modũ componendi, & dosim simplicium conueniunt, & primò de dactylis, an maturi hoc est magis flaui, an verò minus flaui recipi debeant, & immaturi, deinde an debeant in aceto macerari, antequam componatur medicamentum, est dubitatio. Secunda est de quantitate diagridij, quę debetur huic Electuario; nam Mesues apponit drachmas duodecim scammonij, Antidotarium verò Bononiense, & plerique alij Authores determinant non esse scammonium apponendum, sed diagridium: deinde differunt quod ad dosim, quia Mesues assumit drachmas duodecim, hi verò drachmas viginti duas. Postremò est quęstio de quantitate mellis.

Quod attinet ad primum, puto opinionem Renodęi hoc in loco cęteris esse anteponendam, vbi dicit non esse opus dactylos immaturos quærere propter adstrictionem, cùm etiam maturi satis adstrictionis habeant ad scammonij castigationem cuius gratia ab aliquibus dactyli immaturi desiderãtur, quare medios inter maturos, & immaturos cæteris magis pręfert. Ad aliud, cùm palmulæ habeant facultatem adstringendi, & corroborandi vẽtriculum, 3. de simpl. med. facult. & hac ratione fuerint positæ ab Authore, simulque, & obscurandi causa ingratum medicamenti saporem, si macerentur in aceto, magis videntur aptæ ad proritandam nauseam. Renodæus videtur occurere huic difficultati dicens dactylos præparandos esse antequam veniant in compositionem; nam vbi fuerint externa cute, & nucleis repurgati, & in frusta concisi, in aceti parua quantitate, & per diem tantùm, si molles sint; si verò duriores in fictili vase macerari debent, & in pila marmorea teri, postea per setaceum traijci, ac denique cum melle despumto parum elixari, quo ad acetũ consumetur. Hanc opinionem summè probo, licet non desunt, qui dicant dactylos macerandos per triduum in aceto.

Ad secundum respondet Manardus

melius esse scammonium non coctum, quia per dactylos, & aromata satis castigatur, quamuis ego existimem scammonium à cotoneo longè meliùs castigari, nec propterea (vt placuit Tralliano) magis pituitam, quàm bilem attrahere. Cùm igitur scammonij à cotoneo præparati vigor, atque vehementia obtundatur, non puto esse inconueniens in hoc Electuario ponere diagridij ad drachmas vigintiduas; nam plus facit vna drachma scammonij non præparati, ac faciant duæ ipsius præparati, & in naturam diagridij conuersi, quare in componendo hoc medicamento, puto parum referre siue duodecim drachmæ scammonij, siue vigintiduę diagridij apponantur.

Ad tertium variæ sunt opiniones de quantitate mellis accipiendi. Hic pharmacopolę animaduertere debent, quòd quò magis augebitur quantitas mellis, cò compositi virtus erit imbecilior. Alij autem ponunt mellis ad vncias tredecim, & semis, alij ad libras duas; Costęus verò libras duas, & vncias octo, Rondeletius libras sex; sed vt rectè Ioannes Renodęus notauit, dactyli, penidia, & amygdalæ, mellis suppleant vicem. Melius tamen est medicamentum hoc, quàm castigatissimè componere, proinde quantitas mellis moderari ita debet, vt benè recipiat omnes pulueres, atque ita apta subsequatur Electuarij forma.

Admonet Laurentius Ioubertus in suo Antidotario cap. de diaphœnico ex mente Mesuæ quantitatem mellis esse debere libram vnam ad singulos pulueris excipiendi quartarios, quæ omnium (inquit) eiusmodi Electuariorum est iusta proportio.

Est modò, & Electuarium vocatum Indum, quod duplex est, vnum quod maius, aliud quod minus dicitur, & vtrũque à Mesue describitur, & quamuis dicat Renodæus, vbi diaphœnicon compositum fuerit, vt artis est, vtrumque hoc Electuarium esse superfluum; nihilominus quia reperio ambo descripta esse a communi medicorum schola, & à Mesue vtrunque probari, ea propter volui, vt in hoc Antidotario vtrunque describeretur, & primò maius.

Electuarium Indum maius Mesuæ.

℞. Cinnamomi vnc. j.
Caryophyllorum,
Spicæ Nardi,
Rosarum,
Cassiæ ligneæ,
Macis,
Cyperi ana drach. iiij.
Santalorum citrinorum drach. ij. & sem.
Ligni Aloes,
Nucis moschatæ ana drach. ij.
Turbit boni drach. xxxxx.
Sacchari,
Penidiarum ana drach. xx.
Galangæ,
Cardamomi maioris,
Minoris,
Asari,
Mastiches ana drach. j. & semis.
Diagridij drach. xij.
Fricentur oleo amygd. dulc. postea.
℞. Succi Cotoneorum,
Granatorum,
Apij,
Fœniculi ana libr. semis.
Mellis despumati quantum sufficit.
Misce fiat Electuarium secundùm artem.

Notat hic Costæus basim potius esse Scammonium, & Turbit. Circa vsum huius Electuarij non omnes inter se conueniunt; nam alij recipiunt Indum maius, & reprobant Indum minus, vt videre est in Pharmacopœa Augustana, quæ affert maius, de minori verò ne verbum quidem. Alij è contra sunt, qui conficiunt Electuarium minus, de maiori verò nullam habent mentionem, vt est Laurentius Ioubertus in suo Antidotario, vbi Electuarium Indum minus tantùm præparandum esse præcipit. Alij præterea vtrumque præpari debere arbitrantur, quemadmodum est Calestanus, & Antidotarium Bononiense. Ludouicus Beraldus, quamuis non loquatur determinatè, nihilominus scribit, ea, quæ continentur in minori, etiam contineri in maiori, & esse maioris efficaciæ, itaque ex his Authoribus, alij sunt, qui vtrunque hoc Electuarium in officinis paratum esse volũt, alij è contra, qui vtrunque reijciunt,

ciunt, alijque tandem vnum tantùm, siue maius, siue minus fuerit, describunt.

Excrementa omnium humorum, maximè pituitosorum, ac putridorum è ventriculo, ac alijs nutritorijs instrumentis educit, crassos flatus dissoluit, malaque hinc nata sanat, veluti inflationem ventriculi, colicosque, & renum dolores. Dosis à drachmis duabus ad quinque.

Sed quamuis videatur superfluum Indum minus, nihilominus quia à Mesue, qui apud Medicos est veluti à Secretis, describitur, existimamus non esse inutilem eius compositionem, & vsum, ac proinde descriptionem afferimus.

Electuarium Indum minus Mesuæ.

℞. Turbit,
Sacchari, ana drach. centum.
Cinnamomi vnc. j. & drach. vj.
Macis,
Piperis,
Zingiberis,
Caryophyllorum
Cardamomi,
Nucis Moschatæ ana drach. vij.
Diagridij drach. xij.
Cum melle despumato misce.

Cùm ambo hæc Electuaria eandem habeant facultatem, aut saltem parùm inter sè differentem, sat erit in officinis vnum seruari ad libitum periti Pharmacopœi, qui debet etiam respicere vsum Medicorum loci, quem habitat. Poterit etiam huiusmodi Electuarium minus sine melle in pulueribus seruari.

Diaturbit cum Rhabarbaro Montagnana.

Hoc Electuarium, quod & Carob cum Rhabarbaro dicitur, & à quibusdam confectio delectabilis appellatur, hac ratione componi solet.

℞. Turbit optimi,
Hermodactylorum ana vnc. j.
Rhabarbari drach. x.
Diagridii drach. iiij.
Santali Albi,
Rubei,
Violarum,
Zingiberis, ana drach. j. & semis.
Cinnamomi drach. j.
Mastiches,
Anisi,
Croci ana drach. semis.
Sacchari albissimi triplum, idest libram vnam, vncias duas, & drachmas duas.
Fiat Electuarium in forma competenti.

Educit bilem vtramque, & pituitam, & confert hydropicis.
Dosis ab vncia semis ad vnciam vnam, & non vltra.
Pro pueris sufficit drach. j.
Aetas eius est duorum annorum, si liquidum fiat, at in tabellis, & in pulueribus per annum.

Notat hoc loco Stecchinus Rhabarbarũ debere contundi per se ipsum, simul etiam, & diagridium, quo facto, omnibusque commistis, sub puluere conseruetur in vase vitreo. Vsus est, vt pro quauis vncia sacchari apponatur drachma vna specierum.

Diaturbit minor Zezaris.

℞. Turbit optimi drach. x.
Zingiberis drach. v.
Masticheṡ drach. iij.
Sacchari albissimi quantum sufficit.
Fiat Electuarium.

Pituitam præsertim eam, quæ ventriculo hæret, elicit.
Dosis à drachmis tribus ad sex.
Aetas eadem,

Diacarthamum Nicolai Florentini.

℞. Specierum diatragacãthę, frigidę vnc. j.
Carnium Cotoneorum vnc. ij.
Zingiberis albi drach. j.
Medullæ Carthami vnc. semis.
Turbit electi drach. ij.
Diagridij drach. v.
Mannæ granatæ,
Mellis Rosati ana drach. iij.
Sacchari vnc. xv.
Fiat confectio

Prodest ad euacuandum choleram, & phlegma.
Datur a drach. quatuor ad sex.
Seruatur per annum integris viribus.

Benedicta laxatiua Nicolao Præposito, vel Salernitano adscripta.

℞. Turbit,
Esulæ,
Diagridij,
Hermodactylorum,
Ros. rubearum ana drach. v.
Sacchari drach. x.
Caryophyllorum,
Spicæ Indæ,
Zingiberis,
Croci,
Saxifragiæ,
Piperis longi,
Amomi, aut Calami aromatici,
Cardamomi maioris,
Sem. Petroselini,
Carui,
Salis gemmæ,
Galangæ,
Macis,
Sem. fœniculi,
Asparagi,
Sem. Rusci,
Lithospermon ana drach. j.
Mellis despumati quantum sufficit.

Hic Ioan. Renodęus affert præparationem Esulæ, quę antequam in vsum veniat, est maceranda per vigintiquatuor horas in aceto, deinde exiccanda, & puluerizanda cum Turbit, Nardo minutim secta, Zingibere, Galanga minore, & Hermodactylis, quibus ex dimidio tritis aromata miscenda, & simul leuiganda: seorsum verò Sal, Crocus, Saccharum, & Scammonium præparatum.

Huiusmodi Electuarium apud Medicos Messanenses est perpetuò in vsu, præsertim in clysteribus, ita vt nunquam, aut rarò illud non apponant. Verùm, si rectè consideretur medicamentum istud, dignum est, vt per os assumatur; nam humores pituitosos, potissimùm ad articulos decumbentes, elicit, atque à renibus, & vesica depellit.

Dosis à drach. tribus ad drach. sex.

Commodè per annos duos seruatur, & paulò vlterius studiosè repositum.

Isthæc sunt medicamenta, que educunt humores biliosos in varijs corporis partibus contentos, quorum aliqua primò trahunt bilem, deinde pituitam, alia è contra trahunt pituitam primò, deinde bilem, vt prænotauimus.

DE ELECTVARIIS. Melanagogis.

Modò consideranda sunt Electuaria, quæ educunt humorem melancholicum, siue naturalis fuerit, siue præter naturam, inter quæ videtur primas partes obtinere sequens confectio.

Confectio Hamech Mesuæ.

℞. Myrobalanorum Citrinorum vnc. iiij.
Chebulorum,
Nigrorum,
Rhabarbari boni ana vnc. ij.
Agarici,
Trochisc. Alhandal,
Polypodij ana drach. xviij.
Absynthij,
Thymi,
Senæ ana vnc. j.
Violarum drach. xv.
Epithymi vnc. ij.
Anisi,
Rosarum,
Fœniculi ana drach. vj.
Succi Fumariæ libr. j.
Pruna numero sexaginta.
Passularum enucleatarum vnc. vj.
Infundantur omnia in sero lactis caprini non ebutyrati, quantum sufficit, in olla angusti oris benè occlusi per dies quinque; deinde bulliant vna ebullitione, colentur, in colati parte sufficienti ponatur Sacchari albi boni lib. vna, & semis, fiatque Syrupus arte;
In reliqua parte dissolue
Cassiæ fistulæ mundæ vnc. iiij.
Tamarindorum vnc. v.
Mannæ vnc. ij.
Et rursus per laxius colum percolentur, & vbi refrigerata fuerint, addatur Syrupus iam factus. Coquantur deinde quousque habeant spissitudinem mellis, ac postea infrascripta in subtilissimum puluerem redacta addantur, videlicet.

Diagri-

Diagridij vnc. j. & semis.
Myrobalanorum Citrinorum,
Chebulorum ana vnc. semis.
Indorum,
Bellericorum,
Emblicorum,
Rhabarbari,
Sem. Fumiterrę ana drach. iij.
Anisi,
Spicę ana drach. ij.
Et fiat Electuarium arte.

Circa huiusmodi confectionem non desunt varię opiniones, quæ referuntur à Calestano. Vnusquisque Pharmacopęus cupiens ipsam præparare poterit legere apud illum difficultates propositas. Ioannes Renodæus animaduertit rectè à Fernelio fuisse immutatam, castigatam, vel etiam in melius redactam. Fernelij igitur afferam hoc in loco descriptionem, vt vnusquisque pro suo arbitrio possit hoc idem Electuarium pręparare.

Confectio Hamech Fernelij.

℞. Cort. Myrobal. Citrin. vnc. ij.
Chebulorum,
Indorum,
Violarum,
Colocynthidis,
Polypodij Quercini ana vnc. j. & semis.
Absynthij,
Thymi ana vnc. semis.
Anisi,
Fœniculi,
Rос. Rubrarum ana drach. iij.
Tusa omnia macerentur per diem in libris duabus seri lactis; deinde coquantur ad libram vnam, fricentur manibus, & exprimantur, colaturæ adde
Succi Fumarię,
Pulpę Prunorum,
Vuarum passarum ana libr. semis.
Sacchari albi,
Mellis despumati ana libr. j.
Coquantur ad consistentiam mellis inspergendo sub finem
Agarici, &
Senę puluerizatorum ana vnc. ij.
Rhabarbari triti vnc. j. & semis.
Epithymi vnc. j.
Diagridij drach. vj.
Cinnammomi vnc. semis.
Zingiberis drach. ij.
Sem. Fumarię,
Anisi,
Spicæ Nardi ana drach. j.
Fiat Electuarium.

Dosis à drach. iij. ad vnc. semis.

Medicamenta composita pro varia hominum opinione describuntur; vnde alij arbitrantur hanc confectionem meliùs compositam fuisse à Fernelio, alij è contra putant longè meliorem esse compositionem Mesuæ, cùm præsertim confirmata fuerit à communi Medicorum consensu, qui ea vtuntur frequentissimè in omnibus partibus, & maximè apud nostrates, vbi plurimi æstimatur. Experientia siquidem comprobatum satis euidenter est, eo modo præparatam, prout à Mesue describitur, probè satisfacere intentioni, quam titulus pollicetur, quãuis etiam alteram descriptionem afferat idem Mesues huius confectionis, quæ à prima aliquantulum differt.

Vtramque hanc descriptionem tradidit nobis Ioubertus, vnamque appellat confectionem Hamech maiorem, alteram verò minorem.

Cùm igitur in vsu apud omnes nationes ferè sit huiusmodi confectio, primam consulo Pharmacopœis in suis officinis asseruare velint, iuxta illud, *Non erit illusus, teneat si quæ tenet vsus.* At quamuis scribat Renodæus vsum prauum esse immutandum, id quod ego libenter fateor, attamen cùm iudicium non in omnibus sit idem, expedit plerunque summorum virorum insistere vestigijs.

Concludo igitur hanc confectionem Hamech à Mesue descriptam, & à Collegio Bononiensi approbatam esse componendam, & conseruandam in Pharmacopolijs.

Humorem melancholicum extra corpus blandè educit, impetigini, elephantiasi, & cancro succurrit, ac omni fœditati cutis à biliosis, & adustis humoribus procreatæ conuenit.

Dosis ab vncia semis ad vnc. j.

Ad duos annos potest seruari, & paulò vlterius, dummodo diligenter sit confecta, & studiosè reposita.

Diaca-

Diacatholicon Nicolai Præpositi.

℞. Senæ Orient. præparat.
Floris Cassiæ,
Tamarindorum ana vnc. viij.
Rhabarbari,
Violarum,
Polypodij recentis ana vnc. iiij.
Glycyrrhizæ,
Penidiarum,
Sacchari candi ana vnc. ij.
Quatuor Sem. communium maiorum frigid. ana vnc. j.
Facto prius Syrupo ex decoctione libræ vnius Polypodij recentis,
Anisorum vnc. iiij.
Sacchari libr. viij.

In quo priùs dissoluantur Flos Cassiæ, & Tamarindi, deinde cętera omnia in puluerem redacta fiat Electuarium secundùm artem.

Multi fuerunt inter Scriptores medicamentorum, quibus attribuitur hæc compositio; alij enim dixerunt Authorem fuisse Nicolaum Mirepsium, alij Salernitanum, alij Præpositum, & alij Alexandrinum, apud quem extat illius descriptio, sed parum refert habere nomen dummodo, & compositionem eius, & facultates habeamus.

Cęteris omnibus probatur mihi magis descriptio Nicolao Salernitano adscripta quę & à Calestano, & ab Antidotario Bononiensi affertur, in qua re vera basis Electuarij videtur esse Sena cum Polypodio, reliqua verò sunt adiuuantia, & corrigētia. Verùm ipse, vt efficaciùs melancholiam educeret, adderem pro syrupo faciendo libram semis radicis Polypodij. Cęterùm vsus ipsius summè ab omnibus probatur. Sunt aliqui, qui Catholicon pro enematibus paratum tenent, quod diuersum est ab hoc, eò quòd Rhabarbarum minus electum est, & pro saccharo mel recipit.

Omnes corporis humores purgat, & præsertim melancholiam, confert etiam acutis, & peracutis morbis; emollit enim, alterat, roburq́ue addit lienosis, & iecinorosis, podagricisque, & arthriticis succurrit. Confert, & quartanis febribus. Datur ab vnc. semis ad vnc. j. & drach. x. Et vltra annũ vis eius imbecilla redditur.

Electuarium Sennatum, quod Dibelzemet dicitur.

℞. Radicum Cichorij,
Buglossi,
Polypodij Quercini,
Cor. Rad. Capparis,
Graminis,
Glycyrrhizæ ana vnc. semis.
Passularum Corinthiarum drach. vj.
Adianti,
Hemionitidis,
Cetrach,
Cuscutæ,
Artemisiæ,
Fumariæ,
Agrimonij,
Bettonicæ,
Melissæ,
Florum Genistæ,
Violarum ana manip. semis.
Coquantur in aqua sufficienti, in colatura ad libras tres infunde, & coque
Foliorum Senæ vnc. iiij.
Sem. Dauci,
Coriandri ana drach. j. & semis.
Ellebori Nigri,
Turbit ana vnc. j. & semis.
Caryophyllorum drach. ij.
Bulliant ad consumptionem tertiæ partis, in colatura adde
Sacchari lib. j. & semis.

Coquantur supra consistentiam syrupi, cui permisce expressionem Rhabarbari electi in aqua chalibeata infusi vnc. se.
Senæ puluerizatæ vnc. ij.
Lapidis Lazuli præparati,
Cinnamomi ana vnc. semis
Sassafras vnc. j.
Rad. Pæonię,
Tamarisci,
Epithymi,
Corticis medij Fraxini ana drach. ij.
Sem. Agni casti,
Nigellę Romanę,
Spicę Indicæ ana drach. ij.
Anthos,
Stœchados ana drach. j.
Fiat Electuarium

Electuarij huius inuentor fuit Ioannes Renodæus, qui nomenque ei imposuit Diabalzemer, seu Electuarium Sennatum, eò quòd Sena, quæ in hoc medicamento est basis, ab Arabibus Albazemer appellatur.

Quam si consideremus, nullum aptius, nullumque toleratu facilius medicamentum, ac familiarius melancholico humori ducendo comperiemus; eamque partim puluerizatam, & mixtam, partim infusam, & coctam permiscet cum his, quę flatus discutiunt, quare humores attenuat, infarctus tollit, lienem, iecur, & viscera roborat, facultates recreat, vterum respicit, & humores non modò melancholicos, & contumaces, sed & alios securè propellit.

Verùm non solùm huiusmodi Electuarium videtur educere humores melancholicos, sed etiam, & pituitosos, & biliosos, qui sępè cum melancholico reperiuntur, ac proinde, & Turbit, & Rhabarbarum pulchrè apposuit Auctor. Modus parandi est facilis, vt apparet ex forma descriptionis allatæ; est tamen considerandum, oportere Lapidem Lazuli esse præparatum, cuius modum præparandi docet idem Renodęus. Primò opus est ipsum in mortario metallico terere, deinde aqua fontis purissima abluere, ac postea siccare in sole, vel in cineribus quoquo pacto calidis, inde abluendus est denuò, & siccandus, & rursus debet ablui, vt ante, donec aqua limpida remaneat, & tandem exiccari: idque non modò decies, sed vigesies iterabitur, si opus fuerit, denique abluendus est lapis in aquis cardiacis quater, quinquies, & pluries, & ita exiccatus seruabitur ad vsum. Hoc modo inimica quędam huius lapidis qualitas perit, & retinetur tantùm purgatoria. At in confectione Alkermes alio modo abluitur, & præparatur huiusmodi lapis, ita vt pereat purgatoria facultas, remaneat autem virtus cardiaca, vt suo loco adnotabimus, simulque, & pulcherrimum prępărandi modum afferemus.

Facultates huius medicamenti educunt priùs humores melancholicos siue naturales, siue pręter naturam; mirum in modum conferunt lienosis, melancholicis, hyppochondriacis, maniacis, epilepticis, febre delirantibus, passionibus hystericis, fędis viduarum coloribus, elephantiasi, & indica lue inueterata laborantibus.

Dosis huius medicamenti esse potest ab vnc. j. ad vnc. j. & semis.

Conseruatur per duos annos.

Sub nomine Diasenæ plures compositiones circumferuntur; nam prima dicitur Diasena Nicolai, alia Diasena Gentilis, & alia Diasena Rhasis, sub quo etiam nomine est Diaprunum lenitiuum. Verùm in pluribus locis communiter est in vsu, ea compositio, quæ dicitur Diasena Rhasis, quę ad hunc componitur modum, & appellatur.

Electuarium Lenitiuum Magistrale.

℞. Passularum enucleatarum vnc. ij.
Capillorum Veneris,
Violarum,
Hordei mundi ana manip. j.
Iniubarum,
Sebesten ana numero xx.
Glycyrrhizę vnc. semis.
Prunorum,
Tamarindorum ana drach. vj.
Senę,
Polypodij ana vnc. ij.
Mercurialis manip. j. & semis.
Decoquantur ad consumptionem tertiæ partis, & cum colatura ipsa dissoluantur
Floris Cassiæ,
Pulpę Tamarindorum,
Prunorum,
Sacchari Violati ana vnc. vj.
Sacchari optimi libr. j. & semis.
Lento igne leuiter agitando fiat Electuarium addendo in fine pro qualibet libra
Fol. Senę Orientalis vnc. j. & semis.

Ita vt pro totius Electuarij quantitate addantur
Pulueris Senæ vnc. iij. drachmæ. iij. & semis.

Hęc est descriptio Diasenæ Rhasis pluribus in locis frequens, cui addo alteram descriptam à Nicolao, & quamuis ab ipso du sint differentię descriptę, hæc tamen est magis vsitata.

Diasena Nicolai.

℞. Senæ vnc. iij.
Nucis adustæ numero xxxxx.
Serici adusti drach. ij.
Lapidis Armeni abluti drach. j.
Lapidis Lazuli drach. iij.
Cinnamomi,
Garyophyllorum,
Galangæ,
Piperis Nigri,
Spicæ Nardi,
Sem. Ocymi,
Folij,
Cardamomi maioris,
&minoris,
Croci,
Zingiberis,
Zedoariæ,
Flor. anthos,
Piperis longi ana drach. ij.
Sacchari vnc. vj.
Mellis despumati libr. ij.
Et fiat Electuarium

Scribit Prosper Burgarucius libro de Fabrica Pharmacopœorum distinctione quinta, obseruatione in Diasenam Nicolai, quòd hæc compositio quotiescumque præparatur, toties additur pro quauis Electuarij vncia drachma vna Senæ puluerizatę, addens huiusmodi Electuarium esse tantæ excellentiæ, sicut est illud, quod dicitur lenitiuum magistrale, cuius meminit Calestanus à quo fuit inuentum, & descriptum in suis obseruationibus.

Addit singula hæc Electuaria vocari Diasenę, & nostris temporibus esse in communi vsu, vbi sunt Pharmacopœi, eosque admonet, vt præparent omnes istas species, Diasanæ, quas vsu ipse comprobare consueuit.

Poterunt quoque Medici eam pręsertim huius præsidij formam retinere, quam magis aptam esse cognoscent loco, vbi commorantur.

Tandem laudat, & ad cęlos vsque extollit illud Diaprunum lenitiuum à Calestano descriptum, quod componitur ad hunc modum.

Electuarium Lenitiuum magistrale à Calestano descriptum.

℞. Passularum vnc. ij.
Capillorum veneris,
Violarum ana manip. semis.
Turbit,
Sebesten ana numero xx.
Glycyrrhizę vnc. semis,
Prunorum,
Tamarindorum ana drach. vj.
Senę,
Polypodij ana vnc. ij.
Mercurialis manip. j. & semis.
Fiat decoctio vsque ad consumptionem tertiæ partis, coletur, & colaturę adde
Floris Cassiæ,
Pulpę Tamarindorum,
Pulpæ Prunorum,
Sacchari Violati,
Sacchari optimi ana vnc. vj.
Et hoc modo agitando supra ignem fit Electuarium addendo in fine pro quauis libra Electuarij
Senæ puluerizatæ drach. j. & semis.

Calestanus scribit huiusmodi Electuarium valdè vsitatum esse circa Venetorum partes, vnde originem suam traxit. Hęc omnia Electuaria videntur facta in hunc vsum, vt humoris melancholici, siue adusti, siue non, fiat è corpore blanda extractio. Verùm Pharmacopęus, qui est compositurus huiusmodi Electuaria, cùm vnam, & eandem facultatem habeant, vnum ex ijs in sua Pharmacopęa, idque ad arbitrium Medicorum componere, & retinere poterit.

Hæc videntur esse potiora medicamenta, & magis vsitata, quibus corpus à varijs, imò ab omnibus humoribus expurgari consueuit, siue componantur sub forma potus, siue sub forma boli, seu morselli.

DE HIERIS Singulis.

Prodeunt modò Hieræ variæ species, quæ compositiones Antiquorum sunt, & à Gręcis dicuntur ἱεραὶ, hoc est sacræ, vocantur-

canturque, & magnæ, quia magnis viribus pollent, & magnis morbis sæpè succurrunt, vel etiam dicuntur picrę, quia amaræ sunt. Apud Mesuem plures reperiuntur descriptiones, prima est ea, quæ ab ipso appellatur Hiera picra Galeni, secunda est hiera Hermetis, tertia est Archigenis, quæ & duplex est, vna quæ ab omnibus (vt ille inquit) describitur, altera verò paulo aliter composita: quarta est Hiera diacolocynthidos à Ruso inuenta; quinta est Hiera à Mesue inuenta, quæ vltima in ordine reponi consueuit. Circa earum descriptionem multæ sunt discrepantię inter Auctores, qui Mesuem commentantur, & vt notat Ioannes Renodæus in suo Antidotario libr. 2. cap. 4. nihil est æquè confusum in Pharmacopęorum dispensarijs, atque Hierarum descriptio, quas quisque ad libitum variè, & nominat, & immutat; eandem enim sępè triplici nomenclatura designatam videmus, vt illa, quę modò Hiera Pachij, modò Archigenis, modò Rufi, modò etiam diacolocynthidos nominatur, quin aliquando tres multum inter se differentes eadem voce designatas comperimus, vt est Hiera diacolocynthidos, quæ alio modo à Mesue, alio à Nicolao Myrepsio, atque alio à Fernelio describitur. Enim verò si rectè perpendamus, quę à Manardo, Syluio, & Costæo dicuntur, maximam sanè confusionem conspiciemus, & non modò in earum varia compositione, in modo componendi, sed etiam in facultatibus; ita, vt vix, aut cum magna molestia, quę ab ipsis proponuntur, intelligere valeamus. Adde, quòd neque sufficeret integer dies, si vellemus vniuscuisque horum sententiam afferre, & varietatem, quam inter se habent. Quare decreui, ne confundam mentem præsertim futuri Pharmacopœi, sequi ordinem ipsiusmet Renodæi, qui in hisce enarrandis, videtur mihi reliquis facilior.

Hiera Picra, seu Dialoë Galeni.

Describit hoc medicamentum Galenus libr. 6. de sanit. tuend. libr. 7. meth. med. & libr. 2. & 8. de compos. medic. per loca ferè in hanc formam.

℞. Cinnamomi,
Macis,
Asari,
Spicæ Nardi,
Croci,
Mastiches,
Iunci odorari ana drach. vj.
Aloes non lotæ drach. centum, siue lib. j. & vnc. semis.
Mellis optimi despumati triplum, seu libr. iiij.
Misceantur simul in Electuarium.

Hiera Picra à Galeno celebrata facultatibus multis insignitur; calfacit enim, incidit, attenuat, siccat, terget, obstructiones tollit, humores biliosos, pituitosque, crassos, & lentos expurgat. Affectibus ventriculi, mesenterij, hepatis, capitis, & iuncturarum mirè confert. In qualibet vncia compositionis ponuntur scrup. ij. & grana j. & semis. & pulueris reliquorum simplicium grana quindecim.

Dosis à drach. sex ad octo, & vsque ad x.

Seruatur per quatuor annos.

Notat hic, & rectè quidem Stecchinus, quòd Hiera Galeni constat tantummodo ex septem simplicibus; nam illa, quæ constat ex octo simplicibus absque aloe, est descripta à Mesue.

Hiera Picra cum Agarico.

℞. Puluer. Hieræ simpl. sine Aloe,
Agarici Trochiscati ana vnc. semis.
Aloes non lotæ vnc. j.
Mellis dispumati triplum, seu vnc. vj.
Ex arte fiat Electuarium.

Easdem vires habet cum præcedenti, nisi quòd educit humorem pituitosum.

Dosis à drach. duabus vsque ad vj.

Tempus durationis est idem atque superioris.

Huiusmodi Hiera cum agarico duo medicamenta purgantia continet, alterum cholagogum, hoc est aloe, & alterum phlegmagogum, videlicet agaricum, sed quia sępiùs Hiera Picra Galeni, datur in affectibus ventriculi, & cerebri, in quibus partibus raro bilis sola congeritur, verùm simul pituitæ plurimùm,

vel crassæ, vel tenuiori admiscetur, proinde cùm humorem vtrumque trahere volumus, Hiera cum agarico recipienda est, quę paratur vt pręcedens, eiusque sępè puluis seruatur in Pharmacopolijs, cui opportuno tempore, vel aloe tantùm cum melle additur, vel simul agaricum, pro vt hanc, vel illam parare est animus.

Hiera Pachij, ex Scribonio.

℞. Stęchados,
Marrubij,
Chamędryos,
Agarici,
Colocynthidis ana drach. x.
Opoponacis,
Sagapeni,
Sem. Petroselini,
Aristolochiæ rotundæ,
Piperis albi ana drach. v.
Cinnamomi,
Spicæ Nardi,
Myrrhæ,
Folij,
Croci ana drach. iiij.
Mellis despumati triplum, seu libr. iij.
Misce, vt artis est, & fac Electuarium.

Notat hic Io. Renodæus Hieram hanc Oribasium lib. 3. synopsis tribuisse Ruffo, Paulum, Archigeni, lib. 7. de remed. Scriboniũ verò Largum Pachio, quem tamen scribit non fuisse ipsius primum Authorẽ, sed prædicatorem, addens quòd cùm ex ea plurimùm lucri faceret, eam tamquam arcanum quoddam non reuelandum apud sè vsque ad interitum seruauit. Eo mortuo delata est iuxta formulam descriptam ad Tiberium Cæsarem, à quo Scribonius habuit, quam antè nulla arte extorquere potuerat. Aetius Tetrabibli prima sermone 3. cap. 114. modò Hieram Archigenis, modò Antiochi nominat, nos verò à præcipuo illius comprobatore Hieram Pachij nominamus, quæ sic paratur.

Sagapenum, opoponax, & myrrha integra nocte macerantur in hydromelite, aut vino potiùs, quàm aceto: die colo forti traijciuntur, vt sordes omnis, & pars impurior secernatur; postea melli despumato commiscentur vna cum reliquis simplicibus puluerizatis. Seorsim verò teritur crocus, vt & agaricus, & colocynthis, cui inter puluerizandum gutta quędam olei permiscenda, ne vis eius exhalet, & faciliùs teratur, eius autem pulpa tantùm sumenda, & prassium, seu marrubium album potiùs, quàm nigrum; sunt qui polium, non folium sumunt, folium tamen apud Scribonium legitur, non polium, quod illius defectu rectè substituetur.

Huiusmodi Medicamentum sanat epilepticos, furiosos, scotomaticos, cephalalgicos, suspiriosos, comatosos, & anhelos. Facit ad incubum, tetanum, spasmum cynicum, neruorum torsiones, tremorem, paralysim, arthriticos dolores, spinæ, lumborum, pectoris, & lateris ex qualibet causa factos, siue latente, siue manifesta. Sanat etiam mammarum durities, cancrosque earum, & vlcera in his maligna, stomachi imbecillitatem, ructũ acidum, inflationem, tormina, nauseam, stomachi saliuã, colicos dolores, ac menses suppressos ex decocto artemisiæ, aut dictamni. Præcipuè verò melancholicis confert. Vnde mirum non est, si Pachius eam apud sè abditam teneret, vt Scribonius nulla arte, vel pretio ab ipso potuerit extorquere.
Dosis est à drach. ij. ad drach. v. & vj.
Seruatur vt reliquæ.

Hiera Diacolocynthidos Magistralis.

℞. Pulpæ Colocynth. vnc. j.
Agarici,
Ellebori nigri ana vnc. semis.
Aloes drach. x.
Diagridij,
Polypodij,
Mastiches ana drach. ij.
Opoponacis,
Bdellij,
Sagapeni ana drach. ij.
Rad. Enulæ Campanæ,
Cyperi,
Angelicæ,
Caryophyllorum,
Cinnamomi,
Macis,
Baccarum Lauri,

Granorum Iuniperi,
Cardamomi,
Maioranæ,
Stœchados,
Croci,
Spicæ Indicæ ana drach. j.
Rosarum drach. iij.
Mellis despumati libr. j. & semis.
Misce, vt artis est.
Mundificat caput, & stomachum, & totū corpus ab humoribus crassis, & viscosis, educit choleram nigram, confert maniæ, & melancholiæ, non secus atq; superior. Dosis à drach. j. ad drach. iij. & vnc. sem. Seruatur vt aliæ Hieræ.

Ordinem hactenus seruauimus, quem vt dixi, tenet Ioannes Renodæus in suo Antidotario, nunc quia Hiera illa, quæ Logadij dicitur ex Nicolao Alexādrino, in his partibus celebris est, & in communissimo vsu, eam prout describit Ioubertus, non erit inutile in nostro hoc Antidotario proponere.

Hiera Logadion Nicolai Alexandrini, vel Nicolai Myrepsij.

℞. Trochiscorum Alhandal cum vnc. x.
Colocynthidis compositorum,
Polypodij ana drach. ij.
Euphorbij,
Polij,
Sem. Cnici ana drach. j. & semis, & gr. vj.
Absynthij,
Myrrhæ ana drach. j. & gran. xij.
Centaurij minoris,
Agarici,
Ammoniaci,
Folij,
Spicę Nardi,
Syllę assatę,
Diagridij ana drac. j.
Aloes,
Comarum Thymi,
Cassię Ligneæ,
Chamœdryos,
Bdellij,
Prassij ana scrup. j. & gran. xiiij.
Cinnamomi drach. j.
Opoponacis,
Castorei,
Aristolochiæ longæ,
Trium piperum,
Croci,
Petrosel. Maced.
Sagapeni ana drach. semis.
Ellebori vtriusque ana gran. vj.
Mellis despumati quantum sufficit.
Confice, vt decet.

Scribit Ioubertus nihil esse in Hiera Pachij, quod in hac non contineatur, quæ cum plurima ad huc admittat in compositione, est illa longè efficacior in operationibus, ita vt illa sit quasi simplex, hæc verò composita.

Ex quibus, & ex iis, quæ in Pharmacopœa Augustana scribuntur, magis harum hierarum confusio apparet, nam ita describitur Hiera Pachij ex Nicolao Alexandrino capite. 746. vt & Diacolocynthidos, sed vtcunque sit eas descripsi Hieras, quæ magis necessariæ videntur, & quæ omnes alias in sè continent.

Huius facultas, ac tempus conseruationis idem, ac aliarum est.

DE ECOPROTICIS, seu fæces educentibus.

SVccedunt medicamenta leuia, quæ à Græcis ἐκοπρότικα dicuntur, quòd fęces ab intestinis educere sunt apta. In his illud medicamentum communissimum est, quod Cassia appellatur, vel siliqua, vel etiam fistula. Fructus est cuiusdam arboris in Aegypto natæ, & quamuis conferat renibus, & alijs ventris inferioris partibus, est tamen emollitiuum, & laxatiuum medicamentum.

Extrahitur Cassia à suis siliquis pro clysteribus parandis multis modis; siliquæ enim debent esse ponderosæ, & quæ concussæ non resonent, easque aperire oportet, & in eis contentam medullam cum laminis, & seminibus suis diligenter excauare, quæ vbi exempta fuerit, proijcienda est super angustum cribrum setis equinis contextum, deinde pone supra aquæ bullientis vaporem, & cum gibbosa parte cochlearis medullam Cassiæ hinc inde deducito, vt per cribrum paulatim descendat, & id, quod iam excre-

tum fuerit, aut descenderit à cribro, statim auferas, ne plusquàm conueniat aqueo vapore imbibatur, idque tandiu faciendum est, quousque, quantum volueris, collegeris.

Est, & pulpa Tamarindorum, atque pulpa Prunorum, quæ eadem ratione extrahuntur, atque dictum est de pulpa Cassiæ solutiuæ.

Sed particulariùs solent fieri conseruæ ex huiusmodi Prunis; recipiunt enim ad libitum, & exemptis nucleis in vase fictili vitriato percoquunt, deinde per cribrum iam dictum exprimunt, & denuò expressam pulpam lento igne ad perfectam, & iustam spissitudinem decoquunt, addendo sacchari tertiam partem.

Sunt qui dicant ad meliorem conseruationem accipiendas esse libras decem pulpæ, & addendas sacchari libras tres. Soleo equidem ex ijsdem formare conseruam, qua vtor singulis ferè hebdommadis ad lubricandam aluum hac ratione.

Conserua de Prunis Ioannis Baptistæ Cortesij.

℞. Pulpæ Prunorum,
Passularum ana libr. j.
Decoque in sufficienti decoctione rerum ad melancholiam facientium, & vbi percolata fuerint omnia per setaceum, pro quauis vncia huiusmodi pulpæ, adde Electuarij Rosati Mesuæ drachmam vnam, & cum sacchari quantitate, quanta est pulpa prædicta, fiat conserua.
Dosis eius est ad vnciam vnam.

Hoc lenitiuum facilè admodum, ac breui tempore educit omnia excrementa in intestinis contenta.

Modus autem accipiendi est per horam ante prandium, quod debet esse ex carne paruæ pullæ, & iusculo ipsius. Spatio quatuor horarum, vel quinque ad summum facit suam operationem, absque aliqua molestia.

Describitur à Pharmacopœa Augustana Diacassia cum manna, quæ est incerti Auctoris.

Diacassia cum manna incerti Auctoris.

℞. Prunorum Damascenorum vnc. ij.
Florum Violarum manip. j. & semis.
Aquæ puræ vnc. x. & viij.
Bulliant, vt artis est, ad medietatis consũptionem, cola, & in colatura dissolue
Pulpæ Cassiæ vnc. vj.
Tamarindorum vnc. j.
Mannæ optimæ vnc. ij.
Syrupi Violati vnc. iiij.
Sacchari Candi,
Penidij ana vnc. j.
Violati vnc. iiij.
Confice, vt est artis.
In Antidotario Bononiensi est Diacassia cum manna adscripta Ioanni de Concorrezzio, quę parum ab hac distat. Quòd si paranda nostro Pharmacopolæ esset, mihi magis arrideret hæc, quàm præcedens. Paratur autem ad hunc modum.

Diacassia.

℞. Prunorum numero xij.
Violarum manip. j.
Anisi,
Polypodij,
Sem. Carthami ana drach. v.
Capillorum Veneris,
Thymi,
Epithymi ana manip. semis.
Passularum vnc. semis.
Sem. Fœniculi drach. ij.
Portulacæ,
Maluæ ana drach. iij.
Glycyrrhizæ drach. iiij.
Decoquantur in sufficienti quantitate aquæ, colentur, & in colatura dissolue
Pulpæ Cassiæ libr. ij.
Tamarindorum vnc. j.
Cinnamomi drach. vj.
Sacchari optimi lib. j.
Coque ad perfectionem secũdùm artem.

Huius Electuarij Diacassię compositiones à varijs Authoribus descriptæ, intersè differunt tantummodò secundùm magis, & minus: sed hę iam descriptę habent facultatem (vt dixi) euacuandi intestina à fęcibus; ac aliquando renibus

malè affectis, & excalefactis opem ferũt. Dosis ipsarum est ab vncia vna ad vnciam vnam, & semis.

Conseruatur per annum integrum.

His possumus addere Cassiam extractam pro clysteribus, quę ad hunc modum paratur.

Cassia extracta pro clysteribus.

℞. Florum Violarum,
Maluę,
Mercurialis,
Betę,
Parietarię ana manip. j.

Fiat decoctio horum viridium in aquę libris decem, bulliant ad consumptionem medietatis, colentur, quibus adde Pulpę Cassię cum hac decoctione extractę, & coctę ad spissitudinem libr. j.
Mellis despumati vnc. vj.
Coquantur in formam Electuarij.

Est lenitiua ventris, carens acuitate, & mordicatione, & omni excessu lędente. Dosis est ab vncia vsque ad duas pro clysteribus.

Ad annum eius virtus extenditur, & vltra si studiosè seruabitur.

DE AQVIS.

CAPVT VI.

DVM, absolutis minus solidis, erat animus ad maximè solida Medicamenta properandi, aquarum tractatio obuiam fortè venit, quę ad sui notitiam scriptionem illexit.

Electuaria enim, de quibus in pręcedenti egimus, satis compertum est, quàm sępissimè, nedum syrupis permista, sed vel aquis quibusdam eliquata ægrotantibus offerri consueuisse. Quare, vt ad eorum vsum spectantia, haud longè abessent, hoc sanè loco de aquis, vt pote quibus rectè plerumque commiscentur, sermonem facere instituimus. Iam verò inter alios Authores, qui de aquis scripserunt, Quercetanus extat, in Pharmacopœa Dogmaticorum restituta, quo in loco docet ex aquis aliquas esse simplices, alias compositas: diuidit deinde simplices in calidas, & frigidas, atque in eas, quæ mediam sortiuntur naturam. Ad hæc subdit calidas valere aduersus humorem pituitosum, & melancholicum, eò quòd frigidi sint: frigidas verò aquas contra omnes bilis species, quippe quę calida induuntur natura.

Has omnes aquas Pharmacopœus in Officina paratas, & omni tempore destillatas habere debet, easque proponit alphabetico ordine, vt sequitur.

Aquæ calidæ.

Abrotani,
Absynthij,
Allij,
Ambrosianæ,
Anethi,
Artemisię,
Basiliconis,
Bardanę,
Betronicę,
Calaminthæ,
Chamomillæ,
Cardui benedicti,
Centaurij,
Cæparum,
Chelidoniæ,
Ebuli,
Esulæ minoris
Enulę campanæ,
Fœniculi,
Hyssopi,
Iridis,
Euphragiæ,
Iuę arthriticę,
Iuniperi,
Lauendulæ,
Maioranæ,
Marrubij,
Matricariæ,
Melissæ,
Meliloti,

Nucum

Nucum viridium,
Florum nucum,
Origani,
Petroselini,
Pulegij,
Pœoniæ,
Rosmarini,
Raphani,
Rutæ,
Sabinæ,
Saluiæ,
Satureiæ,
Serpylli,

Aqua frigida.

Acetosę,
Borraginis,
Buglossi,
Succi Citri,
Cichorij,
Cucumeris,
Cucurbitę,
Cerasorum acid.
Cerasorum nigr.
Endiuiæ,
Fructus Fragariæ,
Lactucæ,
Limonum,
Melonum,
Nymphææ,
Plantaginis,
Papaueris albi,
Papaueris rubri,
Portulacæ,
Pyrorum agrestium,
Rosarum,
Ranarum, aut potius spermatis illarum,
Solani,
Semperuiui,
Sorborum,
Violarum,

Aquæ temperatæ.

Adianti,
Agrimoniæ,
Argentariæ,
Altheæ,
Alchimillæ,
Asparagi,
Alkekengi,

Barbę hircinæ,
Bursæ pastoris,
Calendulæ,
Caudæ equinæ,
Casei recentis,
Cerefolij,
Cetrach,
Consolidæ vtriusque,
Caprifolij,
Cotoneorum,
Ebuli,
Eupatorij Auic.
Fraxini,
Fumariæ,
Filicis,
Genistæ,
Halicacabi,
Iuæ arthtriticæ,
Lilij conuall.
Lapathi acuti,
Lupuli,
Maluæ,
Mercurialis,
Milij solis,
Nucum viridium,
Parietariæ,
Primulæ veris,
Polytrici,
Pomorum redolentium,
Prunellæ,
Sambuci,
Scolopendrij,
Scabiosæ,
Tamaricis,
Tapsi barbati,
Tussillaginis,
Valerianæ,
Vermium terrestrium,
Verbasci,
Veronicæ,
Verbenæ,
Verruncariæ,
Vrticæ,
Vlmariæ,

Aquas stillatitias tam simplices, quàm compositas multos vsus habere clarum est; nam præter quàm quòd aliæ sunt cephalicæ, & cerebri affectibus accommodatæ, aliæ alijs partibus corporis, si interiùs assumptæ fuerint, siue cum syrupis proportionatis, siue per sè solæ, ob alios etiam vsus exteriùs administrari consueuerunt,

uerunt, videlicet ad conficienda epithemata hepatis, atque cordis, vbi rectè, & vt artis est, fuerint destillatæ vna cum rebus odoratis, & cardiacis, herbis nimirum, ac floribus. Quandoquidem ad oculorum morbos varios faciunt cum in collyrijs coaptantur; oxyrhodina quoque cuiuscunque generis siue ad reprimendum, siue ad discutiendum componunt, nonnunquam, & ad somnum inducendum vtimur. Sunt etiam, qui vsurpent pro mulieribus ad faciei nitorem conciliandum; & huiusmodi aquæ dicuntur comptoriæ, seu fucatoriæ. Inquit Renodæus, corporis pulchritudinē, aut deformitatem magni quidquam ad morum probitatem, aut improbitatem adferre non autumo. Multi enim Thersite deformiores clarissimi floruerunt, & nonnulli Adonide formosiores inter sceleratos computati sunt. Ferè tamen mulieres deformes impias esse noui, quibus, vt nec edentulis senioribus, nullum fucum, aut aquam comptoriam ad faciem erugandam exhibeo, in hoc Galeni, licet pagani, prudentiam secutus, qui non modò vultus, sed capillorum fucum, seu tincturam improbat; quæcunq; (inquit) præ delitijs seipsas ornant, nihil tale quippiam à me petenti exhibui. 1. de compos. medic. localium cap. 3. Hinc apparet huiusmodi aquas destillatitias in medicina facienda non esse necessarias.

Præter Quercetanum, sunt etiam, & alij, qui de huiusmodi aquis stillatitijs mentionem faciunt, quemadmodum est Vuecherus libr. 2. Antidotarij, Ioannes Renodæus in appendice Antidotarij, vbi scribit præter aquas simplices destillatas, alias quasdam in Pharmacopolijs seruari copiosissimas, quarum vsus plurimùm commendatur, non modò ad externos corporis affectus, sed etiam ad internos. Et quamuis ex Antiquis nullus fuerit, qui hanc pulcherrimam destillandi artem amplexus fuerit, ij enim dilutis suis, vel decoctis tantummodo vtebantur, nihilominus non desunt, qui dicant Mesuem habuisse cognitionem hanc destillandi, sed quidquid sit de Antiquis, scio nostrates inuenisse longè meliorem destillandi modum, quo in feruentis aquæ balneo vitreis instrumentis eliciunt (vt patet gustantibus) aquas omnium præstantissimas, quòd plantarum odorem, saporemque retineant, nullum præseferentes nidorem.

Fit autem eductio aquarum à rebus prædictis, vel per ascensum, vel per descensum, vt aiunt Chimici, siue calore humido, siue sicco. Humido calore destillationes fiunt in balneo Mariæ, & in vapore aquæ feruentis, balneum verò Mariæ, aut maris, vt nonnulli dicunt, est vas quoddam cupreum, aut æneum, aut etiam fictile, aquam calidam continens, in quod aliud immittitur vas, quod materiam destillandam continet, & cucurbita, seu boccia vocari solet eique aliud vas rostratum super imponitur, quod vulgus elambicum, seu capitellum nominat, deinde glutine ex farina, & albuminibus ouorum facto simul arctissimè compinguntur. Destillatio in vapore aquæ calentis fit, & ipsa in duplici vase, quorum vnum materiam destillandam contineat, & in alterum oblongum immittatur aqua semiplenum, ita vt relinquatur sufficiens spatium inter cucurbitam iam dictam, & aquam bullientem, cuius vapore sursum elato, materia, quæ destillanda est, incalescat, & ad capitellum rostratum vaporem emittat. Ignis, qui est causa huius destillationis efficiens, clarus esse debet, non fumidus, aut fœtidus, atque ita regendus, vt ne eousque vehemens sit, quoad materiam adurere possit, nec ita paruus, ne ante perfectum opus extinguatur; præterea antequam aqua feruida deficiat, alia substitui debet calida, aut saltem tepida, & eo gradu feruoris calefacienda est, sicut requirit materiæ conditio; nam quædam sunt, quæ vapore tantùm benigno, alia validiore, alia verò, quæ aqua feruente commodiùs destillantur.

Huius descriptio egregia habetur libr. 3. Antidotarij Generalis Vuecheri cap. 39. vbi depingit omnes species, & differentias balnei Mariæ, & modos, quos in destillando doctus Chimicus seruare debeat.

Est & F. Donatus de Heremita ordinis Prædicatorum, qui scripsit de elixir vitæ, in quo multa affert instrumenta destillationi

tioni idonea pro aqua vitæ à vino destillanda per ignem, per solem, & per varios modos putrefactiuos.

Ioannes Ludouicus Bertaldus libr. de aquis stillatitijs cap. 1. admonet, vt si tenuior substantia simplicium, in qua vis inest odoris, expectetur, per vaporarium ea lento igne eliciatur, ac si medicamentosa facultas magis desideretur, recentes herbæ, atque radices minutim concisæ, atque etiam tusæ, suoque succo immersæ, ac madentes in fictili vase, atque nouo recondendæ, & operto vase loco tepido, dum vno, aut altero die insita eorum facultas penitus recondita se se expromat, collocandæ sunt. Id autem fiat si multarum stirpium, licet diuersæ sint facultatis, vis extrahenda est, vt per fermentationem in vnitatem quandam coeant, & hoc modo, ait, Chimicos ex omnibus plantis elicere aquam ardentem. Scribit enim Quercetanus ex omnibus rebus alimentosis sola prædictarum digestionum, & fermentationum ope, aquam vitæ elici posse, & pręcipuè ex rosis. Idem admirabilis sanè vir, & in arte chimica exercitatissimus, non modò affert aquas tum simplices, tum compositas per destillationem inuētas, verùm etiam docet modum, & sanè quam pulcherrimum; Inquit enim non esse satis cognouisse stillatitias huiusmodi aquas, verum ipsas destillandi (integris seruatis virtutibus, atq; proprietatibus) modum nouisse expedit, qui alia longè ratione perficitur, quàm vulgari illa destillatione, qua phlegma solùm, & inutilis quædam aqua citò putrescens extrahitur, Hoc loco apponere volui ad excitandos Pharmacopœos, vt ipsum imitentur in aquarum destillatione, propria ipsius verba.

Itaque (inquit) vt eam methodum planè restituamus, aliamq; longè vtiliorem introducamus, herbas, flores, aut reliqua eiusmodi integra in alembicum (siue plumbeum, siue vitreum sit) conijciantur destillandi loco: flores destillandos conteremus, eorumque iure torculari expresso, & in communem alembicum infuso, virtutem eius integram substantiamque more solito extrahemus. Quæ quidem, vt efficacior euadat, vegetiorque, excipiendæ sunt fæces, & quæ post succum expressum, & quæ in alembici fundo remanserunt, quas in vas terreum impositas igni ardentissimo calcinabis, donec omninò in cinerem abeant. His peractis cineres istas in manicam Hippocratis inijcies: quibus infundes prædictam aquam destillatam, vt omnem salem recipiat, reaffusione sæpiùs repetita. Et ita quidem habebis aquam suo sale imbutam, præcipueque stirpis, ex qua emanauit, virtutibus præditam. Aquam inquam, quæ multos menses, imò, & annos integra, incorruptaque conseruari potest, cuius etiam, vel vncia plus præstabit, quàm plures illius, quæ communi via extrahitur. Nec sanè labori parcendum, aut ab ea operatione abstinendum, cùm tantæ rei, tamque pretiosæ, sanitatis nempe humani corporis, gratia fiat. Quod si prædictæ aquæ colorem, & odorem proprium imprimere sit animus; ingentem eorummet florum copiam in rostro alembici impones, sic inter destillandum aqua sursum ascendens ex istis floribus colorem, & odorem (quæ vtiles, & pulcherrimæ sunt qualitates) eliciet, & retinebit. Et hęc tibi est concinna, ni fallor, breuis, vera, & legitima aquarum stillatitiarum præparatio.

Quod attinet ad aquas, non grauabor ad communem vtilitatem eas simplices in medium afferre, quas reducit ad capitales, ad thoracicas, & ad eas, quæ conferunt varijs partibus abdominis; priores sunt.

Aquæ capitales.

Basiliconis,
Betonicæ,
Calendulæ, ***
Calaminthæ,
Iuniperi,
Lilij conuallij,
Maioranæ,
Melissæ,
Pœoniæ,
Primulę veris, ***
Rosmarini,
Satureiæ,
Serpylli,

Florum

Florum Tiliæ arboris,
Visci Quercini,
Omnes has aquas frigidorum humorum, qui in cerebro existunt, pituitæ nempè, ac melancholiæ præparationi inseruiunt, ac potissimùm quidem aquæ basiliconis, betonicæ, saluiæ, rosmarini, stœchados, serpylli. Apoplexiæ, reliquisque eiusmodi soporiferis affectibus ex pituita, & humore crudo natis dicatæ sunt.

Aquæ calendulæ, granorum iuniperi, primulæ veris, quæ, & herba paralysis dicitur, mirè, ac specificè ad paralysim conducunt. Addit idem Quercetanus aquas pœoniæ, lilij conuallij, florum tiliæ arboris, & visci querni antepilepticas nominari, quemadmodum etiam, & cerasorum nigrorum aquã, ait mox aquam fraxini cum suo sale mixtam specificum esse ad surditatem (non tamen inueteratam) remedium. Addit aquam chelidoniæ, euphragiæ, fœniculi, peculi rosarum, & caprifolij, ophthalmicas esse: harumque alias esse, quæ oculorum inflammationibus, alias reliquis eorum affectibus, imò & acuendæ ipsorum aciei conseruandæque accommodatas esse. Istæ sunt aquæ, quas dicit esse capitales, modò ad thoracicas se accingit declarandas.

Aquæ thoracicæ.

Bardanæ, quæ personata, aut lappa maior est dicta.
Chamomillæ,
Enulę Campanę,
Iridis,
Hyssopi,
Vrticæ,
Peti,
Adianti,
Scabiosæ,
Tussilaginis,
Buglossi,
Borraginis,
Violarum,
Papaueris rubri,
Pectoris vitijs, mirificè conducunt, inquit idem Author, additque alias humori crasso, viscidoque bronchijs pulmonum contento attenuando, & iuuandæ expectorationi, alias verò tenuiori, ac subtiliori incrassando per se, aut syrupo conuenienti mixtas, mirum in modum conferre. Subdit deinde aquam papaueris rubri, quam semper paratam Pharmacopęi habere debent, singulare pręsidium malis ex intensissimo rubore natis; nam ad peripneumoniam, pleuritim, cæterasque pulmonum inflammationes confert. Proponit, & aquam peti, quam generosissimam dicit esse ad asthma, quemadmodum, & syrupus, qui ex illo conficitur. Petum est illa herba, quæ tabacco, seu nicotiana dicitur.

Alias pectorales aquas adducit, quæ cordi roborando faciunt, quemadmodum est aqua.
Melissæ,
Scabiosæ,
Acetosæ,
Succi citri,
Succi limonum,
Granatorum,
Cardui benedicti
Rosarum,
Et violarum,
Pestilentibus febribus, syncopis, palpitationibus, tum assumptæ, tum forma epithematis extrinsecus admotę medentur. Et istæ sunt aquæ pro thorace.

Aquæ, quæ ad abdomen faciunt, aliquæ sunt stomachales, vt aquæ
Absynthij,
Menthæ,
Ambrosianæ,
Cotoneorum,

Aliæ pro hepate, vt sunt aqua
Cichorei,
Endiuiæ,
Adianti,
Epaticæ,
Agrimoniæ,
Eupatorij ex Auicenna,
Lapathi acuti,
Quę intemperies iecinoris humores præparando, ipsumque corroborando corrigunt.

Aliæ spleniticæ sunt, vt
Cetrach,
Scolopendrij,
Genistæ,
Tamaricis,
Pomorum redolentium,

Aliæ ad renes faciunt, vt aqua
Raphani,
Halicacabi,
Granorum Iuniperi,
Limonum, ⁂
Parietariæ,
Millij solis,
Esulę minoris,
Veruncariæ,
Quæ calculum comminuunt, arenulasque, & materias tartareas in renibus accumulatas dissoluunt.

Aqua ex succo corticum viridium nucum extracta ad calculum renum, & vesicæ cōminuendum, pellendumque expertissima est. Alliorum quoq; aqua confert.

Aquæ Maluæ,
Bismaluæ,
Cucurbitæ, ⁂
Melonum,
Cucumeris,
Nymphęæ,
Renes leniunt, vrinęque ardorem, & acrimoniam contemperant.

Aquę pyrorum agrestium, & sorborum alui fluoribus omnibus conducunt.

Aquæ Plantaginis,
Bursæ Pastoris,
Alchimillæ, hoc est stellariæ,
Veronicæ,
Pirolæ,
Caudę equinæ,
Vtriusque consolidę,
Renum vlceribus, & excoriationi conferunt, & sunt aquæ vulnerariæ.

Aquæ Cardui benedicti,
Vlmariæ,
Petasites,
Sunt aquæ sudorificæ, ac pestilentibus affectibus conducunt.

Aquæ Artemisię,
Matricarię, ⁂
Marrubij,
Mercurialis,
Histericę sunt, vterumque iuuant, & affectibus ipsius prosunt.

Hoc loci posuit pręcitatus Author aquam granorum ebuli, & sambuci serosos humores deturbare, & asciti conuenire; proposuerat etiam aquam destillatam ex folijs, & floribus tapsi barbati, priùs in vino per triduum maceratis, quę aqua valdè efficax est ad sedandos arthriticos dolores ex quacūq; causa subortos.

Aqua cęparum ad morsus rabidi canis per os exhibita multùm conducit; prodest etiam ad calculum.

Aqua hyperici, & portulacæ puerorum lumbricos enecant.

Aqua cerasorum acidulorum,
Fructus fragorum,
Papaueris albi,
Florum centaurij,
Tertianis febribus, & biliosis non mediocre ferunt solatium.

Aqua Ebuli,
Iuæ arthriticæ,
Verbasci,
Arthriticos dolores sedant, si partibus dolentibus linteamine supradictis aquis imbuto tepidæ apponantur.

Aqua ex folijs, & radice filicis destillata omni adustioni linteaminibus supradictis tepidè appositis confert.

Et istę sunt omnes aquę, quę singulas partes respiciunt, & affectibus medentur, alię manifesta, alię occulta qualitate.

Quas omnes stillatitias esse debere apud Pharmacopęos asseruatas, maximè probo, quia rationi valdè sunt consonę. Verùm cùm ipse vltimo loco vnam proponat aquam à spermate ranarum mense Martio destillatam, mihi videtur esse quid fabulosum, & potiùs ridiculum, eò quòd non putem posse haberi semen, & colligi à ranis decidens, quia ranę videntur potiùs esse animalia ex putredine orta haud ex semine, & dato etiam, quod habeant semen, quis est ille tam oculatus, & tam diligens, qui possit ea animalcula ita disponere, vt emittant semen, quod colligi possit humana industria. Huiusmodi igitur aqua aliarum diligenter descriptarum, videtur obscurare facultates, ita vt vix aliquam certitudinem de ipsis facultatibus possimus confirmare.

Sunt modò & quamplures alij Authores multas aquas, & simplices, & compositas describentes, quemadmodum est Vuecherus iam citatus, Ludouicus Bertaldus in pulcherrimo, & eleganti medicamentorum apparatu; est & Ioannes Renodęus in Antidotario, qui omnes aquas simplices, & compositas in communi

muni vsu existentes descripserunt ordine alphabetico, quę tales sunt.

Aquæ destillatæ vsuales.

Abrotoni,
Absynthij,
Acacię nostrę,
Acetosę,
Acetosellę,
Adianti,
Agrimoniæ,
Altheę,
Alsines,
Anagallidis,
Anthemidis,
Anethi,
Angurię,
Apij,
Artemisiæ,
Arnoglossi,
Asari radicum
Asparagi,
Auriculæ muris,
Basiliconis,
Bardanæ,
Betonicæ,
Betulæ arboris,
Borraginis,
Buglossi,
Bursæ pastoris,
Calaminthæ,
Cardui benedicti,
Capitis Monachi,
Caudæ equinæ, seu hippuridis,
Centaurij,
Cerefolij,
Chelidonij,
Cichorij,
Cerasorum nigrorum,
Citri pomorum,
Consolidæ mediæ,
Consolidæ Regiæ,
Crassulæ,
Cochlearum,
Centinodiæ,
Cęparum,
Caprifolij florum,
Cuscutæ,
Cotoneorum,
Citrulorum,
Endiuiæ,
Euphragiæ,
Enulæ,
Ebuli,
Eupatorij Auicennæ,
Fœniculi,
Fragaræ,
Fragorum ex fructu,
Fraxini,
Florum fabarum,
Florum tiliæ,
Florum siliginis,
Florum ciani,
Fumariæ,
Fungorum,
Genistæ,
Hederę vtriusque,
Helxines, seu volubilis,
Hyssopi,
Hypericonis,
Halicacabi,
Iridis,
Iuæ arthriticæ,
Iuniperi ex granis,
Lactucæ,
Lauendulæ,
Leuistici,
Linariæ,
Liliorum conual.
Liliorum alborum,
Lapathi,
Lupulorum,
Ligustri florum,
Maioranæ,
Maluæ,
Marrubij,
Matricariæ,
Meliloti,
Melissæ,
Menthæ,
Menthastri,
Mercurialis,
Mille folij,
Milij solis,
Mellis,
Melonum,
Morsus diaboli,
Nasturtij,
Nucum immaturarum,
Nymphęæ,
Origani,
Parietariæ,
Petroselini,

Pulegij,
Pæoniæ,
Papaueris vtriusque,
Primulæ veris,
Phyllitidis,
Picarum,
Portulacæ,
Prunellæ,
Pyrorum syluestrium
Polygonati,
Polytrici,
Quercus foliorum,
Rosarum vtrarunque
Raparum,
Raphani,
Rosmarini,
Rutæ,
Sabinæ,
Saluiæ vtriusque,
Sambuci,
Satyrionis,
Satureię,
Saxifragię,
Scabiosæ,
Sedi, seu Semperuiui,
Senecionis,
Serpylli,
Spicæ nardi,
Solani,
Squamariæ,
Tamaricis,
Tanaceti,
Tussilaginis,
Valerianæ,
Verbasci,
Veronicæ,
Verbenacæ,
Violariæ ex floribus herba,
Vitium lacrymæ,
Vrticæ,

Quod ad aquas compositas attinet, multę sanè proponuntur à Quercetano, sed an satisfaciant intentionibus, quas ipse proponit, vix affirmare, queo; nam alios pro internis affectibus proponit, alias verò pro externis, & pręsertim pro oculoram morbis, quarum cùm nullam hactenus probauerim; non audeo determinare, an à Medicis vsurpandę sint: relinquo tamẽ vnumquemque in suo arbitratu; vt has compositiones legat, experiatur, & obseruet, an præstent id, quod promittunt. Verùm cùm ab alijs doctissimis viris proponantur aquæ compositæ quæ faciunt potiùs ad virium conseruationem, quàm ad pharmaciam, inter quas primò occurrit aqua caponis, quæ à multis probatur, & præcipuè ab Andrea Lacuna, referente Vuechero in magno Antidotario, hic apponere non grauabor.

Aqua caponis.

Capo generosus in aqua pura decoquitur, cui adde
Fol. Borraginis,
Buglossi ana manip. j.
Conserue Violarum,
Rosarum,
Borraginis,
Buglossi ana vnc. ij.
Addito modico ex pulueribus cordialibus, destillentur omnia in balneo Mariæ, deinde aromatiza cum puluere trium santalorum, vt artis est.

Est, & altera, quæ à doctissimo Gisnero descripta est, & probata, videlicet.

Alia aqua caponis.

Pulpa vnius capi, detracta pinguedine, & pelle, minutim incidatur, & cum aqua buglossi abluatur; deinde addita
Conseruæ Violarum,
Borraginis,
Buglossi ana vnc. j. & semis.
Rosarum vnc. j.
Foliorum auri numero vj.
Misceantur omnia diligenter, deinde in duplici vase reponantur, & secundùm artem destillentur.

Huius liquoris frequenter cochlear vnum exhibitum per se, aut cum iusculis dissolutum, collapsas vires restaurat. Præter has sequẽs adhuc componi solet.

Aqua caponis composita.

℞. Caponem euisceratum, atque in frusta incisum, deposita pinguedine, decoque in sufficienti quantitate aquæ secundùm artem, cuius.
℞. Brodij colati libr. ij. & semis.

Aquarum

Aquarum Borraginis,
Buglosſi ana libr. j. & ſemis.
Florum Roſarum,
Violarum,
Buglosſi,
Borraginis ana drach. ij.
Cinnamomi electiſſimi vnc. j.
Deſtillentur in alembico vitreo ſecundùm artem.

Quamuis à grauiſſimis, & doctiſſimis viris aquæ caponis prædictæ deſcribantur, & multæ aliæ quamplures, quæ eandem intentionem habent, nihilominus, quia Quercetanus vnam ponit, quæ eſt difficilioris preparationis, & etiam maius robur affert, & delicatior videtur præſcriptis, eam inmedium afferre volui, vt vnuſquiſque cognoſcat diuerſitatem compoſitionum, & vtatur ea, quæ ſibi placuerit.

Aqua caponis Quercetani.

℞. Caponem vnum, vel plures, prout lubet, antiquum, pinguem, & exenteratum, in fruſta diſcinde, & in phialam vitream capacem inijce, addendo
Santali citrini,
Ligni aloes,
Garyophyllorum,
Nucis moſchatæ,
Cinnamomi,
Macis ana vnc. j.
Galangæ,
Corticis Citri,
Zedoariæ,
Croci ana vnc. ſemis.
Florum Roſmarini,
Saluiæ,
Betonicæ,
Lauendulæ,
Borraginis,
Buglosſi,
Roſ. rubrarum ana pugil. j.
Coralli præparati vnc. j.
Granorum alkermes drach. iij.
Vini Canariæ menſ. j.
Sacchari albiſſimi libr. ſemis.
Vas benè clauſum, vt nihil euaporet, collocetur in balneo Mariæ feruido per octo vel decem dies, donec vi bullientis aquæ in minutiſſimas particulas decoctus fuerit. Exprimantur poſtea omnia per torcular, & in alembico deſtillentur.

Doſis eſt cochlear vnum, atque alterum. Geſnerus hanc aquam mirificè commendat ad vires exhauſtas, & ipſas etiam febres continuas. Hiſce aquis deſtillatis compoſitis, quæ pro recreandis, & reſtaurandis viribus ab autoribus proponuntur, adduntur alij liquores prætioſi, qui etiam ſub aqua vitæ appellatione ab aliquibus recenſentur, dicuntur autem propriè elixir vitę, inter quos primò proponam eum, qui à ciue meo Leonardo Florauanti deſcribitur, & ab Vuechero tranſcribitur in magno Antidotario, qui eſt huiuſmodi.

Elixir vitæ Leonardi Florauanti.

℞. Caryophyllorum,
Nucis moſchatæ,
Zedoariæ,
Zingiberis,
Galangæ,
Piperis albi,
Piperis nigri,
Baccarum iuniperi,
Cort. mali citri,
Mali aurant.
Saluię,
Baſiliconis,
Roſmarini,
Menthæ,
Maioranæ,
Baccarum lauri,
Pulegij,
Calaminthæ,
Foliorum ſambuci,
Roſ. rubearum,
Albarum,
Spicæ nardi,
Cubebarum,
Ligni aloes,
Cardamomi,
Cinnamomi,
Calami aromatici,
Stæchados,
Chamædryos,
Chamæpityos,
Granorum paradiſi,
Macis,
Thuris maſculi,

Aloes

Aloes hepaticæ,
Sem. artemisiæ,
Maioranæ ana drach. ij.
Ficuum,
Passularum,
Dactylorum,
Amygdalarum,
Pinearum ana vnc. vj.
Mellis albi libr. j.
Moschi drach. j.
Sacchari albissimi libr. iiij.
Aquæ vitæ optimæ circulatæ libr. xv.
Terenda terantur, misceantur, & macerentur per dies decem in cucurbita vitrea optimè clausa: deinde calore balnei destillentur, demùm per menses duos circuletur aqua, & habebis Elixir. Quo facto materia in cucurbita relicta eximatur ac denuò destilletur calore cinerum vehementissimo, & emanabit aqua rubea, sicut sanguis, fætida, fumosa, & turbida, quæ etiā circulanda est, vt prima. Est enim pars ignea, & tantæ virtutis, vt quasi mortuos resuscitet. Atque hę duę aquæ seorsim seruandæ sunt in vasis vitreis optimè obturatis. Prima à multis morbis hominem præseruat, si bis in hebdomada drachma vna sumpta fuerit. Valet ad vulnera: visum conseruat: venerem excitat: mulierum sterilitatem remouet. Secunda verò, quæ rubra est, conuenit dolori matricis, pleuritidi, doloribus colicis, dentium, curat, & sanat omnia genera febrium: loquelam etiam amissam restituit, si ad drachmam vnam sumatur.

Elixir Thadæi Florentini.

℞. Caryophyllorum,
Nucis moschatæ,
Macis,
Zedoariæ,
Galangæ,
Piperis longi,
Pyrethri,
Cort. Citri,
Maioranæ,
Saluiæ,
Ammi,
Nardi Indici,
Xyloaloes,
Cubebarum,
Cardamomi,
Cinnamomi,
Menthæ,
Lauendulæ,
Costi,
Pulegij,
Origani,
Calaminthæ,
Calami odorati,
Stœchados,
Chamædryos,
Chamepityos,
Quæ in puluerem redacta, vino optimo macerentur, inde leuissimo igne vitreis organis aqua excipiatur. Primus liquor perspicuus, optimusque erit; quemadmodum, & secundus, tertius abijcitur. Potest nonnihil moschi lineo panno inuoluti addi, assiduè autem in ipsa aqua moschi nodulus appensus maneat. Cochlearis mensura bibitur ieiuno stomacho. Confert enim tremori, paralysi, colli dolori, quem frigidus humor, aut spiritus genuerit. Tardat canitiem, atque iuuentutis robur conseruat, calculum in renibus minuit.

Elixir vitæ maius Quercetani.

℞. Rad. Zedoariæ,
Angelicę,
Gentianæ,
Valerianæ,
Tormentillæ,
Scorzoneræ,
Galangæ,
Ligni aloes,
Santali citrini ana vnc. iij.
Melissæ,
Menthæ rubræ,
Maioranæ,
Basiliconis,
Hyssopi,
Thymi,
Chamædrios,
Chamæpityos, ana manip. semis.
Granorum lauri,
Iuniperi,
Cort. limonum,
Arantiorum siccorum,
Sem. pœoniæ,
seseleos,

Anethi,

Anethi,
Fœniculi,
Anisi,
Citrij,
Cardui benedicti ana vnc. ij.
Garyophyllorum,
Cinnamomi,
Macis, ***
Zingiberis,
Cubebarum,
Cardamomi,
Piperis longi, & rotundi,
Spicæ nardi ana vnc. j. & semis.
Benioini,
Myrrhæ,
Olibani,
Succini,
Mastiches ana drach. vj. ***
Flor. Rosmarini,
Saluiæ,
Pœoniæ,
Stœchados,
Calendulæ,
Lauendulæ, ***
Hyperici,
Centaurij minoris,
Betonicæ,
Lilij conuall.
Tiliæ arboris ana pugil. ij.
Flor. Cichórij, ***
Rosf. rubr.
Buglossi ana pugil. j.
Mellis granati,
Sacchari albi ana libr. j.
Aquæ vitæ optimè rectificatæ libr. x.

Incidenda incidantur, & contundenda contundantur. Omnia hæc in matracium capax, & hermeticè clausum, ne quid exhalet, iniecta in fimo equino mediocriter calido per octo, aut decem dies putrefiant: putrefacta fortiter exprimantur: expressa verò per cornutam, vel alembicum ad conuenientem ignem destillantur: ponendo in limbo alembici moschi drach. med. ambræ grisee, croci ana dracham vnam. Aquam, quæ primùm ab expressione illa effluet clarissima (pretiosa tamen) seorsim asseruabis. Cum verò recipiens (quod capax, vitreumque esse, & optimè cum collo cornutę adhærere debet, ne vel minimùm quidem expiret) obscurari, spiritibusque subalbidis offerciri percipies, aliud eius loco, aut idemmet repones, si priùs extillatum illum primum liquorem seorsim asseruandum separaueris. Iunctoque denuò optimè, vt priùs cum collo cornutę recipiente, ignem per gradus, vt artis est, pedetentim augebis, quò prędicti spiritus subalbidi non ampliùs appareant.

Dein aufer tuum recipiens, vt eam, quæ secundò elicita est, aquam (quam matrem balsami vocant) seorsim etiam separes, adseruesque, & hæc quidem tum ad plures morbos extirpandos, tum ad conseruandam sanitatem mirabili profectu conducit. Accommoda rursus prædictum recipiens, sicut fecisti anteà, per gradus auge, donec destillato primo oleo subflauo, deinde rubicundo, materiæ in fundo siccæ remaneant, nec tamen perfectè aridæ, ne extillatus liquor, adustionem suboleat. Quibus peractis, assume tibi aquam illam clarissimam, quam primò satis copiosè elicuisti, affunde residuis fæcibus, & fac vt simul per sex, aut septem dies digerantur ad calorem balnei Mariæ, donec aqua coloretur, & flauescat, attracta scilicet magis ignea, & oleaginosa materiæ portione. Fæces residentes, cùm scilicet omnem tincturam suam prædictæ aquæ impresserint, seorsim ad dicendos vsus adseruentur. Post omnes prædictos liquores (seruata tamen si lubuerit ex vnoquoque proportione aliqua ad effectus supra commemoratos, quibus mirum in modum prosunt) & eum quoque ipsum liquorem, qui ex fæcibus tincturam attraxerit, simul miscebis, vt inde pretiosissimum, longeque prædictis excellentiorem elixir vitæ elicias, vt sequitur procedendo.

Tres itaque prædictos liquores simul mixtos per cornutam, aut alembicum vitreum (nulla tamen prętmissa digestione præter mixtionem ipsam) destillabis, eademque planè ratione, qua priùs elementa, principiaque liquorum separabis. Elicies namque primam aquam clarissimam, quam seorsim reseruabis, cùm scilicet recipiens fumo nubiculoso obscurari percipies: dein mutato recipiente, accomodatoque, vt priùs, ignem eò continuabis, donec liquorem subflauum effluere

fluere percipias, quem etiam seorsim, vt priorem adseruabis. Interim dum prædictæ destillationes, aut elementorum, siue principiorum duorum separationes fient, reseruatas superiùs fæces, ad ignem reuerberij calcinabis, ex quibus in cinerem redactis salē, vt artis est, cum prima tua aqua clarissima allicies, quæ quidem aqua sale suo imbuta, cum reliquis duobus adseruatis liquoribus permisceatur, vt tandem ex triangulo facias circulum, vt loquuntur Philosophi, nempe vt ex tribus illis distinctis aquis per circulationem in pellicano (ea, qua decet arte) factam, vna essentia erumpat, fiatque ea ratione magnum illud elixir vitę, arcanum admirandum. Et id quidem via satis succincta, facili, atque philosophica, verisque Philosophis nota, ex qua viam, & certam methodum omnibus rebus conficiendi elixiris consequeris.

Huius elixiris ineffabiles sunt virtutes ad curandas, & præcauendas vertigines epilepsias, apoplexias, paralyses, manias, melancholias, asthmata, syncopes, lypothimias, stomachique, & aliarum partium imbecillitates, cachexias, hystericas passiones, & alia id genus summa, & deploranda symptomata: huius guttulę aliquot tantùm exhibentur cum decocto conuenienti, morboque appropriato. Vt verbi gratia ad epilepsiam cum aqua pœoniæ, lilij conuallij, & florum tiliæ arboris. Ad paralysim cum aqua calendulę. Ad pestem cum aqua vlmariæ, aut cardui benedicti. Ad asthma cum aqua scabiosæ, peti, tussilaginis, aut similibus. Valet etiam illud elixir ad restaurationem, & cōseruationem balsami nostri radicalis, si quatuor, aut quinque guttulæ exhibeantur cum iusculo, vino, aut conuenienti aliquo liquore.

Sed dices laboriosiorem æquo, prolixioremque esse huius elixiris præparationem: at sanè longè satiùs, necessariumque magis est tempus in tantis, tamque admirandis rebus, quàm in resarcienda vilibus, ac inutilibus penè medicamentis officina, collocare, attamen vt omnibus etiam indulgeam, faciliorem, & iucundiorem forsan elixiris ad sanitatem conseruandam, vitamque prorogandam efficacissimi, præparationem subscribam.

Elixir vitæ minus, facillimum.

℞. Rad. gentianæ in talleolas sectarum, & exsiccatarum,
Rad. Centaurij minoris ana vnc. iij.
Galangæ,
Cinnamomi,
Macis,
Garyophyllorum ana vnc. j.
Flor. Saluiæ,
Hyperici,
Rosmarini ana pugill. ij.
Vini albi generosissimi libr. vj.

Macerētur in matracio vitreo benè clauso per octo dies ad ignem balnei Mariæ lentum: deinde fortiter exprimantur, & per alembicum vitreum destillentur per cineres ad siccitatem, aquam destillatam fecibus reaffunde, vt ex his in balneo Mariæ tepido totam tincturam elicias, fæces post tincturę extractionem reducantur in cineres, ex quibus salem elicies aqua cardui benedicti, vel vlmariæ, salemque illum ex artis præscripto optimè depuratum, vt docebimus capite de salibus, prędictæ suę proprię aquæ iam tinctæ addes; ex hoc elixire quarta cochlearis pars, aut per se, aut ex liquore conueniente diù exhibeatur. Specificum est remedium ad omnes cachexias, stomachi imbecillitates, quem à viscidis, & mucilaginosis humoribus ei adhęrescentibus purgat, mundificatque, vermium generationem prohibet, corpusque sanum conseruat, & ab iniurijs tuetur: hoc autem bis tantùm in hebdomada, sed tamen longo tempore vtendum est.

Addit & idem Quercetanus tertium genus elixir, quod scribit esse paratu facillimum, quod hic apponere volui, tum quia est (vt ille scribit) ad componendum facile, tum quia est paucæ expensæ.

Aliud Elixir vitæ facillimum.

℞. Ligni aloes,
Rad. Galangę,
Zedoariæ,
Scorzoneræ ana vnc. j.

Macis,

Macis,
Garyophyllorum
Cinnamomi,
Cardamomi,
Dictami,
Corticis citrij ana vnc. semis.
Coriandri præparati,
Granorum alkermes,
Iuniperi ana drach. iij.
Crasso modo contusa in vase vitreo cum collo oblongo, quod matracium nuncupamus, ponantur: superfundatur aqua vitæ fortissima ex vino Canariæ destillata, vt materiam quatuor, aut quinque digitos supernatet. Macerentur omnia in loco frigido per spatium octo dierum, agitando vas bis, vel ter in die. Aqua interea temporis cunctas simplicium virtutes extrahet, ac ijsdem impraegnabitur, & tingetur. Tunc id, quod clarefactum, eorumdemque ingredientium proprietatibus tinctum, & impraegatum fuerit, separabis per inclinationem, studioseque in phialis probè clausis seruabis, ac tempore necessitatis eiusdem exhibebis cochleare dimidium, vel vnum integrum ad summum. Ex residua materia, siue spissamento illo formari poterunt linimenta ad apoplexiam, & paralysim, coronali suturæ, spinæ ceruicis, & partibus ex causa aliqua frigida dolentibus applicata in forma cataplasmatis, siue linimenti, addendo olea conuenientia. Vel ex his omnibus etiam aquam, in modum aliarum aquarum modò descriptarum, componere licet, si libet.

Huiusmodi medicamenta, quæ sub nomine elixir scribuntur, non sunt necessaria ea ratione, vt cogantur pharmacopœi eadem præparare, & in suis pharmacopolijs conseruare, ea tamen in medium adducere volui, tum vt, vbi opus sit vnusquisque possit ea conficere ad vtilitatem communem: tum vt huiusmodi Antidotarium contineat in se omnia medicamenta, præsertim composita, & pretiosa, quemadmodum sunt ista. In hoc censu proponuntur, & præsertim à Spagyricis, & Alchimistis aliquæ aquæ, quæ ab ipsis appellantur theriacales, & quamuis medici eas proponant, & maximè extollant pro varijs morbis delendis, fuerunt tamen ab Alchimistis inuentę. Inter eas autem propono primùm eam, quam ipse Quercetanus appellat aquam theriacalem communem pro gregarijs, fit autem ad hunc modum.

Aqua theriacalis communis.

℞. Theriaces Alexandrinæ vnc. iij.
Myrrhæ vnc. j. & semis.
Aquæ vitæ,
Vini odoriferi ana lib. semis.
Misceantur, digerantur, & destillentur ad siccitatem in balneo vaporoso.
Dosis huius aquæ est vnc. semis cum aqua rutę, aut fumiterrę. Mouet sudores potēter, & valet ad oēs pestilentes affectus.

Alia aqua theriacalis ab eodē Quercetano proposita, quæ cordialis, & bezoardica appellatur; cōponitur ad hūc modū.

Aqua theriacalis bezoardica:

℞. Rad. Angelicæ,
Zedoariæ,
Garyophyllorum
Barbæ hirci,
Tormentillæ,
Petasites,
Enulæ campanæ ana vnc. ij. & semis.
Ras. cort. ligni indici vnc. vij.
Sandali citrini,
Cinnamomi,
Macis,
Gran. iuniperi,
Sem. cardui benedicti,
Citrij,
Et corticis eiusdem ana vnc. j.
Dictami albi,
Scabiosæ,
Menthæ rub.
Chelidoniæ,
Scordij,
Rutæ,
Melissæ,
Scorzoneræ ana manip. j.
Flor. centaurij minoris,
Hyperici,
Genistæ,
Calendulæ,
Borraginis,
Buglossi ana pugil. j.

Macerentur per quatriduum ad ignem balneum. Mar. in vini
Maluatici libr. iij.
Succi limonum,
Aquæ nucum viridium,
Melissæ,
Vlmariæ,
Cardui bened. ana libr. semis.
Dein exprimatur. Expressioni adde
Theriacæ vnc. iij.
Confectionis de hyacintho vnc. j.
Confectionis alkermes drach. vj.
Diamargariti frigidi,
Diacoralli ana drach. iij.
Diambræ,
Diamoschi aua drach. ij.
Croci,
Myrrhæ ana vnc. semis.
Sacchari candi libr. semis.
Macerentur denuò per duos, tresue dies ad eundemmet ignem balnei. Deinde destillentur per cineres ad siccitatem, fiat aqua theriacalis. Vt præstantior, & efficacior fiat, extrahendus est sal ex fæcibus residentibus, ea qua decet arte, atque cum aqua prædicta commiscendus: si velis, non opus erit destillatione, sed de secunda infusione exhibebis vncias duas. Validius namque, ac præstantius erit remedium, & prouocandis sudoribus magis idoneum.

Multę sunt descriptiones harum aquarum, quæ theriacales dicuntur, quas si quispiam optat habere, vel videre, legat librum secundum magni Antidotarij Vuecheri, in quo multæ descriptiones à varijs Autoribus habentur, inter quas ea est, quam supra adduximus ex Quercetano, quæ tamen describitur alia ratione: est etiam, & hæc descriptio.

Alia aqua theriacalis.

℞. Theriacæ alexandrinæ vnc. ij. & semis.
Myrrhæ electæ vnc. j. & semis.
Croci drach. ij.
Spiritus vini vnc. vj.
Sed vt finem imponam enarrationi aquarum theriacalium, duas afferam à Renodæo descriptas in suo Antidotario in appendice, quarum vna ad hunc modum describitur.

Aqua theriacalis Renodai.

℞. Rad. gentianæ,
Enulæ campanæ,
Tormentillæ,
Angelicæ,
Imperatoriæ ana vnc. j.
Cyperi,
Ireos florent. ana drach. vj.
Zedoariæ,
Cort. citri sicci, & aurantiorum,
Cinnamomi,
Garyophyllorum,
Sem. cardui bened.
Corymborum hederæ,
Granorum iuniperi ana vnc. semis.
Dictami,
Scordij,
Melissæ,
Calendulæ ana manip. semis.
Macerentur per diem integrum super cineribus calidis invase oris nō multùm patuli, & ritè obturati, cum vini albi libr. vj.
Die sequenti adde decoctionis
Vlmariæ,
Betonicæ,
Nenupharis libr. ij.
Deinde bulliant parum, ac lento igne. Tum fiat expressio, in qua dissolue, & infunde per noctem
Theriacæ bonæ vnc. iiij.

Postea ponantur in alembico vitreo, & fiat destillatio in balneo Mariæ, aqua hinc destillata seruetur.

Inter aquas Theriacales, & alexiterias nulla est hac præstantior, & efficacior; facultates enim nō modò recreat, sed qualitatem omnem pestilentem, & venenatā oppugnat, & extinguit. Syncopę, palmo, ac omni animi deliquio prodest, vertigini, lethargo, apoplexiæ, & paralysi.

Altera aqua theriacalis Renodai.

℞. Rad. enulæ campanæ,
Angelicæ ana vnc. iiij.
Sem. cardui bened.
Garyophyllorum,
Granorum iuniperi ana vnc. j.
Scordij,
Echij,

Vlmarię,

Vlmariæ,
Maioranæ,
Melissæ,
Betonicæ ana manip. j.
Fiat decoctio, in qua colata ad lib. iiij. infunde per diem integrũ, vel etiam biduũ,
Mithridatij,
Theriacæ ana vnc. ij.

Ponantur in alembico, & destillentur, vt artis est.

Vires habet superiori affines, sed imbecilliores. Parari facilè poterit non solùm in Pharmacopolijs, sed etiam in singulis ciuium ædibus; paucis enim constat, quæ vbique ferè reperiuntur.

Aqua vitæ.

Aqua vitæ, quæ per alembicum à vino extrahitur, adeò communis est, vt omnes Pharmacopæi, & alij etiam ipsam destillatam in officinis seruent, quæ dicitur aqua vitę simplex. Alia verò est composita, cuius multiplex est differentia, & huiusmodi aquę descriptæ habentur tum ab Vuechero, tum à Quercetano, quæ componi possunt, ex horum Doctorum præscripto, vbi necessitas adfuerit.

In hoc Antidotario non fuit intentio omnes huiusmodi aquas enumerare, nihilominus vnam describam, quæ à Luca Ghino conciue meo fuit inuenta, & sępiùs probata; transcribitur autem ab Vuechero loco præcitato ad hunc modum.

Aquæ vitæ, Lucæ Ghini.

℞. Cinnamomi electi vnc. x.
Ligni aloes drach. v.
Cardamoni,
Cubebarum,
Garyophyllorum ana vnc. iij. & semis.
Galangæ drach. iij.
Santali citrini drach. ij. & semis.
Rosſ. rubearum siccarum drac. iij & sem.
Nucis moschatæ,
Macis ana drach. semis.
Moschi drach. j.
Ambræ Grisæ gran. xxxx.
Aquæ vitæ circulatæ libr. xij.
Syrupi de corticibus mali citri,
Miuæ cytoniorum ana libr. j.

Pulverizentur pulverizanda, & misceantur in vitro optimè obturato, agitando quotidie bis, vel ter, & cum per mensem sic steterint: coletur, & seruetur ad vsum.

Amissam memoriam restituit, sensus, cor, stomachum, & cerebrum corroborat, mœstitiam fugat, pręseruat à peste, & apoplexia: omnibus denique morbis frigidis subuenit.

Aqua vitæ Gisneri.

Addamus aliam aquam vitæ compositam, quę ab eodem Vuechero ex Gisnero refertur, fit ad hunc modum.

℞. Cubebarum,
Cinnamomi,
Galangę,
Nucis moschatę,
Garyophyllorum
Zingiberis ana partes ęquales.
Saluię,
Athanasię, aut ambrosię quadruplum.
Aquæ ardentis optimæ circulatæ quantum est pōdus omnium misce, & destilla.

Hæc prorogat vitam. Ferunt ea vsum fuisse quẽdam Gallum Caroli Quinti Imperatoris Medicum, qui vixit annos centum, & vigintinouem. Si huiusmodi aquę præstarent, quod pollicentur, vel quod sui Authores promittunt, nullum esset elegantius, aut iucundius medicamentum, quo humanum genus vti posset.

Istæ sunt aquæ, quæ pretiosiores mihi visæ sunt propositis intentionibus, quæque assumptæ internas partes præcipuas corroborare dicuntur.

Sunt modò, & alię, quę tamquam purgatoriæ à prædictis scriptoribus describuntur, inter quas vna est descripta à supradicta Vuechero, authore Hieronymo Rubeo, est autem ad hunc modum.

Aqua solutiua Hieronymi Rubei.

℞. Florum persicorum,
Scammonij,
Turpeti ana partes æquales.
Destillentur in balneo Mariæ, & seruentur in vase vitreo ad vsum.

Modicè aluum soluit, eiusque dosis est à drachmis duabus ad vnciam semis.

Altera est Quercetani in sua pharmacentica dogmatica.

Aqua solutiua Quercetani.

Accipiatur semina sambuci, & ebuli, perfectæ maturitatis tempore, quod erit circiter Autumni initium. Ex his prælo exprimatur vinum, siue succus, conquassatis simul vinaceis, siue nucleis suis internis: mixtis simul omnibus fiat destillatio. Hæc aqua super fæces suas cohobata, insignem purgandi efficaciam habet, præcipuéque serosos humores trahit, aromatizetur cinnamomo, coriandro cum succo cotoneorum præparato, & similibus.

Hydropicis dari potest ab vnc. j. ad ij.

Vt ex ijsdem ad eosdem et vsus aqua fiat composita, quæ nobiliores, ac validiores purgandi vires obtineat, componatur hoc modo.

Aqua solutiua composita.

℞. Aquarum, vt supra destillatarum,
Sem. ebuli, & Sambuci ana libr. j.
Succ. peti,
Florum persicæ arboris ana libr. semis.
His adde suo tempore
Flor. ebuli,
Sambuci,
Hyperici,
Centaurij ana manip. ij.

Flores priùs contundantur: dein omnia simul destillentur, per retortam ad siccitatem vsque, idque virtute caloris balnei vaporosi. Aquæ huic adde

Aloes succotrinæ vnc. iiij.
Scammonij vnc. ij.
Myrrhæ vnc. j. & semis.
Cinnamomi,
Sem. fœniculi dulcis,
Anisi ana vnc. j.

Omnia iterum destillentur per retortam cum suo recipiente, vt nihil expirare possit, idque in eodem balneo vaporoso. Digestionis tempus duret ad diei vnius spatium, postea inferuescat balneum ad summum, vt ad siccitatem omnia destillentur: nec vllum adustionis periculum hic timendum erit; aquæ enim feruentis vapores, vase vndequaque accuratissimè occluso adustionem prohibent. Quæ destillandi ratio omnium est optima, tutissima, & facillima, qua sola citra alterius rei additionem ex omnibus herbis, & floribus calefaciendi vi præditis, aquæ, & olea simul, & vna elici possunt.

Dicta aqua humores clemẽter purgat: infantibus, qui lumbricis, & corruptionibus internis infestantur conducit, nec non ijs, qui alia remedia vulgari modo parata prorsus abhorrent.

Dosis est ab vnc. j. ad vnc. ij. habita ęgrotantis naturæ, viriumque ratione.

Quamuis adhuc infinitæ reperiantur aquæ ad vsum Medicum, tres tantummodo describere hoc loco decreui; prima ad somnum conciliandum facit, altera pro phtisicis, tertia pro oculis paratur. Prima est Ioannis Guainerij, quę ad hunc modum componitur.

Aqua somnifera Guainerij.

℞. Musci arborei,
Flor. nymphęę,
Papaueris albi, & nigri,
Lactucarum ana manip. j.
Cort. mandragorę,
Sem. lactucę,
Papaueris nigri ana vnc. semis.
Lolij vnc. ij.
Papaueris albi vnc. iij.
Quatuor frigid. vnc. ij. & semis.
Cinnamomi,
Nucis moschatę,
Zingiberis,
Garyophyllorum ana vnc. semis.
Ligni aloes,
Macis ana drach. ij.
Myrrhę,
Thuris ana drach. ij. & semis.
Croci drach. iij.
Opij drach. j. & semis.

Aqua ex omnibus eliciatur: cuius vsus fuerit ab vncia semis ad vnciam vnam, vti vires, ac vigilię ęgrotantis tulerint.

Conciliat etiam somnum, hæc quæ sequitur.

Aqua somnifera Græcis ὑπνωτικά.

℞. Sem. frigid. maior. excorticat. ana vnc. j.

Sem.

Sem. papau. albi libr. ſemis.
Lactucæ vnc. ij.
Hyoſcyami vnc. j.
Flor. Violarum,
Roſarum,
Papaueris agreſtis ana pugil. j.
Fol. lactucæ manipul. ſemis.
Flor. ſambuci,
Summitatum rutæ ana pugil. j.
Macis,
Nucis moſchatæ,
Bezuini ana drac. iij.
Contundantur, & infundantur per quatuor dies in aquarum,
Roſarum,
Lactucæ,
Nenufaris,
Papaueris ſiluatici ana libr. j.
Deinde colentur, & fortiter exprimantur, cui expreſſioni adde
Requiei Nicolai,
Philonij romani ana vnc. ſemis.
Croci,
Mumiæ ana vnc. j. & ſemis.
Caſtorij drach. j.
Deſtillentur ſecundùm artem: doſis huius aquæ eſt ab vncia vna ad vncias duas, quę offerri debet tempore ſomni.

Altera aqua ad phtiſin eſt Vuecheri, vt apparet ex ſuo Antidotario magno.

Aqua pro phtiſi Vuecheri.

℞. Pinearum mundatarum,
Amygdal. dulcium ana vnc. iij.
Sem. melonum,
Cucurbitæ,
Citruli,
Cucumeris ana vnc. ſemis.
Papaueris albi drach. ij.
Paſſularum,
Ficuum,
Sebeſten,
Iuiubarum,
Glycyrrhizæ ana vnc. ſemis.
Gummi tragacanthæ,
Arabici ana drach. ij.
Thuris,
Maſtiches ana drach. j.
Boli armeniæ,
Terræ ſigillatæ ana drach. vj.
Rad. conſolidæ maioris libr. ſemis.
Herbæ nicotianæ manip. ij.
Conſeruæ roſ.
Violarum,
Borraginis,
Ireos,
Enulæ ana vnc. j.
Pulmonis vulpini drach. vj.
Sanguinis draconis drach. ij.
Spec. diagemmæ, diamarg. frig. lætitiæ ana drach. ij.
Oſſis de corde cerui ſcrup. j.
Roſ. rubr. drach. iij.
Aquæ conſolidæ maioris,
Tuſſilaginis,
Nicotianæ ana libr. ſemis.
Aquæ meliſſæ,
Bugloſſi ana libr. ſemis.
Capill. veneris libr. ſemis.
Medullę panis albi in vino maluatico infuſi quantum ſufficit. Contundenda contunde, miſce, & in balneo Marię, vel cineribus lento igne deſtilla, ac conſerua.

Verùm cùm huiuſmodi aqua ſit difficilis pręparationis, aliam proponam à Hieronymo Rubeo deſcriptam, quę eiuſdem eſt facultatis.

Aqua pro phtiſi Hieronymi Rubei.

℞. Carnium limacum in vini auſteri, & aquę plantaginis coctarum libr. ij.
Conſerue roſ.
Conſolidę maioris ana lbr. j.
Cum limacum decoctione fiat deſtillatio in alembico.
Hęc aqua per manicam Hippocratis coletur, cum ſacchari diſſoluti in aquæ plantaginis vncijs duabus.
Sandali,
Spicę ana ſcrup. ſemis.
Exhibeatur.

Aqua, quę poſtremò fuit propoſita, eſt aqua pro morbis oculorum deſcripta à Quercetano.

Aqua ocularia Quercetani.

℞. Succi euphragię,
Chelidonię ana libr. mediam.
Lactis caprini libr. j.

Miſcean-

Misceantur omnia simul addendo
Zingiberis,
Macis crassiusculè conquassatorum ana vnc. j.
Aloes vnc. semis.
Vitrioli albi vnc. iij.
Macerentur quatuor, aut quinque dierum spatio, destillenturque per balneum vaporosum. Aquę destillatæ, addę tuthię frustula non tamen puluerizata, quę priùs in cochleari ferreo nouo ignita fuerint, nouies extinguantur, & tandem cum aqua prædicta continuò residere sinantur, cuius guttula vna oculo etiam inflammato admoueatur: nec respiciendum ad calida illa, quæ prædictam aquam ingrediuntur, etiamsi initio dolor ingrauescat, ferueatque per tempus aliquod; miros enim effectus prodit, tartarum illud oculis adhærescens, pungens, acerrimumque dolorem inferens, & falsas mouens lacrymas dissoluendo. Singulare est remedium ad omnes ophthalmias, præferendumque sanè omnibus istis simplicibus aquis refrigerantibus, vt rosarum, plantaginis, cerefolij, & similibus, collyrijsque oculorum refrigerationi dicatis, vt ipsa etiam experientia, præter allatam supra rationem, fidem faciet. Confert etiam ad amblyopiã, & anaurosim, si huic crocus metallorum admisceatur, quem credo basim, & fundamentum aquæ ophthalmicæ Martini Rulandi doctissimi, celeberrimique Medici Germani, cuius ipse admirandos effectus miro successu expertus est, vt videre est in illius centurijs iamdiu in lucem editis.

Aqua ad oculorum nebulas, & suffusiones Ioannis à Vico.

℞. Succi fœniculi,
Chelidoniæ ana vnc. ij.
Rutæ pugil. j.
Mellis rosacei vnc. x.
Euphragiæ manip. ij.
Fellis veruecis vnc. iiij.
Sarcocollæ drach. ij. & semis.
Sagapeni vnc j.
Caphuræ scrup. ij.
Misce, & destilla.

Aqua optima Altimaris pro conseruanda visione.

℞. Fœniculi,
Rutæ,
Euphragiæ,
Verbenæ,
Tormentillæ,
Betonicæ,
Rosarum,
Endiuię syluestris
Challitrichi,
Anagallidis,
Pimpinellæ,
Chelidonij,
Papyri,
Pœoniæ,
Fol. vitis,
Apij,
Agrimoniæ,
Caprifolij ana partes æquales.
Terantur, & prima die ponantur in vino albo, secunda in vrina pueri venerem non experti, tertia in lacte mulieris, quarta in melle optimo, quo tempore destillentur, & quod elicitur vsui seruetur.

Aquæ pro dolore dentium multæ describuntur, & præsertim ab Vuechero, sed vnam tantummodo vix cognitam, neque ab aliquo vsitatam, quæ lac virgineum appellatur (describitur autem à Pharmacopea Augustana, & transcribitur ab Vuechero.)

Describitur autem ad hunc modum.
℞. Aluminis crudi vnc. iiij.
Decoquantur ad tertias in aquæ fontanę puræ, libris duabus, postea
℞. Lythargyrij libr. semis.
Aceti vini libr. j. & semis.
Decoquantur quo ad remaneat libra vna, colentur, & commisceantur ambæ aquæ: ac spathula tamdiu agitentur, donec albescant. Istæ sunt omnes aque tum simplices, tum composite, quę ad vsum Medicum necessariæ magis visæ sunt mihi, modò ad decoctiones, quę à grecis ἀποζέματα dicuntur, properandum est.

DE APOZEMATIBVS, seu Decoctis.

CAPVT VII.

AQVIS similitudine quadam Decocta cōnectuntur, vnde nec nos oportuit ab inuicē seiungere, ne affine medicamenti genus alio loco, minus fortassis opportuno, describere cogeremur. Antequam igitur pilulas describendas exordiamur, vt aquas, ita & decocta obiter proponere necessum existimauimus. His verò, & Apozemata, ob exiguum discrimen inter ipsa intercedens, admiscebimus. Iam verò Decocta, seu Apozemata ex herbis, seminibus, fructibus, radicibus, & alij quibusdam parantur. Vuecherus hanc differentiam, inter ipsa ponit; nam si absque saccharo, fiāt dicuntur decocta, si cum saccharo (licet non tā copioso, vt in syrupis) apozemata rectiùs appellantur. Sunt autem hæc magis vsitata, seu officinalia, & bifariam diuiduntur; alia enim alterantia, alia verò purgantia existunt. Rursus, ex alterantibus alia dicuntur reficientia, vt aqua hordei, aqua cicerum, decoctum ptisanę: alia propriè alterantia, quæ considerantur, vel respectu primæ, vel respectu secundæ qualitatis. Præterea alterantiū respectu primæ qualitatis, alia magis communia sunt, vt decoctum florum, & fructuum, decoctum commune magistrale, & decoctum commune refrigerans. Alia particularia, & ex his aliud respicit caput, & decoctum cephalicum dicitur, aliud verò thoracem, quod in triplici differentia versatur, vnde dici potest decoctum pectorale primum, secundum, & tertium, vel respicit cor, & decoctum cordiale vocatur: aliud flatus discutit, & carminatiuum nominatur. Sunt & illa, quæ dicuntur sudorifica, vt est decoctum guaiaci ex aqua, sarzæ parillæ, chinæ, & sasfras. Quæ verò purgant, alia respiciunt humores simplices, nempe vel sanguinem, vel bilem, vel pituitam, aut melancholiam, vel mixtos. Quæ sanguinem purgant sunt, decoctum adianthi, decoctum fumariæ: bilem verò purgant decoctum fructuum: pituitam decoctum thymi, decoctum stœchados: bilem atram, seu melancholiam decoctum epithymi, decoctum senæ. Mixtos autem humores decoctum myrobalanorum, vel eupatorij, de quibus omnibus aliquid in sequentibus dicendum.

Aqua hordei.

Aqua hordei componitur duobus modis, vel pro alimento in morbis acutissimis, vel pro potu. Primo modo Rasis componebat ad hunc modum.

℞. Hordei excoriati ad libr. j.
Aquæ fontis purissimæ libr. xx.

Coque lento igne prunarum, aut leui flamma vsque ad hordei crepaturam, cola, & offer ægrotis ad libram semis, pro vnica vice, eamq́ue repete pro consuetudine ægrotantis; nam si erit assuetus, assumere cibum semel in die, semel tantùm offeras, si bis, etiam bis offerri poterit.

Secundo modò ad hunc modum parabat aquam hordei pro potu. ℞. eandem quantitatem hordei, infundebatq́ue in aqua calida, eaque ita calida pluries lauabat, qua abiecta recipiebat aquæ fontis ad libras decem, faciebat ebullire vnico feruore, colabat, aqua proiecta accipiebat libras viginti aquæ, & faciebat denuò ebullire vsque ad consumptionem medietatis, colabat, & seruabat pro potu. 9. ad Almansorem de phrenitide.

Aqua tamen hordei fit communiter ad hunc modum.

℞. Hordei integri fricati cum panno aspero vsque

ro vsque ad excussionem tenuium corticum, idest palearum partem vnam, verbi gratia libram vnam. Et sit hordeum substantia laudabili, ætatis mediæ inter antiquum, & nouum, super quod non cecidit de odore corruptionis aliquid, nec de contagione fumi, aut pulueris, & conseruatum fuerit in loco aeris liberi, & iã habuerit perfectionem in maturitate sua, & pone illud electum in olla noua, munda, lota, & exquisitè abstersa, cui non remanserit de odore quidquam omninò. Mox proijce super ipsum aquæ circiter partes viginti, verbi gratia libras viginti, & sit aqua fontana leuissima, dulcissima, stet tamen priùs hordeum in aqua per quatuor horas infusum: & inde facias cum igne claro, & suaui ipsam feruere primã abijciendo spumam. Et esto hordeum semper integrum, leuiter quidem fricatum panno aspero, & quasi depaleatum, si multam quæris abstersionem, atque exoppilationem valentiorem. Integrè verò ab vtroque cortice mundatum, si aquam hordeaceam habere volueris ad sitim mitigandam, asperitatemque leniendam, nec non inflammationem extinguẽdam. Vnde talis aqua hordei conuenit in leniendo pectore, atque pulmone, humectandisque præcordijs. Coctio præterea continuetur ad crepaturam hordei, perfectam quidem in priore illa intentione, perfectiorem verò, & diuturniorem, plùs minùs in posteriore hac intentione.

Aquæ Cicerum.

Decoque libram vnam cicerum conseruantium adhuc nitrositatem suam cum libris viginti aquæ facili decoctione, vsque dum redeant ad libras decem. Tunc erit aqua eorum potus medicinalis. Et si vlteriorem excipiat coctionem, & quidẽ cum plurima aqua, vsque dum acquirat mediocritatem inter tenue, seu liquidum, & vnctum: est cibus bonus, præsertim colatus.

Decoctum ptisanæ hordei.

Sed quando ptisana hordei ad edulij, vel sorbitionis vsum decoqui debet, tunc semper accipere oportet hordeum exquisitè excorticatum, quod vulgò mundatum dicitur, idque, vel integrum, vel confractum quod far hordei Latinis dicitur. Satiùs tamen fuerit, integrum, quàm confractum sumere, vt euitemus metum Manardi, quandoquidem in hordeo integro absolutam, perfectamque coctionem animaduertere commodiùs est, quàm in confracto: quia coctio eius semper perfici debet vsque ad dispersionem, & veluti tabem ipsius hordei, nunc in largiori, nunc in pauciori aqua, pro vario intentionis Medici scopo. Nam quando non admodum tenui victu vtendum erit, sed aliquantulò pleniùs cibare licebit, quando scilicet totam ptisanam exhibemus (nam ptisana tota Galeno non est exquisitè tenuis victus, nisi omninò pauca assumpta fuerit) tunc verbi gratia suffecerint ad partem vnam hordei partes quinque aquæ, secundùm placitum Auenzoar. Sed si tenuiùs cibare propositum est, vt quando cremorem, siue succum exhibemus, colatorio manibus, vel cochleare expressum, tunc copiosiore aqua ptisanam decoquimus, verbi gratia decem partes aquæ ad vnam hordei accipiendo. Plus autem aquæ accipimus, quando tenuissimè nutrire volumus, aut saltem seruata proximè assignata aquæ quantitate, percoctam ptisanam sua sponte sensim per colatorium eliquari sinimus, sine adminiculo expressionis. Vnde vulgus practicantium hanc vocant ptisanam colatam: illam verò, quæ expressa est, vocant ptisanam hordei non colatam. Hac decisione constituta, putamus omnem caliginem, & nubem arabicæ perplexitatis, seu confusionis discussam esse.

In coctione seruãda, & in parandis decoctionibus operæpretium est, vt cognoscamus artem ipsam, quomodo medicamenta sint componenda, neque audiendi sunt Medicastri quidam, qui dicunt artem componendi medicamenta spectare solum ad Pharmacopœos, quod falsum est; nam Medici in suis receptis ordinandis semper addunt misce, & fiat secundùm artem, si quæramus tamen, quæ sit huiusmodi ars, raros Medicos comperiemus eam

mus eam intelligere; nam quamuis vera sit hæc propositio, quod compositio medicamentorum spectet ad Pharmacopolas, verum etiam est ad Medicos eandem spectare, sed alia, & alia ratione; nam Medici sciunt, & debent scire, quo modo, & per quas regulas componãtur inter sese medicamenta, Pharmacopolæ verò commiscent eas materias, quæ à Medicis ordinantur, & faciunt vnam compositionem actualem, quam ad vsum seruant in suis pharmacopolijs. Medici quoque, & ipsi sciunt componere medicamenta sed indicationibus sumptis à morbis, à suis causis, à symptomatibus, & à partibus affectis, & quamuis habeatur primarios Medicos antiquos factitasse compositionẽ medicamentorum, non placet tamen ita determinare, vt Medici ipsi proprijs manibus conficiant medicamenta, sed benè debent habere cognitionem artis, vt vbi ordinent receptas secundùm artem, ars pendeat ex eorum præceptis, quare hæc particula secundùm artem apud Pharmacopæos est intelligenda de compositione, pro vt ordinatur à Medicis, secundùm Medicos verò est methodicam artem seruare desumptam à suis indicationibus. Solent enim alterantia purgantibus admisceri pluribus ex causis, vel vt auferantur redundantia nocumenta, quæ naturæ eueniunt ex vsu purgantium, vel vt qualitates primas castigent, vel vt medicamenti facultatem debilem augeant, vel vt vim purgatoriam minuant, vel vt purgans ad aliquem locum particularem deducant: medicamẽtum itaque compositum cõstat ex tribus, ex basi ipsius medicamenti, ex adiuuantibus, & ex corrigentibus. Medici igitur quando componunt medicamenta, eorum ars est ita componere, vt vnum ex ingredientibus habeat rationem basis, alia verò adiuuent, aut corrigant ipsam basim; compositio verò Pharmacopœi nihil aliud est, nisi certa quædam ratio cõponendi, quæ consistit in tribus potissimùm, in mensura, tempore, & ordine, quę vel obseruatur in medicamentis antequam ad mixtionem veniant, aut in ipsa compositione, & mixtione. Ante mixtionem, quando præparantur medicamenta (præparantur autem, vel vt meliùs misceri possint, vel etiam, vt citra mixtionem in vsum venire possint) pluribus modis procedunt, nempe coctione, ablutione, infusione, trituratione, leuigatione, & destillatione. Videamus modò, qua ratione, Pharmacopœi vtantur hac præparatione, quæ dicitur elixatio, quæ nihil aliud est nisi concoctio quædam facta à calido humido, qua fiũt decocta omnium herbarum, & medicamentorum.

Medici duos habent fines in decoctionibus faciendis, vnus est, vt liquoribus medicamentorum inducatur facultas, quibus vtendum est pro varia hominum vtilitate; alter finis est, vt propter decoctionem prauæ medicamentorum qualitates, & vitia omnia auferantur. In decoctione igitur facienda quædam veniunt obseruanda, vt fiat secundùm artẽ; alia scilicet ex parte causæ efficientis, nempe ignis operantis, quædam ex parte medicamentorum, & quædam ex parte liquoris: ex parte enim ignis elixantis illud obseruandum est, nè sit admodum vehemens, sed blandus, & moderatus, & Mesues reddit rationem, quæ, est, quòd à vehementi igne facultates medicamentorum absumuntur, à blando, & leui potiùs retinentur. Ex parte liquoris, in quo fit ebullitio, primum est, si per hanc decoctionem velimus, vt facultas medicamenti liquori inducatur, vt liquor sit omninò depuratus, & denudatus ab omni extranea qualitate; nam, vt dicunt Philosophi, *recipiens debet esse denudatum à natura recepti*, ideo siue aqua sit, siue serum, vel quidquid aliud, quod gerat vicem liquoris debet esse expers qualitatis extraneæ; si verò desideramus corrigere basim medicamenti ea eligenda veniunt, quæ possint, & castigare, & corrigere eam, vt quando corrigitur scammonium oportet ipsum apponere in cotoneo, & in eo elixare, vt vires suas amittat, liquor etiam debet animaduerti quoad quantitatem; nam necessarium est, vt eam mensuram ipsius consideremus, qua rectè concoquere valeamus.

Sunt autem medicamenta decoquenda trium generum; nam vel sunt crassa, vt ligna, radices, & semina aliqua, vel

lenia, & rara, vt sunt flores, aromata, & semina frigida, vel mediocria, vt epithymũ, capillus veneris, & nonnulli fructus, vt sebesten, & pruna; eapropter si res fortes, & duræ fuerint elixandæ, debet liquoris maior pars assumi, quia debent diutius ebulliri: si verò res leues, debet minor esse quantitas liquoris, vt in exemplo, vbi volumus facere decoctum ligni guaiaci, accipiemus ipsius ligni libram vnam, liquoris verò, aut aquæ libras octo, vbi verò aromata, aut flores coquendi sunt, multò minor quantitas liquoris accipienda est; nam hæc medicamenta parùm ebullire debent, ne eorum facultas resoluatur. At si medicamenta fuerint mediocria mediocris quantitas liquoris est accipienda, ita vt sit minor, quàm in medicamentis duris, & maior quàm in lenibus, & raris. Affert Mercurialis exemplum ex coctione ligni guaiaci; inquit enim, si extrahenda est facultas ligni ex illius dura, & tenaci substantia, operæpretium est, vt per diutinam elixationem fiat, si verò ex floribus, & aromatibus erunt facienda decocta, opus erit accipere partem vnam medicamentorum, & quatuor partes aquæ, & curare, vt ebulliant duabus, vel tribus ebullitionibus ad summum; nam si plus ebullirent ipsorum virtus euanesceret; sin autem ex sena faciendum sit decoctum; accipietur exempli gratia libra vna medicamenti, & libræ quinque liquoris, & fiat ebullitio ad consumptionem quartæ partis.

At quispiam dicet, si nobis faciendæ sint coctiones diuersorum medicamentorum, ita vt alia sint dura, & tenacia, alia verò lenia, & rara, & alia mediocria, quid agendum erit nobis? Ratio hoc loci obseruanda est; nam opus est, vt omnia tempore inæquali concoquantur, vt scilicet primò densa, & dura ponantur ad ebulliendum, donec ex dimidio sint cocta, deinde apponantur mediocria, vsque quo & ipsa ex dimidio sint cocta, postremò lenia, & rara; sic enim fiet, vt dura debitè coquantur; nec lenia magis elixentur, quàm conueniat; quapropter quando facimus decoctum ligni, & volumus apponere, vel herbas, vel flores, curamus, vt primò decoquatur lignum solùm, & vbi fuerit semicoctum, apponantur herbæ, si verò herbæ sint leniores, & rariores, vt in fine decoctionis ipsius ligni apponantur, curamus. Id in coctione medicamentorum est quoque perpetuò obseruandum, vt viridia magis coquantur, quàm sicca.

Obijcies, quòd videtur potiùs contrarium esse faciendum, quoniam omnes herbæ recentes, eò faciliùs coquuntur, quò sunt recentiores, vt probatur experientia quotidiana. Dico facultates medicamentorum viridium magis in profundo latere, magis infixas esse, facultates verò siccorum esse magis in summo, eapropter si paulò plus sicca coquantur, tota facultas, quæ est in superficie, consumitur, ex aduerso si recentia minùs coquantur, quàm par sit, facultas, quæ in profundo latet, non extrahitur in liquore. Quod dico de siccis, idem dicendum de syluestribus, & hortensibus; nam syluestria semper sunt sicciora, hortensia, & culta semper humidiora, ita vt eadem ratione, qua sicca sint minùs bullienda, sic & syluestria. Hic notare etiam debetis, quod quoties licet vti in elixationibus medicamentis syluestribus, ea esse potiùs semper eligenda, quàm culta; nam vt scribit Hippocrates 4. de morbis, & Theophrastus, veræ medicamentorum facultates sunt in syluestribus, non in cultis, & vera remediorum natura quærenda est à syluestribus, non à mangonizatis; Hippocrates enim eo in loco scribit omnia à principio fuisse syluestria, quando scilicet à natura solùm producebantur, postea verò hominum industria esse mangonizata, & ferè adulterata.

Hoc in loco obijcit doctissimus Mercurialis, quia posset quis dubitare, quomodo inter elixationes posita sit correctio facultatis scammonij, cum fiat in cotoneo, similiter quando helleborum corrigitur in raphano nam istæ videntur assationes quædam potiùs, quàm elixationes, quia coquitur cotoneum in furno, & assatur. Respondendum ex sententia Mesuei hanc potius esse elixationem, quàm assationem; nam, & si videatur quædam assatio, immediatè tamen est elixatio, quia decoquũtur in succo, cotonei

nempe,

nempe, atque raphani, ideo potiùs sunt elixationes, quàm assationes.

De vsu Decoctionum.

Varius est vsus decoctionum; nam aliquando faciunt ad humorum præparationem, ad vrinas, sudores, menses mouendos, ad vomitum prouocandum, ad adstringendum, ad roborandum, & tandem ad omnem affectum præter naturam è corpore auferendum: faciunt etiam ad præparandos clysteres, & alia multa, vt videbimus.

Præter ea decocta, quæ descripsimus, nempe ex hordeo, & ciceribus, & ptisana, alia sunt decocta communia, quorum aliqua operantur per primas qualitates, nempe refrigerando, calefaciendo, alia verò per secundas qualitates, nempe aperiendo, soluendo, discutiendo flatum, & educendo per secessum, & per vrinam. Inter alia primò est decoctio, quæ communis appellatur florum, & fructuum, quæ describitur ab Augustanis, ad hunc modum, & transcribitur ab Vuechero.

Decoctio florum, & fructuum.

℞. Caricarum numero v.
Prunorum Damascenorum numero xv.
Iuiubarum,
Sebesten ana numero xx.
Tamarindorum vnc. j.
Flor. rosarum,
Violarum,
Borraginis,
Buglossi ana drach. j.
Capillorum veneris,
Lupulorum,
Endiuiæ ana manip. semis.
Glycyrrhizæ drach. ij.
Incidantur, & contundantur pro vsu, & arte concoquantur.

Altera decoctio refrigerans componitur ad hunc modum.

Decoctio refrigerans.

℞. Herbarum agrimoniæ
Lupulorum,
Cichorij,
Cuscutæ,
Betonicæ,
Cetrach,
Endiuiæ,
Fumiterræ ana vnc. ij.
Rad. apij,
Fœniculi,
Petroselini,
Acori,
Glycyrrhizæ ana vnc. iiij.
Asari vnc. semis.
Sem. anisi,
Fœniculi ana vnc. j.
Polypodij Quercini vnc. xij.
Prunorum Damascenorum,
Ficuum pinguium ana numero xxxij.
Passularum vnc. iiij.
Senæ Alexandrinæ vnc. j.
Florum borraginis,
Buglossi,
Violarum,
Rosarum rubearum ana vnc. j.
Incidantur, & contundantur, & misceantur omnia simul,

Est, & altera decoctio aperitiua maior, quam hic transcribere volui, vt magis abundet huiusmodi Antidotarium.

Decoctio aperitiua maior cum rhabarbaro.

℞. Spec. decoctionis aperitiuæ maioris, & minoris ana vnc. iij.
Decoquantur in aquæ libris sex ad consumptionem duarum librarum.
Colaturæ feruidæ infunde
Rhabarbari electi vnc. semis.
Cinnamomi drach. ij.
Salis gemmæ scrup. j.
Spicę indicæ scrup. ij.
Specierũ diarhodonis abbatis scrup. iiij.
Sacchari vnc. xiij.
Misceatur pro vsu.

Sunt plures differentiæ decoctionum à varijs scriptoribus traditæ, quarum aliquæ respiciunt caput, aliæ thoracem, aliæ ventriculum, quæ possunt componi pro varia intentione Medici. Afferam ea, quæ in vsu sunt magis, inter quas primò describam decoctionem pectoralem cõmunem, quæ reperitur in Antidotario Bononiensi, descripta ad hunc modum.

Decoctio pectoralis calida.

℞. Passularum vnc. j.
Sebesten,
Iuiubarum ana num. xv.
Dactylorum num. vj.
Caricarum num. iiij.
Hordei decorticati vnc. ..
Glycyrrhizę vnc. semis.
Capillorum veneris manip. semis.
Hyssopi succi drach. ij.
Coquantur in sufficienti quantitate aquę fontis ad consumptionem tertiæ partis, & colentur.

Ad excrementa pectoris, & defluxiones pituitosas, sputaque educenda, singulare est auxilium

Quòd si minus calidam efficere volueris auferas hyssopum.

Decoctio carminatiua.

℞. Anisi,
Dauci,
Cumini,
Fœniculi ana drach. iij.
Glycyrrhizæ vnc. semis.
Flor. chamomillæ manip. semis.
Passularum vnc. j. & semis.
Coque in libris duabus aquæ fontis ad medietatem

Calfacit, & flatus pellit.

Est & alia decoctio communis magistralis ad medicamenta maceranda, vna describitur ab Antidotario Bononiensi, alia describitur ab alijs, vt sequitur.

Decoctio communis magistralis.

℞. Prunorum damascenorum dulc.
Tamarindorum,
Sebesten,
Violarum,
Hordei ana partes æquales.

Cum aqua fontis quantum sufficit, fiat decoctio.

Alia Decoctio communis.

℞. Passularum mundatarum,
Glycyrrhizæ,
Iuiubarum,
Sebesten,
Prunorum,
Adianti albi,
Hordei mundi,
Sem. anisi,
Fœniculi ana partes æquales.

Coquantur omnia in aquæ quantitate sufficienti.

Decoctio frigida ad idem.

℞. Passularum mundatarum,
Glycyrrhizæ,
Violarum,
Hordei mundi,
Prunorum,
Sem. quatuor frigid. ana partes ęquales.

Fiat Decoctio.

Decoctio ex Antidotario Florentino ad eundem vsum.

℞. Prunorum num. xij.
Passularum vnc. j.
Sebesten, num. xvj.
Iuiubarum num. x.
Florum borraginis,
Buglossi,
Violarum,
Melissophylli,
Capillorum veneris ana manip. semis.
Seminis basilici,
Glycyrrhizæ,
Dauci ana drach. ij.

Coque vt supra.

Decoctum verò cordiale refrigerans fit, additis seminibus communibus, quæ decoctum refrigerans supra descriptum ingrediuntur.

Relinquuntur duę decoctiones, quę faciunt ad humorum expurgationem, & describuntur à Mesue, vna est decoctio Epithymi ad hunc modum.

Decoctio Epithymi Mesuei.

℞. Myrobalanorum Indorum,
Stœchadis Arabicæ,
Passularum,
Epithymi ana vnc. j.
Myrobalanorum chebulorum,

Fumiterræ

Fumiterræ ana drach. iiij.
Folliculorum Senæ vnc. j.
Polypodij Quercini drach. vj.
Turbith albi drach. iiij.
Agrimoniæ drach. v.
Seri caprini libr. iij.

Bulliant omnia simul præter epithymum ad consumptionem duarum librarum, mox adde epithymum, & semel feruefac, tolle ab igne, & adde
Hellebori nigri drach. j.
Agarici scrupul. j. & semis.
Salis Indi drach. j. & semis.

Stent per horas octo, vel decem macerata: facta deinde optima expressione colentur.

Alia decoctio Mesuei est sequens.

Decoctum Capillorum veneris Mesuæ.

℞. Capillorum veneris recentium vnc. j. & semis.
Summitatum fumiterræ,
Lupuli,
Violarum siccat. ana vnc. j.
Prunorum Hispanicorum, aut Damascenorum num. xxxx.
Sebesten num. x.
Iuiubarum num. xx.

Coquantur in libris tribus aquæ lento igne ad consumptionem duarum librarum. Infunde tandem
Pulpæ cassiæ fistulæ vnc. iij.
Tamarindorum vnc. ij.
Rhabarbari boni drach. iij.

Fricentur, & colentur.

Hæc sunt exemplaria præcipua decoctionum communium pro varia Medici intẽtione, alterandi, aperiendi, & humores extra corpus educendi, circa quæ animaduertit Quercetanus, quòd licet decocta huiusmodi iam descripta per manicam transcolentur, & cum oui albumine clarificentur, pro vt moris est, compertum tamen est ipsa paucorum dierum spatio situm contrahere, & corrumpi, verùm quod per se ipsum facilè corrumpitur, nõ potest corpora nostra à corruptione vendicare. Inquit igitur, vt imperfectis, & operandi vijs consulamus, necesse esse, vt simul ac clarificatio fuerit facta, adhuc aliæ duæ ipsam consequantur operationes, digestio scilicet, & fermentatio, ita vt Quercetanus velit decoctiones esse perficiendas via chimica, quod tamen ordinariè fieri minimè potest; videmus enim in Medicina hactenus à cõmuni Medicorum consensu obseruata, decoctiones à Mesue, & ab alijs compositas, & administratas consecutas fuisse intentiones suas absque operatione chimica, esset enim necessarium secundum ipsius Quercetani doctrinam, vt omnia decocta fierent ex arte chimica, quod est impossibile, alioquin non esset differentia inter medicamenta per decoctionem facta, & quę à chimicis ordinantur.

Claudinus in appen. ingress. ad infirm. scribit considerandum esse, an herbæ, quæ in decoctis ponuntur, sint virides, an siccæ, si fuerint virides, minimè incoquendæ sunt medicamentis, quia putrescerent, vt verò id non contingat, vulportioni illius decocti, quæ singulis diebus loco syrupi est assumenda, vt huiusmodi herbæ ebulliant, si verò fuerint siccæ, vt post medicamentorum coctionem, fiat colatura, & in illa herbæ istę siccę ebulliant vnica, vel altera ebullitione, & rursus decoctum percoletur pro syrupo: lignum autem, & reliqua medicamenta seruentur pro potu quotidiano.

His hoc modo determinatis, vt habeamus perfectam omnium decoctionum cognitionem, opus est, vt afferamus eas, quę in communi sunt vsu, & à chimicis potissimùm appellantur sudatoriæ, seu sudorificæ, quarum quinque proponuntur ab omnibus Medicis differentiæ.

Prima ex ligno sancto, seu guaiaco composita.

Altera ex radice chinarum

Tertia ex salsa parilla

Quarta ex ligno sasfras: & multis alijs lignis,

Et quinta ex his mixta, quę multas habet differentias,

De omnibus huiusmodi decoctis, quę solent fieri pro infirmis dicemus, & præsertim pro ijs, qui luem veneream patiuntur. At huiusmodi decoctiones valent, non modò ad luem veneream, sed ad multos, & quasi infinitos morbos.

Deco-

Decoctum Guaiaci, seu Ligni Sancti.

Vt perfecta huius Decocti habeatur notitia, primùm inquiremus quid sit lignum sanctum, quale sit eligendum, cuius sit naturæ, quæ sint proprietates, & operationes, & quis sit rectus vsus, & recta ipsius administratio. Nec tamen inquirendum an ab antiquis fuerit cognitum nec nè, & vtrum sit ebenus, aut caron, vel estedeen Auicennę, aut sit buxus, quia hæc sunt alterius instituti. Scripsit Gabriel Fallopius tractatu de morbo gallico capite trigesimo nono omnes ignorasse naturam huius Ligni excepto Ioanne Gallo, atque Consaluo Ouido. Ex Consaluo igitur describit nihil aliud esse, nisi arborem quandam altissimam, & maximam, quæ ad altitudinem nucis iuglandis sæpè pertingit, & huiusmodi Lignum illud est, quod Guaiacum appellatur: aliud est toto cælo ab hoc priori distans, quod appellatur à Fallopio palus sanctus, & lignum sanctum, ita vt habeamus duas differentias ligni sancti, vnam, qua dicitur lignum Indicum, & sanctum, alteram, qua dicitur lignum Guaiacum. Hanc diuisionem non habemus à Nicolao Monardes, quia inquit dari arborem quandam, quam appellant Guaiacan, atque lignum Indianum, seu Indum, addit ipsum habere corticem crassum, qui à se ipso ab arbore excidit.

Sed eodem docente Fallopio palus, seu lignum Indicum non adfertur ad nos, sed solūmodo illud, quod diximus appellari guaiacum, vel gaiacum, & Indi appellant Guaiaan. Notæ ipsius guaiaci est nigredo quædam in medio, circumferētia subalbida, aut potius flaua, sapor amarus, acredo quædam, & in eo pinguedo. In electione semper opus est truncum vetustum, & crassissimum eligere, quod habeat magnam quantitatem nigri, cortex sit crassus, & ita hærens ligno, vt vix ferro separari possit, & quotiescumque facilè separatur cortex à ligno pessimum est, quia indicium est maceratum fuisse in aqua salsa. Secundò, quando abraditur portiuncula ligni, & inter abradendum non percipitur odor ligni, tunc vel vetustissimum, vel corruptum est, sicuti vbi non adsit pinguedo, si gustetis rasuram, ac statim mordicat fauces, ac inde sentiatis amaritudinem, tunc bonum est: præterea debet esse ponderosum. Ex decocto potest etiam cognosci, nam si amarum, & acre est ad gustum, tunc bonum est lignum; cortex verò bonus cognoscitur, si extractus fuerit ex mediocre, aut magno trunco, malus verò cortex ex tenuiori ramo: deinde requiritur, vt cortex sit valdè crassus, tertiò vt sit valde durus, quartò vt interna superficie videatur veluti niger, seu potiùs cineritio inspersus colore. Notæ pali sancti sunt, si tota substantia est flaua odor suauis, pinguedo copiosa, sapor acris quidem, sed minùs amarus. Sed quoniam affertur aliquando ad nos lignū vetus, aliquando, & nouum, Guaiacum vetus cognoscitur ex cortice crasso, & trunco magno, amarore, & acredine parua: iuuētutis verò indicia sunt amaror maior, & insignior acredo, & amplitudo trunci tenuis, & gracilis, & quod dicitur de guaiaco idem intelligere oportet de ligno sancto: quod tamen magis est odoratum, magis pingue, magis acre, & minus flauum est iuuenescens.

Messanæ in Monasterio Reuerendorum Capuccinorum, quod ab vrbe quingēta passuū spatio distat, reperitur vna arbor, quam dicunt esse lignum guaiacum; cuius altitudo, & proceritas est instar nucis iuglandis, truncus non est admodum crassus, nec tenuis, sed mediocris multos habens ramos, in quibus adsunt folia oblonga similitudinem habentia cum folijs persicorum, verùm paulò breuiora; cortex vt obseruaui in ramo est crassus quidem, & totum lignum tegens, quod lignum diuiditur in lignum proprium, & medullam, lignum, est album, ac durum, medulla verò intus est flaua, sed quia nondum ad perfectionem venit, non possumus iudicare, an hæc ipsa futura sit nigra, an verò alterius coloris.

In Indicis regionibus solent accipere lignum ex tenera arbore, verùm quoniam ex huiusmodi arboribus vna species tantummodò ad nos defertur, ideo oblongam nauigationem ligna rancida fiunt,

unt, & non possumus vti recentioribus lignis, & quoniam virtus magis seruatur in arbore maiori, semper eligendum est lignũ maius. In hisce nostris partibus, & in Italia potissimùm, nunquam habemus lignum hoc, quod non fuerit ab arbore resectum ante quatuor, aut quinque annos, & ideo rationi consonum est, vt truncum maiorem semper laudemus. Itaut ex his constet, quæ sit natura guaiaci, quot habeat differentias, & quod sit eligendum.

Facultas huius ligni duplex est, vna, quæ dicitur occulta, & à tota substantia, altera verò manifesta: occulta ea est, quæ aduersatur morbo gallico, nã ad id, quod (vt inquit Fallopius) à tota substantia lædit, requiritur medicamentum operans à tota substantia; quam virtutem à tota substantia dicunt cognosci à solo Deo. Quod attinet ad manifestas qualitates, omnes scriptores in hoc conueniunt, quod sit calidæ, & siccæ naturæ, hinc est, cur conueniat morbis frigidis, & humidis. Ferrus tamen cap. 5. libri de ligno sancto scribit non tantùm calida, & sicca, sed humida quoque, atque vbi est opus etiam frigida curare, ita vt velit ipsum calefacere, & exiccare, & humectare, & refrigerare, quod probat tum auctoritate Arist. tum Gal. & certè Galenus libr. de simplic. medic. facult. ostendit medicamenta habere diuersas virtutes in se coniunctas, ita vt in vno quoque medicamento adsit vis calefaciendi, refrigerandi, humectandi, & exiccandi, sed huiusmodi propositio Galeni intelligitur seiunctim, non coniunctim. In ligno duo considerantur, vnum est propria substantia, quam medullam appellant, alterum verò est cortex, quamuis vtraque substantia sit calidæ, & siccæ naturæ, in cortice, tamen maior adest vis exiccandi, in ligno verò maior est caliditas, ita vt totum lignum cum suo cortice, & calefaciendi, & exiccandi facultate polleat. Verùm quidem non in tertio gradu, sed in secundo, id quod multis probat Alphonsus Ferrus libr. primo cap. 5. citato.

Vsus omnium medicamentorum constat ex quatuor, nempe ex quãtitate, tempore, modo, & vbi, sed quoniam in huiusmodi ligno administrando non omnes consentiunt, singula percurremus. Aliqui sunt, qui vtuntur cortice, alij radicibus, & alij ipso ligno, sed quia nos nõ habemus arborem quemadmodum in India, vtimur trunco, & cortice tantùm, ex quibus fit decoctum, at potissimùm ex ligno, cuius vsus cùm varius sit, varia quoque debet esse præparatio, quemadmodum etiam contingit in alijs medicamẽtis; aliquando enim fit decoctum simplex, & purum, aliquando verò compositum, loquemur primò de decoctione simplici, quæ bis solet semper fieri, ita docente Fallopio, & approbante consuetudine apud omnes Medicos, etenim rari sunt, qui non concoquant bis, & ita faciunt primùm decoctum, quod syrupum vocant, secundum verò, quod potum pro prandio, & cœna appellant. At huiusmodi lignum cùm non possit ita integrum coqui, opus est primò præparare, quæ præparatio fit per comminutionem ipsius, vt possit, & macerari probè, & decoqui, eaque fit quatuor modis, primùm assula, quæ in frusta minima ipsum secat, secundo modo fit mediante torno, tertio serra, & quarto per scobinam, quæ nihil aliud est, nisi lima quædam lata: præstãtior ea est, quæ fit per scobinam; & hæc est prima ligni præparatio.

Secunda præparatio est decoctio, quæ duobus modis fieri potest, ex aqua nempe, atque ex vino, quamuis nos sæpissimè loco aquę, & vini, vti sumus sero destillato, vel aquis destillatis, ac etiam aqua hordei. Proportio ligni ad aquam est, vt pro quanis vncia ligni accipiamus libram vnam aquæ, aut duas ad summum. Claudinus multa genera, & species lignorum in medium adducit, quę eandem proportionem, & decoctionem requirunt, atque lignum guaiacum. Sunt autem hæc ligna sasfras, iuniperi, tamarisci, lentisci, visci quercini, fraxini, & sandali, ex quibus omnibus, & salsa parilla, & radice chinarum fieri possunt varię species medicamentorum, scilicet sub forma potus, puluerum, electuarij, extracti, olei, & syrupi. Primo igitur de decocto agendum, quod bis fit, primò enim decoquitur ad medietatem vsque, facta prius infusione

fusione

fusione per horas vigintiquatuor pro syrupo, decoquitur secunda vice idem lignum pro potu, abiectis herbis, si in prima coctione aliquæ positæ fuerint, vt remaneat lignum tantum. Verùm secundi decocti dosis aquæ non potest ita decerni, sed pro varietate hominis ipsam accipientis determinanda est. Aliqui enim plus, alij minus bibunt, tum in mensa, tum extra, quare non potest determinata dosis afferri de decoctione pro potu.

Adeò egregiè doctissimus Claudinus de huiusmodi lignis pertractauit, vt superauerit mea opinione quotquot de ipsis scripserunt, tam in afferendis facultatibus, quàm in docendo modo, quo præparari possint, à quibus morbis indicentur, & quis sit vniuscuiusque ipsorum vsus, & administratio, proinde vnusquisque poterit legere appendicem libri Ingressus ad infirmos sectione 3. nos quoque curabimus deinceps afferre in primis omnia ligna, eorumq; decoctiones, quæ parum admodum recedere possunt à decocto guaiaci indicato primùm à lue venerea, seu vt aiunt, à morbo Gallico, cùm sit alexipharmacum quoddam, quod illam expugnat à tota substantia vt dicebam. Iam verò cùm dictum sit huiusmodi lignum habere plures partes, nempe lignosam, oleosam, & medullarem, Claudinus scribit vim suam alexipharmacam aduersus luem veneream positam esse in oleaginosa substantia. Verum quidem est, quòd cùm determinatum sit agere à tota substantia, non videtur posse magis determinari parti oleosæ, quàm reliquis; nam pars oleaginosa potiùs euaporat in ebullitione: verum quoq; est, quod potest suis manifestis qualitatibus aliquid efficere; fieri enim potest, vt, & tumores, & ex ossibus cariem sua siccitate expellat.

Quod verò lignum guaiacum, & occulta qualitate, & patente operaretur, deprehenditur etiã, quia in primis experiẽtia compertum est omnibus differentijs, luis venereę, omnibus hominibus, omnibus temperamentis, & omni anni tempore prodesse; nam Galeno Authore 9. simpl. 1. de medic. per genera cap. 2. lib. 2. medic. per loca cap. 8. vt medicamenta dicantur agere occulta qualitate, duo hæc requirunt, vt omnibus hominibus, omnibus temperamentis, & omni anni tempore operentur, sed tale est lignum guaiacum, ergo operatur à tota substantia. Quod verò operetur à manifesta qualitate, patet, quia intensa sua siccitate vim putrefactiuam tollit, amaritudine liberat viscera nutritionis ab oppilatione, acrimonia excretricem facultatem irritat, vt possit faciliùs venenosam qualitatem à se propellere, caliditate etiam tenuissimarum partium lentos humores attenuat, & detergit, & per sudorem euacuat, alimentali verò facultate, qua pollet, odore, ac adstrictione partes principes roborat; hæc de indicantibus ipsum guaiacum.

Si verò nos consideremus alia medicamenta, quę solent admisceri ligno, hęc sunt in duplici differentia, alia quę dicuntur adiuuantia, alia verò corrigentia: adiuuantia sunt duplicia, alia quæ adiuuant basim medicamenti, hoc est actiuitatem ipsius basis contra affectum præter naturam, in cuius gratiam ordinatum est ipsum guaiacum, alia verò dicuntur vim, & facultatem basis ad locum affectum perducere, vnde vehiculum nominantur, quam rem vt intelligatis, operæpretium est afferre aliquod exemplar ipsius decocti. Antiquiores, qui primi fuerunt in administrando decocto ligni guaiaci ad hunc modum docente Monarde præscribebant.

℞. Ligni sancti limati vnc. xx.
Corticis eiusdem vnc. ij.

Infundebant in tribus azumbris aquæ, hoc est nostri ponderis vncijs quindecim, & ponebant in vase nouo vitreato paulò maioris capacitatis, & infundebant per spatium vigintiquatuor horarum vase optimè obturato, coquebant igne lento carbonum, quousque duę partes cõsumerentur, deinde colabant, & in vase vitreo conseruabant, deinde fabiebant secundum decoctum ponentes aquam supra lignum iam ebullitum, & apponebant libras viginti aquæ, & curabant ita ebullire, quousque vna pars esset consumpta, colabant, & reseruabant pro potu.

Modus accipiendi erat, vt inclusi in cubicu-

cubiculo, in quo nec aer, nec frigus ingredi posset, assumerent ægri vnciæ decem aquæ prioris optimè calidæ, deinde tegebant corpora, vt possent spatio duarum horarum sudare, vtebantur autem secũda aqua pro potu, quam assumebant bis, in prandio nimirum, & cœna, ac interdiu denuò, repetebantque vesperi eandem copiam prioris aquæ assumentes, itaque bis in die vtebantur huiusmodi decocto. Qui verò fuerunt post Monardem, quemadmodum fuit Fallopius, Brasauolus, Matthiolus, & plerique alij parabant decoctum ligni guaiaci ad hunc modum.

℞. Ligni guaiaci optimè incisi libr. j.
Aquæ fontanæ libr. xij.

Infundatur lignum per horas vigintiquatuor in aqua calida in vase terreo vitreato, sed probè obturato, deinde coquatur igne lento vsque ad librarum octo consumptionem, coletur, & seruetur in vase vitreo pro syrupo ad sudorem mouendum. Aliud decoctum sic fit: accipiunt lignũ guaiacũ prioris decoctionis, aquę fontanę libras duodecim, iterũ coque vsq; ad consumptionem tertiæ partis, cola, & serua pro potu in prandio, & cœna.

Aliud decoctum ligni guaiaci cum corticibus.

℞. Ligni guaiaci optimè incisi vnc. x.
Corticis ligni guaiaci incisi vnc. ij.
Aquæ fontanæ libr. xij.

Fiat decoctio vt supra.

Hoc modo curabant morbum Gallicum, seu luem veneream, quia, vt dictum, à lue venerea tamquam alexipharmacum quoddam indicatur lignum guaiacum, vnde Prosper Burgarutius libro de methodo curandi morbi Gallici dicebat, incredibili iure quis miretur in abigenda, vincendaque hac lue praua tam efficaciter, tam celeriter, tam familiariter, tam tutò, calidos iuxta ac frigidos, humidos perinde vt siccos humores discutere, vt omnium ore in vltimis orbis finibus celebretur, quare addit hæc verba; quapropter constanter credo hæc abdita naturæ causa fieri, ac ideo pessimè faciunt, qui tam celebre donum ineptis miscellaneis vitiant, & diuinam ipsius virtutem turbãt. Habentur allata decocta ligni guaiaci ab Vuechero descripta in Antidotario.

In huiusmodi decoctis non videtur esse opus alijs medicamentis, quia vbi lignũ rectè administratum fuerit, & tempore debito omninò tollitur lues venerea. In alijs verò morbis, quibus est opus exiccante, & calefaciente medicamento, quemadmodum exempli gratia est, vel epilepsia, vel apoplexia, non videtur alio medicamento esse opus, nisi illis, quæ capitalia dicuntur, vt in exemplo, si vultis lignum guaiacum offerre apopletico, potestis parare ad hunc modum.

℞. Limaturæ ligni guaiaci ad libr. semis.
Aquæ fontis libr. xij.

Infunde per vigintiquatuor horas, deinde bulliant ad consumptionem medietatis. Quoniam in his partibus, vbi nunc medicinam facimus, nempe in Sicilia, non possumus seruare per tam longum tempus ipsum decoctum, melius est, vt fiat hac ratione.

℞. Ligni sancti limati vnc. semis.
Aquæ fontis purissimę libr. ij.

Infundatur per vigintiquatuor horas, & bulliat ad consumptionem medietatis, coletur, & seruetur pro syrupo pro duabus vicibus, deinde fiat decoctio secunda coletur, & seruetur pro potu.

Et quoniam dictum est oportere addere medicamenta adiuuantia, tam respectu basis, quàm vehiculi, adiuuantia basim in ligno sancto possunt esse plura, inter quæ erit lignum, quod sassafras appellatur, quia potest augere, & caliditatem, & siccitatem ipsius guaiaci, vt videbimus, dum sermo erit de decoctis cõpositis, nempe ex ligno, ex salsa, ex china, ex sassafras. Adiuuãtia modò loco vehiculi possunt esse betonica, saluia, & id genus capitalia. Verùm antequam decocta composita ex alijs lignis declarem, operæpretium duxi primò post lignum guaiacum pertractare de salsa parilla.

Decoctum Salsæ Parillæ.

Salsa parilla à quibusdam appellatur salsa pariglia, eò quod nihil sit, quod ei æquiparari possit: alij appellant spartam pedigliã, & eò quòd spargitur hæc radix veluti pes digitatus. Hæc, docente Monarde

narde, est planta, quæ multas radices producit, & ramos sub terra ita fixos, quę, vt excauetur, sit opus multùm soli auferre.

Fallopius scribit libr. de morbo Gallico 63. hanc esse duplicis generis, quorum alterum habet corticem plenum, pinguem, & crassum, alterum, quod habet corticem tenuem, & exiccatum, & vtrunque genus est bonum, & quantò longiora sunt capillamenta cuiusque, eò est præstantius. Monardes, & ipse duas assignat differentias, vnam, quæ ex noua Hispania affertur, alteram, quæ inuenta est in parte profundiori, melioresque effectus producit. Huiusmodi radix quoad saporem est insipida præseferens amarorem quendam exiguum, qui vix lingua discerni potest, nullumque habet odorem.

Scripsit Fallopius loco præcitato eam nihil aliud esse, quàm smilacem asperam, qua semper vsus est loco salsæ parillæ: idem tradidit Monardes, differt tamen smilax à salsa, eò quòd hæc habeat radices maiores, crassiores, carnosiores, quàm illa smilax; cognoscitur autem esse ex fundo (vt inquit Monardes) quòd sit veluti violaceo colore prædita, crassiorque ea, quæ affertur ex noua Hispania, quæ alba est vergens ad colorem fuluum, deinde quia hæc tenuior, illa verò crassior, quæ videtur magis alba declinans ad colorem citrinum, ita vt tandem concludat Monardes, quòd illa salsa parilla, quæ magis nigrescit, sit etiam melior. Debet etiam salsa esse recens, quòd cognoscitur ex fractione ipsius transuersim facta, si nullum emittat puluerem, & intus alba sit, deinde si discissa in duas partes secũdùm longitudinem appareat albedo, subsequens ad vtriusque salsæ portionem.

Facultatem habet extenuandi, & discutiendi. Claudinus scribit aptiorẽ esse ad mouendũ sudorẽ, quàm sit ipsum guaiacum, imò verò Fallopius scribit, eã habere vires quasdã, quibus superat ipsum; nam multoties in lue venerea debellanda quędam symptomata asserit abstulisse salsam, quę à ligno guaiaco non potuerunt euinci, quemadmodum sunt exempli gratia vlcera raghades circa sedem.

Dubium modò est inter scriptores, an salsa sit complexionis calidæ, & siccæ, an verò frigidæ; nam Claudinus inquit in actiuis qualitatibus vergere magis ad frigidum, in passiuis verò ad siccum excessu secundo intenso: ex altera parte Manardes capite 2. habet eius complexionem esse calidam, & siccam, quasi in secundo gradu. Fallopius videtur huic opinioni magis adhærere, nempe quòd sit calida, & sicca ob operationes, quas supra guaiacum habet, nempe auferendi vlcera, quæ cùm semper habeant excrementa tenuia, & crassa, non possunt auferri, nisi à medicamento abstergente, tale autem est calidum, ergo sequitur, quod ipsa salsa sit calida. Deinde illa dicuntur esse calida, quæ producunt effectus calidos, sed salsa parilla producit caliditatem in corpore, quod patet ex auctoritate ipsius Monardes, vbi dicit, quòd à calidis complexionibus vix assumi potest ipsius decoctum, eò quòd nimium calefaciat, & eò magis, si hepar assumentis sit calidum, quia illud valdè calefacit, è contra verò in affectibus mulierum tam histericis, quàm ex humoribus frigidis prodeuntibus mirificè prodest, & quod magis est, addit ventriculum ab ipso decocto calefieri, atque flatus ibi existentes ocyùs dissolui: curat etiam dolores inueteratos. Tandem sudorem promouet, at quæ sudorem mouẽt, sunt calida, nõ frigida, ex cõmuni consensu, ergo salsæ decoctum est calidũ.

Respondet Claudinus, quòd aliud est cõsiderare partes tenuiores salsę, & aliud caliditatem ipsius, & affirmat salsam promouere sudores tenuitate partiũ, nõ caliditate, exemplum assumens ab asplenio, idest cetrach, quæ est frigida, & tamen habet facultatem dissoluendi. Sed nõ valet hæc cõsequentia, inquit quidquid dissoluit, est calidum, nihilominus nos hic dicimus salsã facere operationes mediãte caliditate, nõ tenuitate partiũ; nã dato quòd promoueret sudores ratione tenuitũ partium (quod tamen non concedimus) nũquã poterit calefacere solùm tenuitate partiũ; aliud enim est considerare operationẽ asplenij, quę est mouere per vrinã, & aliud est cõsiderare ꝓmotionẽ sudorũ, cetrach nũquã promouebit sudores, etiãsi ducat per vrinã; nã semina frigida, & ipsa promouẽt vrinã, nõ tamẽ promouẽt sudores, qua-

res, quare salsa parilla habebit semper aliquid, quo possit nostrum corpus calefacere, id quod ostendit eius amaritudo, quia quamuis prima facie videatur ad gustum insipida, progressu temporis si magis gustetur, percipitur amaritudo. Experientia quoque compertum est eius decoctum calefacere, quare dicimus salsam esse in actiuis calidam, in passiuis verò siccam, siue sit in medio, siue in fine secundi gradus, quia exiccat secundùm magis, & minus.

Quod attinet ad modum conficiendi decoctum salsæ parillæ, in temporibus suæ inuentionis erat diuersa decoctio ipsius à ligno; nostris temporibus eam concoquimus eodem modo, quo lignũ, & sæpè admiscentur inuicẽ. Ita antiqui cõponebant huiusmodi salsæ parillæ decoctũ.

℞. Salsæ parillæ libr. semis.

Et diuidebant in frusta parua, inde contundebant, & infundebant in multa copia aquæ, ex qua cum obseruarent admodum emollitam esse, ipsam inijciebãt in mortarium, & per longum tempus contundebant, vt tota esset veluti massa quędam, inde colabant exprimentes, quousque tota mucilago esset expressa, & summo mane iubebant assumendum esse cyathum plenum hora matutina, & calidum. Iubebant simul infirmum stragulis tegi, ac per spatium duarum horarum sudare, & si interdiu sitirent, offerebant eis pro potu hanc ipsam mucilaginem, & ratio est, quia non erat concedendus alius potus, neque alimentum, nisi huiusmodi mucilago. Item repetebant sero eandem mucilaginem pro potu, & cibo, & nihil aliud concedebant: hæc dicuntur à Monarde, qui addit introductum postea fuisse hunc modum, quo nunc communiter vtimur.

℞. Salsæ parillæ vnc. j.

Abluatur, contundatur, & minutim incidatur, cui aptatæ in vase terreo, nouo supra inijciunt aquæ quindecim libras, & ita infundunt per vigintiquatuor horas, & ebullire sinunt vsque ad consumptionem duarum partium, ita vt remaneat vna pars, deinde parant secundam decoctionem, sicut etiam de ligno diximus.

Nostris verò temporibus accipimus eãdem salsam, & in morsellos diuidimus, & in aquam infundimus, non tamen semper ipsam coquere facimus vsque ad medietatem; nam pro diuersitate intentionis Medici variè ordinantur decocta, vt exempli gratia.

℞. Salsæ parillæ contusæ, & in morsellos diuisæ vnc. ij.

Aquæ fontis libr. ij.

Infunde pe spatium vigintiquatuor horarum, deinde bulliant ad medietatem, aliquando ad tertias, deinde colẽtur, & seruentur pro duabus vicibus, fiatque secũda decoctio, non secus atque diximus de guaiaco. Hæc enim ipsa aduersus luem venereã operatur, vt alexipharmacum, non secus atque de ligno dictum est. Et proinde ad tollendam luem veneream antiquatam potissimùm sola vtimur salsæ decoctione, neque egemus, vel adiuuantibus, aut correctiuis.

Decoctum radicis chinæ.

Radix, quam chinam appellant, est re vera radix cannæ cuiusdam multis nodis constructa, intusque alba, quamuis aliquando sit cum ipsa albedine color quidam rubeus, ita vt obseruemus aliquando ipsam intus in albedine rubere, & aliquando habere colorem rubeum intẽsiorem, itaut in rubeo aliquando albescat & in albedine rubescat (quamuis Engarsias scribat meliorem esse albam, quàm ea, quæ est rubida) extra verò est colorata quidem, sed colore flauo, obscuro. Nascitur propè mare in India Orientali, non procul à Scythia, & Cericana. Eius planta, cuius ipsa est radix, assimilatur ei cardo, quod labrum veneris appellant, id retulit nobis Nicolaus Monardes libr. de simplicibus ex India allatis cap. 10. Huc Messanam aduehitur in portiones varias; quarum aliquando comperimus aliquam esse satis amplam, alias verò portiones esse exiguas. Suapte natura rara, atque leuis est, nihilominus sunt portiones quædam adèo amplæ, vt ponderent libram vnam, & vltra, vtcumque sit, semper reperitur nodosa. In meliori, ac recentiori eligenda semper opus est elicere eam, quæ magis

ponderat; nam hæc regula obseruatur à Mesue, vt ex ijs, quę põderosa sunt suapte natura, eligatur leuius, vt in scammonio apparet, è contra verò in illis, quæ leuia sunt, eligendum est grauius, vt in rhabarbaro, & in china. Neque debet esse carie infecta, sed eius substantia sit densa, & sapore potius insipida.

Temperamentum ipsius non omnibus Authoribus est idem, nam alij putant in actiuis qualitatibus omnino temperatam esse, in passiuis verò siccam; Alij autem frigidam, vt Zecchius, & Fallopius, quamuis ipse dicat, quòd nescit re vera, an istud medicamentum calefaciat, aut refrigeret, & addit, nihil est, quod dicam de huiusmodi temperamento, sed dicendum est, quòd ipsa sit temperata, vel si recedit à temperamento inclinat in frigidum in primo gradu; decoctum enim ipsius est insipidum, & subiungit, ideo si in morbum Gallicum agit, id facit à tota substantia. Alij verò dicunt abundare humido pingui, & substantifico cum quadam adstrictione, ac humiditate oleosa, ac substantifica, hinc addunt humiditates excrementitias absumere exiccando, & alimentales reparare, impinguareque, vbi fuerit rectè admistrata; nam humiditate inquiunt ad alendum esse perfusam, innatum calorem pręcipuè fouere, adstrictioneq; roborare, nec permittere calorem innatum euanescere, & omne corpus permeabile reddit, hinc facilè alimentum distribuitur, odoreq; suo grato nutritioni dicata viscera roborat, facitq; vt alimentum quam optimè partes elaborent.

Huiusmodi opinio videtur adscripta Cardano, Claudino, & Saxoniæ; nam referente Claudino Saxonia libr. de lue venerea cap. 25. inquit, quod hæc ipsa latifolij sit, saporis subdulcis, tenuissimæ substantiæ cum quadam adstrictione, ac humiditate oleosa, & substantifica, propriæ substantiæ firmiter adhærente. Verùm si rem ipsam ad trutinam rationis velimus reducere, difficilè mea opinione iudicare poterimus hanc radicem habere oleosam illam, & substantificam, naturam; nam vt scribit Brasauola in tractatu de morbo Gallico de radicis vsu ad hunc modum scribit. Non diù est, quod ex India in Italiam radix quædam aduehitur, quam chinã vocant, quæue nostrarum cannarum radicibus similis est, imò & cannarum Indarum radicem esse non dubito, neque multùm adhibeo ipsi chinæ fidei, quoniam nullas videtur habere qualitates ex his, quæ ostendunt medicamenta, idest vires aliquas medicamentitias; nam neque odorata est, neque pinguis, neque ponderosa, neque densa, neque amara, neque pellucida, neque dulcis, sed penitus insipida, leuis, rara, absque vlla pinguedine, & absque vllo odore, (quamquàm planum sit chinam ipsam exiccare, cùm sit siccissima radix)

Antonius Calmeteus libro de curat. morbi Gallici loquens de medicamento ex china, dicebat eam appellari apios, hoc est sine qualitate, & Horatus Augenius libr. 2. epist. & consultationum medicarum ad Ioannem Baptistam Casanum de qualitatibus radicis chinæ tractans, & potissimùm de temperamento illius, ad hunc modum loquitur. Temperamentum illius mihi perlustranti ipsa radix sicca esse videtur, cuius rei duplex habeo argumentum, aliud quidem, quoniam morbis omnibus humidis magnam afferre vtilitatem experientia constat; nulla enim certior inueniri potest via ad facultates simplicium medicamentorum explorandas, quemadmodum Galenus testatur.

Aliud verò argumentum est, quod densam admodum, ponderosamque substantiam habet; hincque colligitur parum habere illã aquæ, humidique elementi, terrei verò multùm, quod etiam confirmari poterit, eò quòd puluis illius vlceribus aspersus sanare eã conspicitur, & spuma inter coquendum ablata tum vlceribus prodest, tum etiam duris tumoribus: hæc quantum ad naturam ipsius radicis chinæ.

Aduersus eos modò, qui dicunt habere oleaginosam, & humidam naturam inquit. Si humida est natura sua eiusmodi radix, multò quidem maiorem postea humiditatem ex aqua multa acquiret, in qua coquitur, hac de causa non poterit humidos morbos sanare, sed solum egregiè pugnabit contra siccos, eritque re-

que remedium præstantissimum contra febrem hecticam, omnemque marasmum; poteritque sanare febres omnes etiam ardentissimas, & subiungit paulò post. Verùm quàm absurda sint hęc, ipsa experientia fidem facit omnium Medicorum consensu ferè confirmata; nemo enim hactenus ausus fuit hoc remedij genus tentare pro corrigenda intemperie sicca totius, aut partis, nemo exhibuit hoc dectum in hectica simplici, aut marasmode, nemo in febribus ardentibus.

Vesallius epistola ad Ioachim de radice chinæ tractans, considerat substantiam eius, saporem, & odorem, & decoctum. Quoad substantiam inquit esse aridissimam, siccam, & consistentia lignosam, quam si mastices, ac dentibus conteras, nullo illam sapore præditam affirmare possis, nisi insipido, prorsusque stupido: si odorem consulamus, odorati ne quidquam præsefert, neque vnctuosi obseruatur. Subiungit idem Vesallius neutiquam colligere potuisse, vnde adscribendum veniat chinæ, ipsam esse calidam, aperiendi facultate præditam, vrinas, sudoresque prouocare, id quod euenire non potest in illius substantia, cuius sapor sit stupidus citra omne adstrictionis indicium. Tandem ex coctione vix alium saporem reperire poteris, quàm reperimus ex hordeo corticibus non emundato. Ex quibus omnibus Vesallius nititur probare chinam non habere illam humiditatem, & vnctuositatem, quam Auctores supra adducti existimarunt, neque posse prouocare, vel educere sudorem.

Nicolaus Monardes cap. de china scribit Indos curare ipsa omnes infirmitates tam longas, quàm breues, & præsertim febres, & quod magis est notat eandem prouocare sudorem.

Ioannes Zecchius libr. de morbo Gallico cap. 17. dicebat chinam esse nodosam, & ponderosam, & tuberosam, ac subrubram, nec multùm differre à bistortæ similitudine, & de eius decocto loquens, tradidit attenuare, & siccare. Quod attinet ad eius qualitates actiuas, inquit, huius temperamentum non esse satis perspectum, cùm nec saporem, nec odorem excedentem præseferat, concludit ad frigidum potiùs inclinare ipsius temperamētum, & addit Carolum Quintum Imperatorem inuictissimum primum fuisse hoc decocto vsum in atrophia, morbo Gallico, & arthritide, quibus detinebatur, quamuis Vesallius scribat, & Imperatorem, & Ludouicum Sanches Siciliæ Regni Proregem, vel nullam, vel exiguam admodum vtilitatem percepisse, licet multam famam, & existimationem chinæ decocto sua amplitudine addidissent.

Huiusmodi quæstio videtur posita in cognitione sensitiua; nam si radix chinæ est oleaginosa, quæ possit facultates in corpore nostro inducere nutriendi, & refocillandi, erit omninò talis, vt habeat naturam alimentosam; proprium enim alimenti est conuerti in substantiam aliti, & corroborare; proprium verò medicamenti est euincere, & superare res pręter naturales. Ex sensu igitur apparet hanc radicem esse siccam, & per consequens ex terrea substantia constantem, quæ si igni apponatur, & aduretur, effumat quidem, non secus atque ligna viridia, & nonnihil pinguedinis, & exiguæ admodum præseferens, quare non videtur tantam adesse illi pinguitudinem, vt partes ipsas alere, & corroborare possit, id quod confirmare licet ex ipsius decocto, quod, vt dicebat Vesallius, assimilatur decoctioni hordei in aqua factæ, in qua nullus odor, & nullus sapor percipitur, quare, & sensus, & experientia ipsa ostendunt nobis huiusmodi radicem non esse tantæ humiditatis, vt possit ipsas partes refocillare.

Et quamuis aliquibus concedatur huius radicis decocto corpora impinguari, & à macie liberari, si id contingit, non est ratione radicis chinæ impinguantis, sed quia hæc ipsa sua siccitate absumit materias crassas inhibentes sanguinis ad partes nutriendas distributionem; Hinc vulgares dicunt eam ipsam impinguare, sed quantum id absurdum sit, demonstrat primùm eius substantiæ siccitas, sapor insipidus, & odoris carentia existens; quæcumque enim medicamenta ad partes longinquas corporis feruntur, ea necesse est, vt aliquam habeant

calidica-

caliditatem, qua meare possint, suntque etiam, & sapore, & odore prædita, itaut cùm radix hæc priuetur hisce qualitatibus, non videtur ea ipsa tot facultates habere, quas illi authores præscripti adscribunt.

Videtur igitur hic concludendum naturam ipsius esse in actiuis qualitatibus adeò remissam, vt nullum habeat calorẽ, non tamen dici potest, vt sit frigido temperamẽto, sed quòd in actiuis temperata sit parum ad calorem declinãs, in passiuis verò esse siccam, in secundo quidem gradu, sed non intenso, quare mihi videntur illi, qui sustinent hanc esse siccam, & excicãdi facultatem habere rectiùs sensisse, & quamuis radix chinarum suam famam, & existimationem à Principibus supradictis acceperit, non tamen hinc inferre possumus ipsam aliam habere facultatem, quàm exiccandi.

At de sudore, quomodo ab ipsa china prouocetur hoc opus, hic labor est; nam sudoris materia nulla alia est, nisi serum contentum in venis, quod est etiam materia non modò sudorum, verùm etiam aquæ existentis in caphula cordis, vrinę, atque lacrymarum, quod verò sudor sit materia serosa ex 4. de vsu partium à Galeno videtur aptè confirmatum capite quarto.

Iam verò cùm medicamenta educentia sudores operæpretium sit, vt ab internis venis ad extimam corporis superficiem abducant serum, necessarium quoque est, vt medicamenta talia sint calida, & tenuium partium, vt sua caliditate possint impellere materiam serosam extra venas: debent etiam esse tenuium partium, vt materiam hanc ad habitum corporis deferant, 5. de simpl. medic. facult. cap. Hęc de natura, & facultatibus ipsius chinæ: veniamus nunc ad decoctum, & primò ad modum, quo vtebantur antiquiores.

Apud Monardem habemus ipsam in frustula tenuissima esse diuidendam ad pondus vnciæ vnius, cui solent libras quindecim aquę superponere in vase fictili vitreato, & ita permanere per vigintiquatuor horas. Engarsias verò ab Horto eandem quantitatem chinæ recipit, & eam ebullire facit in libris sex aquæ, vsque ad consumptionem medietatis, ita vt vnus pro qualibet vncia chinę accipiat libras quindecim aquæ, alter verò sex libras, vnusquisque tamen vult infusam permanere per vigintiquatuor horas, & coquendam esse vsque ad medietatem. Huiusmodi diuersitas prouenire puto ex loco, vbi administratur huiusmodi auxilium, quia scribit in Europa Engarsias, vbi regio est magis frigida, accipiendam esse, dum patatur decoctum, minorem copiam aquæ, in regione verò calida maiorem.

Engarsias offert decoctum actu calidum, & præsertim in morbis antiquatis, & hac ratione faciliùs sudant ægrotantes. Vnde Ioannes Zecchius adnotat non debere decoctum chinæ cuilibet patienti morbum Gallicum exhiberi, eò quòd inter initia nullius esse vsus perhibetur, morbo autem iam inueterato multùm conducere credimus. Monardes verò post assumptum decoctum vult, vt ægrotus maneat in cubiculo calido, & potus, hoc est syrupus sit actu calidus, vt faciliùs sudare possit, quare ego colligo ex vtroque hoc Authore (qui ambo primi, ad vsum reduxerunt huiusmodi chinæ decoctum, & curarunt, vt ægrotantes sudarent, calefaciendo ipsos tum decocti calidi exhibitione, tum tegumentis copiosis, & in cubiculo calido) quòd china dicatur esse remedium sudorificum, non quidem suapte natura, sed rerum externarum violentia.

Admonet Engarsias ab Horto se obseruasse in Balagate Medicos accepisse decoctionis huius decentem quantitatem, in qua ponebant radicem chinę puluerizatæ, idque repetebant bis in die. Alios quoque inquit vidisse, qui singulo mane accipiebant cochleare conseruæ ex melle, & puluere huius radicis, vel etiam cum sacchoro, deinde superbibebant decoctionem prædictam; Verum quidem est, quòd in componenda conserua potest augeri, & diminui quantitas pulueris, pro vt Medico videbitur. Addit hic Engarsias id notatione dignũ, quòd Chinenses consueuerint comedere prędictam radicem recentem cum carne ebul-

ne ebullitam, non secus atque in nostris partibus coquimus rapas, & eas comedimus. Ex quo etiam notare licet huiusmodi medicamentum non esse suapte natura sudorificum.

Quoad quantitatem decocti afferendam, omnes in hoc conueniunt, quòd eadem esse debeat, quemadmodum dictum fuit de ligno, eandemque seruandam esse victus rationem, quod tamen mihi simpliciter non probatur, quia victus ratio liberalior institui debet, & ideo vinum tenue concedendum, quod admisceri debet secundo decocto, ita vt in victus ratione non sit seruanda eadem regula, quam diximus seruandam esse in decocto ligni guaiaci, atque salsæ. Deinde non semper parari oportet eodem modo decoctum radicis chinarum, neque etiam aliorum; nam videmus, & obseruamus in praxi decoctum factum ad hunc modum meliùs curare, quàm vbi tanta copia aquæ adijcitur. Soleo ego parare decoctũ varijs modis, & primò hoc modo pro diuersitate ægrotantis, morbi, anni temporis, præsentis constitutionis, & aliarum circumstantiarum.

℞. Rad. chinarum vnc. semis.
Aquæ fontis purissimæ ad libr. ij.
Bulliant ad consumptionem medietatis, colētur, & seruentur pro duabus vicibus.

Aliquando accipio huius rad. vnc. j. infundo in sero lactis destillato ad lib. ij. per vigintiquatuor horas, inde feruefacio ad consumptionem medietatis.

Dosis sit ad vnc. vj.
Pro varietate morbi augeo dosim chinæ, & diminuo aquam, aut serum.

Nonnumquam etiam infundo in aqua medicata pro varia intentione, scilicet pro ardore vrinæ.

℞. Rad. chinarum vnc. j.
Succi limonum depurati vnc. iij.
Aquæ fontis pur. libr. vj.
Vel aquæ loco accipio serum destillatum in eadem quantitate.

Infunde per vigintiquatuor horas, deinde bulliant ad tertiæ partis consumptionem, aut etiam ad medietatem, coletur, & seruetur.

Dosis ad vnc. vj. & eo plus.

Accipiatur deinde china, quæ ebullierit cum sero, abluatur aqua fontis purissima, postea ad vmbram tantisper exiccetur, infundatur mox in aqua, quæ satis sit ad bibendum, & bulliat leui abullitione, & hęc erit secunda decoctio, quę colari debet.

Decoctum Sassafras.

Lignum Sassafras, quod affertur ex illa parte Indię Occidentalis, quæ Florida appellatur, adeo celebratur à Nicolao Monarde, vt nullum ex Indijs vnquam illatum nobis fuerit medicamentum, quod ei in virtutibus possit æquiparari. Est id arboris pulcherrimę, cuius trũcus rectus est pini in modum, & radix superficietenus terræ adhæret, nec profundiùs potest infigi; nam si quispiam eam velit in profundo figere, statim emoritur: suprema pars ipsius constructa est ramis satis insignibus, à quibus propria folia dependent, & ita egregiè rami cum folijs committuntur, vt circulum magnum imitari videantur, folia sunt ficus nostræ in modum, veluti triangulata, suntque semper viridia: vnico constat trunco, & vt dicebam recto, cuius rami simul cum folijs, vt dicit Monardes, videntur efformare vas quoddam calicis in modum ad aquam recipiendam.

In hac arbore tria considerantur, radix, truncus, & rami, in nostras regiones vehitur radix, quæ præfertur; cortex vbi non adhæret alijs partibus, illæ non habent tantam, & tam validam facultatem, vnde notat ipse Monardes, quòd in decoctione huius arboris facienda, siue fiat ex radice, siue ex trunco, siue ex ramis, curandum est semper, vt illi adiunctus sit cortex. Radices huius arboris sunt crassæ, & tenues pro diuersitate loci, vbi enascuntur, omnes tamen leuigatę sunt; melior radix est illa, quæ viscosa intus apparet, & est coloris violacei, magisque odorata, quàm sint vel rami, vel arbor ipsa vnde si quispiam dentibus conterat, percipiet magnam aromaticitatem, eiusque decoctum est maioris actiuitatis, & magis odoriferum, nec non maioris virtutis, ac facultatis, quàm sit decoctum ex trunco, aut ramis, ita vt melior, & præstantior

ſtantior pars totius arboris ſit radix, deinde rami, tertiò arbor ipſa, ſed omnibus hiſce partibus prẽſtãtior eſt cortex, quãdo affertur ad nos ex Florida iam dicta. Truncus diuiditur ſerra in multas portiones, quarum aliquæ ſunt maiores, aliquæ minores pro arboris magnitudine, eſtque ſubſtantia leuis, odoratuque fœniculi in modum, ita vt à quamplurimis ſcriptoribus appelletur lignum fœniculatum: rarò, aut nunquam adfertur abſque cortice, qui (vt dicebam antea) eſt magis aromaticus, & odore flagrantior reliquis partibus, & quod dico de trunco, id intelligendum eſt de ramis, ſed (vt dixi) cortex cæteris alijs partibus præſtantior eſt, coloreque ſubruſo præditus: lignum verò intus ſubalbum, & ad flauum colorem obſcurum tendens, ſaporeque fœniculato, nempe paulò acri, & mordaci.

Temperies totius arboris, ramorumque eſt calida, & ſicca in ſecundo gradu, cortex verò eſt calidior; nam attingit propè tertium gradum in calido, & ſicco, vt apparet ex decocto. Quod confert omnibus infirmitatibus, docente ipſo Monarde, ſiue morbus ſit acutus, ſiue longus, ſiue calidus, ſiue morbus grauis, ſiue leuis, & ab Hiſpanis, qui ex Florida veniebant, vbi egrotarent, nullo alio vtebantur medicamento, & quod magis, eſt abſque vlla differentia accipientes huiuſmodi decoctum non modò liberabantur, ſed etiam præſeruabantur à quacumque ęgritudine, vnde id prẹſidium vnicè aſſeruabant tam pro curatione, quàm pro præſeruatione. Inter alios, quos id producit, effectus mirabiles, eſt corroborare iecur, ea ſcilicet ratione, vt generet ſemper optimum ſanguinem. Pro certo tenent omnes Medici harum partium, quòd in accipienda ſolummodo aqua, ſeu decoctione (quæ grata eſt guſtui, & bibitur ſine aliqua difficultate) producatur in corpore noſtro id, quod nunquam operari potuerunt alia medicamenta, ita vt videatur mirum naturam tale produxiſſe medicamentum, quod omnibus iuuet abſque nocumento, & in omnibus morbis.

Decoctum aliud eſt illud, quod obſeruabatur à Gallis, & Hiſpanis, vbi ex quacumque ægritudine ægrotaſſent, & aliud, quod Medici indicationes ſumentes à morbis, & à ſuis cauſis efficiunt. Galli enim, qui in illis partibus, vbi naſcitur hæc arbor, ægrotabant, quorum etiam conſuetudinem acceperunt Hiſpani morantes ibidem, recipiebant huius arboris portionem, & radicis potiſſimùm, quam iudicabant eſſe ſufficientem pro decoctione facienda, & diuidebant in portiunculas quaſdam, & in tanta aquæ copia ponebant, quanta illis videbatur eſſe neceſſaria plùs minùs, & ipſam coquebant, quouſque decoctio remaneret boni coloris, & eam bibebant ad libitum, tam ieiuno ventriculo, quàm in prandio, & cœna neque pondus, neque menſuram obſeruantes, nec alio ordine vtentes, & ſanabantur ab omnibus infirmitatibus ad miraculum vſque.

Addit hic Monardes, quòd in illis partibus reperitur quidam Medicus bonæ exiſtimationis, qui curabat omnes ægrotantes venientes cum flota ex noua Hiſpania ſolo vſu huius aquæ abſque alijs medicamentis, & omnes ſanabat, & concedebat illis interdiu, in prandio, in cœna, & ſummo mane, & quacumque hora huiuſmodi decoctum, & illis, qui aluum adſtrictam habebant, concedebat vas decocti calidi cum modico ſacchari non admodum albi, vnde beneficium alui habebant ſatis commodè, ac quidem vnico hoc præſidio omnes ſanabantur. Nihilominus, & ſi concedantur ea eſſe vera, quæ à Monarde ſcribuntur, videtur tamen inſtituenda hæc ratio decoquendi huiuſmodi lignum, vt in primis reſpiciamus morbum, & ſuam cauſam, & partem affectã, expurgato mox, vt decet, corpore, ſi contingat thoracem affectum eſſe à materia deſcendẽte à capite, quę difficultatem reſpirandi inferat, tunc indicatione deſumpta ab humore frigido pituitoſo decoctio facienda ſit ad hunc modum.

℞. Rad. Saſſafras cum ſuo cortice drac. iij. Infunde in aquis betonicæ, & farfaræ ana libr. j. per ſpatium vigintiquatuor horarum, deinde bulliant ad conſumptionem medietatis, ſi æſtas ſit, vel aer ſit calidus; ſi verò aer ſit frigidus, aut in hyeme bulliat

me, bulliat ad consumptionem duarum partium, coletur, & seruetur pro syrupo offerendo, æstate scilicet pro duabus, hyme verò fiat pro vnica vice.

Neque hoc in loco videtur opus adiuvantibus, aut corrigentibus medicamentis, quia indicans est humor frigidus, qui calefactione opus habet, quia à basi huius medicamenti vtrunque præstatur. Præterea cùm odore, & sapore sit præditum, aromatum in modum, neque videtur opus habere vehiculo; quare si consideremus adiuuantia basim, aut deducētia ad partes affectas, nempe ad caput, & ad thoracem, suapte natura vehitur propter aromaticitatem, quam habet. Itidē si sermo sit de ventriculo malè affecto, & à flatu dolorem patiente, potest ad hunc modum parari.

℞. Rad. Sassafras, & trunci eiusdem ana drach. j. & semis.

Bulliant in duabus libris aquæ, facta priùs infusione secundùm artem, ad consumptionem medietatis, coletur, & seruetur pro duabus vicibus. Pro potu potest parari duobus modis: primò accipientes lignum prædictæ decoctionis, debemus illud affundere in vase vitreato duobus diebus in octo libris aquæ, & permittere, vt bulliant ad consumptionem vnius partis, coletur, & seruetur pro potu in vase vitreato secundùm artē. Alter modus est, vt accipiatur prędicti ligni drachma vna, & semis, & sine infusione ebulliat in decem libris aquæ, quousque consumetur vna pars, addendo, si placet, modicum sacchari: neque displicet, si vinum album decocto huic admisceatur, hoc est accipientes duas partes decocti, & vnam partē vini. Hoc modo seruata methodo, possumus illud vel simplex, vel compositum, pro varia scilicet intentione, conficere: nam volentes verbi gratia curare luem veneream tempore hyemali, in temperamento frigido, & humido, vbi opus est exiccatione secundùm magis, & minùs, possumus ad hunc modum decoctum conficere.

℞. Ligni sancti limati vnc. semis.
Trunci sassafras cum cortice drach. ij.
Corticum guaiaci drach. j.

Bulliant in tribus libris aquæ vsque ad consumptionem duarum partium, facta decenti infusione priùs per vigintiquatuor horas, coletur, & seruetur pro duabus vicibus: deinde fiat secunda decoctio, vt supra dictum est, coletur, & seruetur pro potu.

Hic videtur non esse opus adiuuante basim ligni sassafras, seu ratione caliditatis, seu ratione siccitatis; nam guaiacum sua caliditate adiuuat operationem ligni sassafras, cùm sit hoc calidius: adiuuat etiam ratione siccitatis, & præsertim virtute corticis, qui (vt diximus) est siccior ipsa medulla. Nec videtur hoc loci esse opus vehiculo, quod deducat facultatem basis ad partes, quia supponimus hic omnes partes esse malè affectas, ad quas suapte natura medicamētum defertur. At si consideremus basim, prout eget correctione, poterimus recurrere ad salsam, aut ad chinam, quæ aut nullam, aut paucissimam habent caliditatem. Si igitur basis caliditas, exempli causa, esset corrigenda, hac ratione decoctum parari posset.

℞. Ligni sancti limati,
Ligni sassafras cum cortice ana drach. j. & semis.
Salsæ parillæ drach. ij.

Infunde per vigintiquatuor horas in libris duabus aquæ fontis, deinde bulliant ad consumptionem medietatis, coletur, & seruetur pro duabus vicibus. Deinde fiat secunda decoctio pro potu.

Vbi verò nobis exiccandum sit tātummodò absque excessu caliditatis, possumus, vel vti salsa sola, aut china sola, vel simul eas admiscere facientes decoctum ad hunc modum.

℞. Salsæ parillæ,
Rad. chinarum ana drach. iij.
Ligni sassafras drach. j.

Infunde in duabus libris aquæ per vigintiquatuor horas, bulliantque vsque ad consumptionem vel medietatis, vel duarum partium, pro diuersitate intentionis Medici curantis, vt supra.

Accipimus nos maiorem copiam lignorum, & minorem copiam aquæ, quia (vt dictum est in tractatu de ligno guaiaco) non adfertur ab illis partibus huiusmodi materia lignorum, ad nos nisi post

longum temporis ſpatium, ita vt quando perueniunt huc, omnia ſunt exiccata, neque poſſunt ſuſtinere congruè tantam aquæ copiam pro ebullitione facienda, atque diximus fieri in illis locis, in quibus ipſa naſcuntur. Et hæc ſint dicta de medicamentis ligneis, quę ex Indijs afferuntur; nec non de decoctis, quæ ex ipſis parantur: modò ad infuſa ſeu ad infuſiones properandum eſt.

DE INFVSIONIBVS,

CAPVT VIII.

NEc infuſiones alio loco magis apto tradi poſsũt, quàm poſt decocta, quorum quidem ſunt præparationes. Vnde pulchrè Ioannes Renodæus inſtitutionum pharmaceuticarũ libr. 2. ſcribit infuſionem eſſe præparationem medicamentorum, qua in humore aliquo noſtræ intentioni conueniente medicamenta minutim inciſa, aut trita infunduntur, idque vel per horam vnam, vel plures, vel dies, vel etiã hebdomadas pro varia medicamentorum natura; nam quæ duram habent ſubſtantiam, compactam, & firmiter qualitatem ſubſtantiæ inhęrentem, diutius terenda, & infundẽda ſunt, quemadmodum ſupra de ligno guaiaco, & ligno ſaſſafras oſtendimus: è contra, quę raram, & imbecillem habent ſubſtantiam, illa minus, & terenda, & infundenda ſunt. Vſus porrò infuſionis triplex cenſetur, primus eſt, vt malefica vis medicamentorum corrigatur, aut penitus aboleatur, alter, vt bona melior reddatur, tertius, vt medicamentorum qualitas in humorem, aut ſuccum, quo vti velimus, transferatur, vt in exemplo infundimus turpethum in lacte recenter mulcto, deinde exiccamus, vt minus ventrem exerceat torminibus, quemadmodum laureola, aut mezereon in vino albo infundi ſolet, deinde exiccari, vt eorum violentia magis hebeſcat. Meſues inquit mezereon, quod & eſula, & ſebra appellari conſueuit quandoque, in aceto maceratum acrimoniam amittere. Coſtæus contra in commentario vult potiùs augeri. Conciliantur tamen; nam ſi infundatur per viginti quatuor horas in moderato aceto, minuitur acrimonia; ſi verò longiori tempore, & nimium, quàm par ſit, atque in acerrimo aceto infuſum relinquatur, augetur quidem acrimonia: ſimiliter radices quinque aperitiuæ ſolent ſæpius macerari, vt inde magis incidere ualeant pituitam, & lotium citius ad renes deducant: in medicamentis quoque purgantibus, & rebus aromaticis infuſione utimur in aqua ſimplici, uel in uino, uel in aliquo decocto, uel in aqua ſtillatitia, uel aliquo plantarum ſucco pro varijs medicorũ ſcopis, ac inde proprias qualitates amittunt, in ſuccum, aut liquorem deponunt: ſic infundere ſolemus rheubarbarum, agaricũ & radicem mechioacan, qua infuſione non ſolùm virtus in liquorem abit, ſed etiam melior redditur: ſic infunditur quãdoque in vino gummi ammoniacũ, galbanum, opoponax, & ſagapenum antequam ea diſſoluantur ad alios vſus.

Cauſæ, propter quas Medici infuſiones magis diligunt, videntur eſſe tres docente Mercuriali, cap. 8. de infuſione, ſeu maceratione; prima eſt, quando medicamentum eſt difficile ad penetrandum, vt igitur latè longèque corpus penetret, fit infuſio, ſic aloë infundimus in decocto aromatũ, eoque vtimur, quia facit, vt aloes penetret facilè totum corpus: ſic quoque quandoque Medici infundunt agaricum in decocto zingiberis. Altera cauſa eſt, quando optamus alicuius medicamenti diminutam facultatem, vnde ſcammonium, & rheubarbarum in ſyrupis infundimus, vt poſtmodum hiſce vtentes habeamus illorum medicamentorum facultates, ſed diminutas, & veluti caſtigatas. Tertia cauſa eſt, quando volumus ſeparare aliquam facultatem ab ipſis medicamentis, vt in exemplo habemus myrobalanos, & rheubarbarum, quibus adeſt duplex facultas, purgatoria vna, & adſtrictoria altera, cùm igitur ſolùm purgatoria volumus vti, quæ in ſuperficie eſt poſita,

posita, rhabarbarum, & myrobalanos infundimus, atque ita habemus facultatem purgatoriam, adstrictoria nihil incommodante.

Quod admodum attinet in infusionibus præparandis, duo requiruntur, vnum ex parte liquoris, aliud ex parte medicamentorum: ex parte liquoris quidem oportet rectè animaduertere, an vtendum sit liquore, cui medicamentum infundimus, an verò vti debeamus medicamento infuso. Si liquore tantummodo sit vtendum, hæc debet esse regula, vt tantum liquoris assumamus, quantum satis est ad immergendum totum medicamentũ, at si medicamẽto infuso vtendũ nobis veniat, debet quantitas liquoris esse copiosior, & ratio adducitur à Mercuriali loco præcitato, quia vbi vtimur liquore, studendũ est, vt facultas medicamenti tota in liquore remaneat, & ideo quãto minor est quantitas, tãto magis relinquitur facultas: at vbi veniat medicamento vtẽdũ (quia liquor debet corrigere facultatẽ medicamẽti) quãto maior est copia liquoris, tanto magis medicamentum corrigit, & castigat, cæteris paribus, hoc est dictu, vt sit intra modum. Est & aliud circa liquorem notandum, quod vbi volumus aliquod medicamentum infundere, oportet, vt liquor calefiat, & conseruetur calidus; calor enim liquoris ad extrahendam medicamenti facultatem prodest multùm.

Ex parte deinceps medicamentorum opus est animaduertere, an ea sint duræ, & densæ substantiæ, & tunc temporis longiori egent infusione; vnde lignum, rhabarbarum, & myrobalani, longo tempore sunt infundenda. Quod lignum sit densæ substantiæ iam supra demonstrauimus, & proinde esse opus longa infusione, at de rhabarbaro non ita clarum, est; nam quamuis Mercurialis reprehendat eos, qui breui tempore infundunt rhabarbarum, nihilominus est leuioris substantiæ ipso ligno, neque potest tantam, tamque longam sufferre infusionẽ, ac faciat lignum. Est hic quoque animaduertendum, quod vbi diutius infunduntur medicamenta, non oportet deinde, vt diù ebulliant, propterea eorum facultas minus detrimenti recipit. Ad hæc animaduertendum, quod si medicamenta varia, & diuersa simul infundenda, sint, ars requirit, vt primò infundãtur, quæ sunt substantiæ durioris, deinde mediocris, postremò, quæ sunt tenuis substantiæ, vt diximus in tractatu de decoctionibus.

Considerare etiam oportet circa medicamenta purgantia infundenda, an sint solida, an non; nam si liquanda sint solida, vt electuaria, quale exẽpli gratia est electuarium lenitiuum, aut electuarium rosatum Mesuæ, tunc expedit metiri copiam liquoris, vt possit satisfacere ad liquanda prædicta medicamenta; quantitas enim ad id præstandum idonea erit vnciarum quatuor, vel quinque ad summum. Si verò non veniant liquanda solidiora, sed ea ratione, vt bibi possint, aut fluida reddantur, quemadmodum est syrupus rosatus solutiuus, vel manna eo tẽpore minor requiritur copia, quia medicamenta, quæ potu sumuntur, quanto minore copia offeruntur ægrotis, tanto minus eos molestant. Rẽ ad exemplum ducamus, volumus purgare corpus cũ rhabarbaro, vbi infundendum est, & exprimendum tanta copia infusi satis erit, quãta potes ipsum rhabarbarum tegere, exempli gratia ad vncias duas, deinde expressione facta secundùm artem coletur, & offeratur ægrotanti. Ad infundendum rhabarbarum satis erunt duæ vnciæ liquoris: at vbi dissoluenda sit, vel manna, vel syrupus rosatus, tunc etiam parua copia satis erit ipsius infusi, sed vbi debemus aliud medicamentum dissoluere, quemadmodum est vnum ex prædictis electuarijs, cùm illud crassitiẽ habeat, opus est maiori liquoris copia; nam non sat erũt duæ vnciæ, sed opus est accipere, vel tres, vel quatuor vncias, quamuis quãdo medicamentum sub forma potus offerimus, quo breuioris erit eò minus ingratum erit medicamentum. At quoniã non semper vnico liquore facimus infusiones, verũ aliquando accipimus aquã simplicẽ, nonnunquam stillatitiam, non raro serum destillatum, hinc est, quòd non possumus eandem liquoris quantitatem in omnibus præscribere.

Est quædam inter Autores nostri temporis non leuis quæstio de rhabarbaro, an scilicet rhabarbarum infusum magis expurget, quàm ipsius tota substantia; nam ex vna parte habetis Manardum dicentem rhabarbarum totum deglutitum plus mouere, quàm infusum, quod idem pluribus nixus est confirmare Franciscus Valleriola lib. 3. enarratione vj. Ex altera parte habemus doctissimum Mercurialem lib. 2. de composit. medic. cap. 7. vbi scribit rhabarbarum infusum magis mouere, quàm vbi tota ipsius substantia deglutitur. Verùm cùm dosis rhabarbari infusi, vt operetur, oporteat esse in maiori copia, vix possumus hanc quæstionem determinare, quia exempli gratia, rhabarbarum acceptum, & deglutitum ad drachmas duas magis operabitur, quàm si fuerit infusum, idest duæ drachmæ rhabarbari deglutitæ magis purgabunt, quàm si fuerint infusæ, & liquor simul cum rhabarbaro fuerit percolatus, & deglutitus; quamuis rhabarbarum seu in substantia acceptum, seu etiam infusum parum admodum aluum moueat. Si cætera sint paria, vt accipiatur in infusione rhabarbarum ad duplicatam dosim, quemadmodum requirit Mesues, dicerem tunc equidem rhabarbarum infusum magis corpus mouere; & quamuis Ioubertus videatur hanc quæstionem diluere, quòd expertus fuerit rhabarbarum in substantia exhibitum magis profuisse, & magis purgasse, quàm vbi dilutum fuisset, nihilominus si nos consideremus dilutum ipsius, videbimus in reserandis obstructionibus, & renibus expurgandis magis valere, & etiam in calculis comminuendis aptius esse, quàm sit rhabarbarum integrum, vnde ex Galeno dicebat, medicamenta crassiora diutius in ventre hęrentia deiectionibus esse magis idonea, quæ verò tenuia sunt, & fluida faciliùs per totum corpus distribui. Est etiam animaduertendum, in facienda rhabarbari infusione, quòd tutius sit, si rhabarbarum diuidatur in talleolas, quia eius virtus non tàm facilè dissipatur, atque dissipari solet, vbi redactum est in puluerem, aut in tenuissimum pollinem, & hæc de infuso rhabarbari.

Multæ adhuc à Mesue, & à Medicis practicis afferuntur infusiones, inter quas primas partes obtinere videtur, quæ dicitur infusum senæ; nam senę vis purgatoria est potius in superficie, & proinde magis operatur in infusione, quàm in decocto, vnde dicebat Ioubertus, frustra decoctione elicere tentamus, quod per infusionem commodius habere possumus, proinde simplicissima infusio ipsius senæ ea est, in qua assumitur.

Fol. senæ vnc. j.
Anisorum drach. j. & semis.
Aquæ vnc. vj.
Infundatur per totam noctem, coletur, & leuiter exprimatur, deinde offeratur.

Soleo ego accipere vini albi generosi ad libras duas.
Fol. senæ ad drach. vj.
Cinnamomi,
Anisorum ana drach. j. & semis.
Infundo per vigintiquatuor horas, deinde leui facta expressione coletur, & seruetur pro potu. Dum eram in Gallijs cũ Illustriss. Cardinali Sega Legato, qui nunquam aluum exonerabat, nisi medio aliquo medicamento, ei cùm esset monositios, hoc est cibum semel accipiens in die, & vespertino tẽpore, curabam offerendum primum vini cyathum hac ratione medicatum, mox à cœna quiescebat per totam noctem, & mane, vbi è lecto surgendum illi erat, bis excernere ferè solebat, absque aliqua molestia: eodem vino sępius vsus sum, & multis etiam illud fœlici cum successu propinaui.

Alia verò infusio, & magis artificiosa ea est, quæ in communi videtur vsu, & à Iouberto descripta habetur hoc modo.

℞. Foliorum senæ orientalis mundatorum vnc. j.
Vuarum passarum sine arillijs vnc. semis.
Prunorum Damascenorum exossatorum num. v.
Polypodij Quercini recentis, & contriti drach. ij.
Florum violarum,
Rosarum,
Borraginis ana drach. j.
Florum aurancij, vel limonum drach. j.
Zingiberis drach. j. & semis.
Bulliant in aquæ lib. j. macerētur per horas x.

ras x. vel xij. coletur, & exprimatur, deinde accipiătur vnciç iiij. mellis rof. colati, vel fyr. rof. laxatiui, fyr. è fumoterræ maioris, vel epithymi vnc. j. aut vnc. j. & fem.

Aliud infufum fenæ à Braffauola defcribitur ad hunc modum

℞. Senæ orientalis vnc. j.
Zingiberis drach. femis.
Flor. borraginis,
Bugloffi,
Violarum ana drach. ij. & femis.
Citri drach. j.
Polypodij Quercini drach. ij.
Paffularum vnc. femis.
Sebeften num. x.
Aquæ libras. ij.
Fiat infufio fecundùm artem.

Vbi verò per infufionem expurgandi funt humores ferofi, aut aqua in hydrope

℞. Mechioacan drach. j.
Soldanellæ drach. ij.
Rhabarb. opt. drach. femis.
Zedoariæ,
Zingiberis,
Schœnanthi ana fcrup. j.
Macerentur horis duodecim in aqua geniftç, vel hydromeli, aut decocto aperitiuo, ad libr. ij. mox parum ebullire finito, & in iure colato adde
Syr. de eupatorio vnc. j.
Si fortius defideretur, addatur mellis rof. folut. cum agarico vncia vna, & femis.

Hac ratione vbi duo humores, vel tres etiam fimul purgandi erũt, accipimus diuerfa purgantia, & fimul cum fuis correctiuis in decocto aliquo, vel aquis pro ratione humoris peccantis, admifcemus, nec temerè, ac fine delectu, fed ea methodo, vt dictum eft.

Nolo hoc in loco tacere id, quod Ioannes Heurnius de modo infufionis fcribit, vult enim, vt accipiatur agaricũ, vel rhabarbarum, eaque, vel vnum ipforum in aquã vitæ infundatur per aliquot dies, & vbi opus eft, concedit, vt fumatur aquę eius cochlear vnum, aut alterum, & reddit rationem, eò quòd aqua vitæ fefe traijciens, omnes vires rerum elicit: etenim imis, & in fedibus fefe rerum infinuans tenuat, & eliquat combinata, concretaque, & in fe effundit; additq; quòd ita noua, elegantique ratione ex aromatibus viuida illa fragrantia in aquam vitæ educitur: quæ miram facultatem obtinet ad fpirituum inftaurationem (in morbis potiffimùm frigidis) fuæq; inuentionis hoc remedium effe ad hunc modum teftatur. Ego id remedium labore mihi emptum ad hominum vtilitatem lubenter profero

℞. Cinnamomi vnc. j. & femis.
Zingiberis albi drach. iij.
Garyophyllorum,
Nucis mofchatæ ana drach. femis.
Granorum paradifi fcrup. ij.
Piperis fcrup. j.
Puluerizētur craffiufculè, ac macerentur in femilibra aquæ vitæ, probeque obturato vafe, luto ex farina, & aqua fiat infufio per dies fex: ac in cella vinaria interim ponatur, & quotidie bis concutiatur, vt fe motu variè res mixtæ feriant.

Sed huiufmodi infufio in locis frigidis, & vltramontanis magis conuenit, quàm in noftris hifce partibus, nempe Siciliæ, at magis mihi probatur illud infufũ, quod à Mefue eft compofitum, & ab Auguftana Pharmacopœa tranfcriptum eft.

℞. Fol. rof. recent. complet. mundatarum vnc. ij.
Rhabarb. electi drach. ij. & g. xij.
Nardi Indicæ drach. j. & femis.
Rhabarbarũ, & rofæ minutim incidantur, & macerentur per noctem in feri lactis caprini libr. ij. cola, & leuiter exprime.

Non defũt alia infufa, quę fieri in dies obferuamus in fero caprillo, fed deftillato, quandoquidem ferum deftillatum longè prçftantius eft pro infufionibus faciendis, quàm fit ferum non deftillatum, id quod quotidiana experientia demonftrat, fed quia incidimus in fermoné feri, opus eft, vt breuiter ipfum confideremus, tam vt eft medicamentum alteratorium, quàm vt eft euacuatorium: primo modo varia illi addi poffunt; nam fi refrigerandum fit, fuccus endiuiæ, hepaticæ, fonchi, cichorij conuenit: fi exiccandum, & putredini refiftendum, fuccus acetofæ: fi fanguis depurandus ab humore melancholico, fuccus borraginis, bugloffi, ac fumariæ, vt fcriptum eft à Mefue libr. 2. cap. 9. fi verò deobftruendum fit, idē fumariç fuccus, & cichorij: fi verò

cum re-

cum refrigeratione adstringendum, ignitus chalybs, aut aurum ignitum, ter, aut quater valet in sero destillato extinctum, quod etiam vtilissimũ est, in hemorrhagia renum, & vteri, in dysenteria, in sanguinis sputo, ac in vniuersum in quocunque sanguinis profluuio.

Atqui si sero tanquam euacuatorio auxilio vtendum sit, multa permiscenda occurrunt; nam si, e, g, per vrinas euacuare oportet, commodè ei miscentur lac è seminibus melonum extractum, syrupus de glycyrrhiza, syrupus de limonibus, de capillis veneris, syrupus de eryngio: si verò per aluum euacuandum sit, proponitur à Galeno mel, v. aphoris. com. 6. & 3. de alim. facult. 15. addit salem. Possumus etiam admiscere res solutiuas, vt est syrupus rosatus ex nouem infusionibus, vel etiam ex succo rosarum, syrupus violatus solutiuus, mel violatum, & rosatum solutiuum, vel syrupus de polypodio magistralis: pretereà intus macerare possumus senam, polypodium, epithymum, aut in eodem decoquere diuersos myrobalanos pro humoris peccãtis diuersitate expurgandi. Quare huiusmodi serum euadere potest, vt supradictum est, materia omnium medicamentorum, non secus atque alij liquores, imò verò cæteris liquoribus aptius est pro infusionibus, & decoctionibus: id colligere possumus ex Gal. 14. meth. med. 17. & sic serum euacuatorium est auxilium, & pro diuersitate indicantis parari potest.

Verùm non modò respicienda sunt indicantia, sed & prohibentia, inter quæ primò considerandæ sunt res naturales, ex quibus primùm nobis occurrit intemperies frigida, non modò ventriculi, sed & aliorum membrorum naturaliũ, habitus corporis mollior, & insuetudo; inter res non naturales, aer frigidus, siue consideretur respectu præsentis constitutionis, siue regionis, aut anni temporis, addere his possumus totius corporis, & ventris inferioris plenitudinem: ex rebus præternaturalibus, sunt morbi frigidi, copia flatuum, & intestinorum dolor ab ijsdem causis prouenientes; quamuis ex Galeni sententia, 5. Aph. 64. posset etiam concedi serum ijs, qui flatu abundant, dummodo illud per aluum excernatur. Gal. hæc sunt verba, serum tamen lactis sale, & melle conditum plurimis talibus exhibuimus, qui & iuuati sũt eorũ aluo subducta, quamuis in hoc casu, nẽpe in copia flatuũ, frigidis affectibus, & mẽbris naturalibus refrigeratis concedi possit, si aliquod genus medic. ei adijciatur calefaciens, vt syrupus de corticibus citri, & hoc modo mediante sero destillato satisfacimus indicationibus prædictis.

Quod attinet ad rectum vsum, & primò a d quantitatem, dosis ipsius, vbi alterandi gratia conceditur, ascendere potest à libræ semis, ad vncias duodecim, hoc est ad libram vnam, quæ verò illi admiscentur, non solent transcendere quartam partem ipsius, vt si concedatur libra vna, apponantur vnciæ tres syrupi rosati solutiui: vbi cõcedimus, vt diureticũ, hoc est, vt ducit ad renes, semper debet esse in magna copia, e, g, ab vnc. decem ad vncias xv. vsque, plus minus pro vario corporis habitu, & temperie: quæ verò illi admiscentur ad vncias tres, aut iiij. vbi ad vnc. x. & viginti perueniat, potest conuenire vt aluum subducens.

Est tamen hic animaduertendum, quòd si ei quantitati seri addenda sit manna, vel syrupus rosatus sol. vel huiusmodi aliquod solutiuum, non debent ea transcendere, quantitatem vnciarum quatuor, at vbi admiscetur sena, à duabus drachmis ad drachmas sex, epithymum verò à drachmis duabus ad vnciam semis infundi solet cum suis correctiuis, vt anisus, vel garyophyllus, & huiusmodi ad scrupulos duos: at vbi passulæ adiunguntur, earum quantitas non debet excedere vncias duas. Modus offerendi facilior, & iucundior esse potest hac ratione, vt accipiatur quantitas medicamenti solutiui à sero fluida reddita, vt bibi possit facilè, qua ebibita tunc alia quantitas seri copiosior offeratur ad superbibendum, quæ tota simul non excedat quantitatem quindecim, aut viginti vnciarum. Venit nunc idem serum destillatum cõsiderandum pro vt in affectibus renum, vreterum, & vesicæ offerri potest ad modum aquarum thermalium, hac ratione,

tione, vt illud in primis diuidatur in duas portiones, nempe in quantitatem continuam, & in discretam. Continua quantitas erit vt minimùm octo, vel decem librarum: discreta verò (quæ est eadem continua, sed in plures portiones distributa, vt per vices ægrotanti offeratur) esse debet à sex, vel octo vncijs ad libram vsque pro diuersitate, naturæ, habitus, complexionis, & aliarum circumstantiarum eius, qui serum bibit.

Modus autem offerendi est, vt tota quantitas continua reponatur in vase vitreo, & hoc in alio vase aqua calida pleno, vt scilicet calefiat in balneo, vt dicitur, Mariæ: deinde opus est, vt sit in prõptu aliud vasculum, aut vitreum, aut argenteum, in quod per vices è maiori vase infundatur discreta quantitas iam calefacta instar aquæ balnearum, & hoc modo bibatur ab ægro, qui post vnamquamque potationem, sensim per cubiculum aliquantisper deambulet, ita vt spatio duarum, vel trium horarum ad summum hauserit omnem seri copiam. Quãuis autem non repugnet posse serum destillatũ absque deambulatione ad renes, & vesicam distribui, & nonnulli medici aliquando aquas thermales ita bibendas consuluerint, verumtamen euentus id factum fuisse cum minimo ægrotantium fructu plerumque demonstrauit. Quare longè tutius est in illius exhibitione, vt fiat motus deambulationis, sicut etiam fieri vt plurimùm solet ab ijs, qui aquas thermales ritè assumũt, siue in locis, vbi scaturiunt eædem aquæ, siue alibi, quò aduehuntur, id quod Georgius Frangiottus tractatu de balneis Lucensibus acutissimè obseruat.

Conradus tamen Gisnerus lib. 1. de thermis in genere cap. 1. loquens de potu aquæ Porretæ, inquit: mane bibuntur cyathi sex, qui continent duos vrceos, & post ambulationem vnius horæ, prioribus excretis, iterum cyathi quatuor, & semis, & rursus post parem ambulationẽ ijs excretis, denuò tantumdem. Post tres horas prandium sumitur, deinde intra horas octo fit cœna leuis, & post sesquihoram dormitur. Modus fortasse hic seruatur in Porreta, quando eò se transferũt ægrotantes ad thermarum aquam bibendam, attamen Bononiæ, vbi à quodam Pharmacopæo seruatur eiusmodi aqua, quam statuto tempore exportandam curat, sub doctissimorum præceptorum disciplina obseruaui eam multoties offerri in affectionibus renum, & vesicæ eo modo, vt supra dictum est de sero destillato, verùm cũ exigua vtilitate, quod fortassis contingere solet ob loci mutationem; nam Frangiotto docente, aquæ omnes thermales, si à proprio fonte auferantur, virtutem amittunt, vnde mirum non est, si proprios effectus alibi non producant.

Curauimus nonnunquam aquas ex agro Lucensi huc Messanam vehi, & seruata decente methodo exhibuimus in affectibus vesicæ, & præsertim in vrinæ ardore, & tamen tantum abest, vt profecerimus, vt potius assumentium visceribus inducta sit quædam maior discrasia; nam cùm omnes eiusmodi aquę sint minerales transeuntes per ventriculum, iecur, renes, & vesicam relinquunt prauam quandam qualitatem. Sulphureæ enim aquæ sua caliditate inficiunt prędictas partes, vnde assumentes per longum tempus vehementi siti excruciantur: quæ à ferrea minera prodeunt stipticitatem, atque adstrictionem relinquunt, vt vix chylus ad iecur, & sanguis ad venam cauam possit transduci, vnde Fuchsius tractatu de balneis ad hunc scriptum reliquit modum. Balneorum naturalium quædam aluminosa, quædam nitrosa, quædam salsa, nonnulla sulphurea, nonnulla bituminosa, aliqua ferri, aliqua æris, aliqua cupri, aliqua auri qualitatem obtinent, quædam ex pluribus horum constant. Est autem omnium in vniuersum vis exiccandi, sed quædam cum exiccatione simul valde calefaciunt, quædam exiccando constringunt.

At nos ad serum redeuntes, cùm sit opus, vt illud ad renes, vreteres, & vesicam descendat, quod non semper promptè euenit, dicimus oportere, vt in primo poculo, quod bibendum offertur, apponatur aliquid, quod sit vehiculum seri ad prædictas partes, qualis est syrupus capillorum veneris, syrupus de eryngio, aut alius eiusdem virtutis ad vncias duas, vel

tres circiter, sicut etiam assumi consueuerunt aquę vel Porretanæ, vel Villenses. Atque hac methodo acceptum serum destillatum ob magnam, quam habet cum visceribus affinitatem, nullam prorsus inducit prauam qualitatem, sed renum, vreterum, & vesicæ intemperiem calidam pulcherrimè aufert, simulque, & quę in illis continentur facillimè euacuat.

Post assumptum serum debet æger in lecto quiescere per vnam, aut duas horas, deinde ad prandium se conferre, & post assumptum alimentum, quod esse debet boni succi, & facilis coctionis, quemadmodum est caro caponis, aut gallinæ, aut etiam pinguioris galliculi, dormiat. Potus sit aqua fontana vnico feruore ebullita cum saccharo, aut etiam vino, niue tamen haud refrigeretur. Tempus accipiendi statuitur ab indicante, siue sit intemperies, siue materia aliqua contenta in ijs partibus, quare vbi iudicans sit pręsens, & absit prohibens potest tutò assumi, dummodo corpus probè expurgatum fuerit. Quod attinet ad horam particularem, non debet offerri nisi mane ieiuno existente ventriculo. Et hæc sint satis de sero destillato, & infusionibus, dum ad alia gradum facere sit opus.

DE IVLAPIIS,

CAPVT VIIII.

A tractatione materierum, quæ dissoluendis medicinis purgantibus congruũt, mihi progrediendum esse putabam ad soluentia maximè solida, vt initio fermè proposueram, at cùm viderem in capitibus operis distribuendis Iulapiorum nullam antea factam mentionem, quæ tamen vna cum syrupis alteratiuis reponenda fuissent, hoc loco de ijs aliquid tradere decreui. Quod autem Iulapia sub syruporum classe comprehendi videãtur, patet primùm, quia complures habemus syrupos, vt de succo acetosę, de acido citri, aut limonum, de agresta, de nymphęa, de infusione rosarum, & violarum, qui re vera sunt ita simplices, atque Iulapia, à quibus non nisi nomine differre existimantur. Deinde quia vnusquisque obseruare ex Mesue poterit distinctione sexta, vbi loquitur de syrupis, & succis, minimè illum ibi meminisse Iulapiorum, nisi violati, & rosati; atque insuper scriptum reliquisse ad hunc modum. Syrupus aut simplex est, vt Iuleporum species, vel ex multis compositus ob effecta, & plurima, & maxima. Vnde ex auctoritate ipsius Iulapiorum tractatus superfluus habetur. Nihilominus, quia nomen istud Iulepus, seu Iulapius, aut Iulapium est valdè frequens in ore nostratium Medicorum, de ijs omninò visum aliquid adijcere post apozemata, decoctiones, & infusiones.

Et primò quod attinet ad nomen, dicitur Iulapium, seu Iuleb ab Arabibus, ab Actuario verò appellatur Iulapium, vel Zulapon; alij vero dicunt à Græcis vocari Iolaucin, quasi violarum infusionem. Quod attinet ad rem, dicitur potionis esse genus delicatæ, quod ab Arabibus paratur ex aqua simplici, vel stillatitia, & saccharo albissimo, aliquando verò è puro defecatoque succo, vt limonum, granatorum, acetosæ, vel iure vnius, aut paucorum simplicium.

Sed Iulapij appellatio ijs, quæ ex aquis componuntur, propriè datur ab Arabibus, quod non differunt à syrupis, nisi quod liquidiora sunt, ob id quod minus coquantur, & minor in ijs inditur quantitas sacchari. Officinarum Iulapia ex aqua simplici tantùm parari solent, & pro rosaceo, vel violaceo exhibet: & quoniam ex aqua, & saccharo, vt dictum est, parantur, proportio aquæ cum saccharo debet esse ad triplam, vel quadruplam portionem: vbi dilutum, tunc triplex portio aquæ ad saccharum requitur, vbi magis dilutum voluerimus, reponuntur quatuor partes aquæ, & vna sacchari: nonnunquam verò vis ipsius in coquendo resoluitur,

ſoluitur, interdum etiam nulla vi ignis ex ijs quæ coctionem non requirunt, vt quæ ex aquis ſtillatitijs, ſuccis limonum, vel granatorum fiunt.

Solet etiam parari Iuleb cũ aqua, in qua ſoluitur ſaccharum, & expurgatur; ſubinde tranſmittitur colo denſo, & ita percolatur: aliqui nonnunquam addunt modicum cinnamomi, nonnulli dicunt in hyeme poſſe formari Iulepum, vbi virtutum herbarum penuriam habeamus; nam ſi vſus quilibet ſimplex duplo, aut etiam quadruplo ſtillatitij liquoris alicuius diluitur, & excolatur nullo ignis beneficio, quemadmodum etiam exclarificari, & aromatizari quandoque ſolet.

Conſueuerunt etiam fieri Iulapia cum conſeruis, & conditis, vbi intus ponunt aliquos pulueres cardiacos; alij verò parant Iulapia ex ſyrupis, ponentes multam copiam aquæ ſtillatitiæ, & ſyrupi in pauca quantitate, totumque in duplici vaſe benè obturato concoqui ſolet, aliquando ad medias, aliquando ad tertias.

Iulapiorum vſus ad multa extendi ſolet, nempè accomodatur intemperierum correctioni, ſiti leniendæ, & compeſcendæ, humorumque ardori frænando, malignitati etiam frangendæ, viribuſque roborandis. Depinxit Ludouicus Bertaldus Iulapiorum vſitatorum perpulchram tabellam capite tertio de Iulapijs.

Quoniam autem ſuperiùs mentionem fecimus duplex aſſignari genus, ſeu duplicem Iulapiorum differentiã apud pharmacopæorum principem, nimirum Meſuen, quorum vnum appellari ab omnibus ſolet Iuleb roſatum, alterum Iuleb violatum, ſciendum nunc primò eſt, quòd illud violatum dictum parari conſueuit ex aqua violarum, & ſaccharo, cuius vires maximè celebrantur in æſtibus; nam ſitim extinguit, cordis, thoracis, & ventriculi ardores ſedat, aſperitates lenit, ſiccitatem linguæ, faucium, & gutturis mitigat, cuiuſmodi eſt illud Iulapium, quod ex Ianuenſi, & Napolitana Ciuitate in hanc noſtram Meſſanenſem quotidie tranſfertur, quodue tuſſes exſiccat, & inflammationes abigit tum refrigerando, & leniendo, tum etiam mirum in modum humectando. Hoc idem Iulep, quod à Meſue præparari ſolitum eſt ex ſucco violarum, & ſaccharo, ab Actuario nominatur Ioſachar, cuius mentionem habuimus in noſtro tractatu de ſyrupis capite primo.

Eſt hoc in loco animaduertendum, quòd medicamentorum omnium (ſiue in forma ſyrupi, ſiue in formam Iulapij redigantur) illud eſt efficaciſſimum, & ſummę virtutis, quod ex ſuccis plantarum componi conſueuit, quandoquidem plantarum ſuccus ſit, vt quidam aſſeuerabat, veluti earundem ſanguis.

Quo ad tempus durationis attinet, experientia conſtat perdurare poſſe hoc violaceum Iuleb ad ſex futuros à die compoſitionis menſes.

Deinde alterum Iulapium, quod roſatum appellauit Meſues, ex aqua itidem roſarum, atque ex ſaccharo componitur ab omnibus, & eſt in vſu medicinę frequẽtiſſimo, preſertim ad refrigerandum in febribus, ſitim compeſcendam, putredinẽ corrigendam, & leniter adſtringendum. Idem auctor Iulep roſatum parat etiam ex aqua vnius infuſionis roſarum, & ſaccharo, præſtans quidem eſt, quòd refrigeret, non tamen ęquè ac prius, & ſubadſtringit ventriculum, & cor, atque hepar, ſuper calefacta refrigerat, roboratque partium ſubſtantiam cogendo. Febribus putridis reſiſtit, ſua ſubamara, & aromatica qualitate, ſomnum quoque in ijs conciliat, vel refrigerando, & humectando, ſi aquis diluatur, vel ſi ſolum ſumatur, vapores acres, calidos ad caput elatos reprimendo compeſcit, ſitim à ventriculi intemperie, & aliarum partium naturalium excitatam maximopere ſedat. Parat etiam ex ſucco roſarum Iuleb roſatum Meſue, quod inter ſyrupos etiam relatum eſt.

Triplex igitur eſt roſacei Iuleb genus, ſcilicet, vel ex aqua, vel ex infuſionibus vel ex ſucco roſarum, quorum tamen vires paululum differunt inter ſe, & non niſi

ſecundùm magis, & minus. Durationis tempus eſt pariter ad ſex menſes, vt dictum eſt de Iuleb violaceo.

Multa alia genera Iulapiorum à neotericis deſcribuntur ad varios vſus, vt paulò inferiùs apparebit. Notat Ioannes Renodæus in ſuo Antidotario capite vndecimo, apud Arabes vix eſſe ſyrupi, & Iulapij diſſimilem exceptionem, qui de vtroque ſimul, & confuſè iiſdem capitibus loquuntur, & per Iuleb abſolutè poſitum ſaccharum aqua roſata diſſolutum, & in modum ſyrupi coctum intelligunt. Et hæc eſt natura Iulapiorum, ſeu Iuleborum ab antiquis, & recentioribus medicis deſcripta, noſtrates verò per Iulapium, ſeu Iuleb aliud intelligunt; nihil enim apud eos magis vſitatum eſt in praxi, quàm Iulapium, verùm abuſiuè, quia Iuleb eſt medicamentum ſimplex, vt diximus. Illud verò noſtratium medicorum non Iuleb, ſed apozema dicendum eſt, vt ex Fernelio capite decimo ſecundo pulchrè demonſtratur, qui inſtituit vnicum caput de Iulepo, apozemate, & ſyrupo: ipſius hæc ſunt verba.

Potionum formę ad ſimplicem intemperiem, & ad corporis, vel humorum præparationem, & alios pleroſque vſus, tres nunc præcipuè vſurpari ſolent, Iulepus, apozema, & ſyrupus. Iulepum iuniores, Græci Iulapium appellant, idque ex quouis liquore ſtillatitio, aut ſucco defæcato, addito mellis, ſacchariue triplo conficiunt, coquuntque ſenſim expumando, dum toto ferè liquore abſumpto mellis conſiſtentia fiat. Nunc verò ſimplicior fit, atque liquidior, quodque ſimplex ſit ab apozemate, quòd liquidus à ſyrupo diſtat. Accommodatur autem his pręcipuè intemperiei corrigendæ, leniendæ ſiti, compeſcendo, atque frenando humoris ardori, & malignitati frangendæ. Fit proinde vel è cardiaco liquore ſtillatitio, vel è puro, defæcatoque ſucco, vt limonum, aut granatorum, vel è iure vnius, paucorumue ſimplicium, cui mellis, ſacchariue quadrans permiſcetur, leniterque coquitur, ac deinde clarefit, & conditur aromate, vt citra aquæ, vlliuſue liquoris permixtionem, omninò iucunda fiat potio.

Interdum etiam nulla ignis vi ex his fit, quæ coqui non poſſunt, vt ex aquis ſtillatitijs, & ſucco limonum, quæ omnia ſaccharo expurgato affuſa, colo denſo ſubinde tranſiguntur. Ferè autem ſacchari quadrans, aut ſextans inditur, cinnamomi verò ad vnamquamque doſim ſcriptuli dimidium. Eſt & alia iulepi ratio cum hyeme, aut in virentium herbarum penuria, quiuis ſyrupus duplo, aut interdum quadruplo ſtillatitij, alteriuſue puri liquoris diluitur, nullo ignis beneficio.

Apozema æquè, ac iulepus liquidum eſt, ſed ex complurium ſimplicium decocto compoſitum, quæ in multos, varioſque vſus accommodatur: atque id ferè ad tres, quatuorue doſes inſtituitur. Id autem quoniam ferè iulepo inſuauius eſt, raro in eoſdem vſus deſtinatur, ſed maximè in humorum attenuationem, atque deterſionem, in corporis præparationē, & in reliquiarum expulſionem. Olim quidem veteres, modò virentes, modò aridas herbas mulſæ incoquebant, propinabantque ius colo tranſmiſſum: hyeme verò earum pollinem tenuiſſimum mulſæ inſpergebant: hæcque vice erant apozematis. Nunc verò decoctarum ſtirpium ius aſſumitur, ea quam ſupra dixi ratione, in quod ſacchari, aut mellis, aut cuiuſuis ſyrupi quadrans, ſi non admodum inſuaue, aut triens, ſi inſuauius eſt, ſoluitur, rurſumque leniter, & parcè coquitur, aut ſolùm caleſit, vt clarificetur, & aromate condiatur ea doſi, quam nunc in iulepo dixi. Hæ quidem potiones in rem præſentem vſurpari ſolent. Solet exigendis quoque humoribus præparatis è ſimplici apozemate catharticum ex tempore fieri, incoctis ſcilicet in eo, aut dilutis medicamentis purgantibus. Syrupus quòd in herbarum penuria reconditur, aſſeruaturque diutiùs, craſſiore fit conſiſtentia, in eos præcipuè vſus in quos, & apozema, quamquam plerunque iulepi etiam commoditatem habet. Ex ijs comparatur, quæ vix hyeme ſuppetunt

suppetunt nobis, aut quæ æstate non facilè fit, aut promptum est, cum necessitas postulat, ex varijs locis tam multa congerere. Fit haud secus, ac apozema è stirpiũ succo, vel earum coctarum iure, in quod adhuc tepidum pro libris ternis singula ouorum candida inijcies, diuque scopulis agitabis, dum sordes omnis spumæ adhærescat, hæc dicuntur à Fernelio.

Ex ipsius auctoritate satis apparere puto Iulepos nostratium medicorum esse apozemata, quod etiam apparere poterit inductione quadam. Primò ex Iulapijs, quę describuntur ab Vuecherio capite octauo, quorum primum est tale.

I.

℞. Iuleb rosacei, & violacei ana vnc. semis.
Aquæ endiuiæ, acetosæ, borrag. ana vnc. iiij.

II.

℞. Aquæ cinnamomi stillatitiæ, borraginis, buglossæ, acetos. ana vnc. j. & sem.

III.

℞. Iulapij violacei, syrupi de glycyrrhiza ana vnc. j.
Aquarum scabiosæ tussil. ana vnc. iiij.
Aquæ hordei coctæ vnc. iiij.
Misce, & fiat Iulapium.
Iulapij rosacei vnc. j. vel vnc. j. & semis.
Margarit. præparat. corall. rubr. præparatorum.
Fragm. lap. pretiosorum ana scrup. j.
Fol. auri num. iij.
Commistis singulis fiat Iulapium.
Alia proponuntur etiam à Renodæo capite vndecimo: vnum est hoc.

℞. Aquæ endiuiæ vnc. iij.
Syrupi limonum vnc. j.
Fiat Zulapium.

Sic Iulepi consistentiam habent liquidiorem, vt colari possint.

Sed qui diutiùs concoquuntur, vel duplam tantùm aquam ad saccharum recipiunt, vt rosaceus Rondoletij, vel vtriusque æquale pondus, vt Syluio placuit, ob crassitiem pigrè defluunt, vixque colo traijciuntur.

Pro diuersa igitur coctione, & quantitate aquæ ad saccharum fit, vel syrupus, ex vtriusque scilicet partibus æquis, vel Iulepus, ex aqua tantùm tripla ad saccharum, vt Ioubertus voluit.

Patatu cùm sint facillima eiusmodi Zulapia, vnius tantùm, aut alterius formulam subducam.

℞. Aquarum fumariæ, & oxalidis ana vnc. ij.
Sacchari vnc. j.
Coque lento igne ad vnius vnciæ resolutionem, & fiat Iulep pro vna dosi.

Ad somnum conciliandum Iulep hypnoticum, sic rectè parabitur.

℞. Aquæ nenupharis vnc. ij.
Aquæ bettonicæ, & syrupi de papauere simplicis ana j.
Misce, & fiat Iulep, hora somni sumendũ.

Appono hisce Iulepis alios pulcherrimos descriptos à Petro Gorræo, qui sunt sequentes.

℞. Aquæ infusionis rosarum, vel aquæ infusionis violarum vnc. semis.
Sacchari vnc. iiij.
Coque cum facilitate, & fiat Iulep, vtatur cum duplo, vel triplo aquæ coctæ refrigeratæ: vel sic.

℞. Aquæ rosarum vnc. viij.
Sacchari vnc. iiij.
Coque cum facilitate, & fiat Iulep.

Similiter ex alijs rebus, vel calfacientibus, vel aperientibus, vel adstringentibus fieri poterunt Iulep. Medici tamen vulgò appellant Iulep syrupum dissolutum cum aqua cocta, dicentes.

℞. Syrupi rosati, vel syrupi violati, vel syrupi capillorum veneris, vel alterius vnc. iij.
Aquæ coctæ lib. semis.
Misce, & fiat Iulep.

Et isthæc sunt paradigmata Iulapiorum à varijs auctoribus descriptorum, quæ, vt apparet, medicamenta sunt simplicia. Modò videamus, quæ sint exemplaria eorum Iulapiorum à nostratibus medicis descriptorum, qui ijs vtuntur ad aluum subducendam; nam pro basi, vt plurimùm accipiunt senam, & polypodium, & vtinam non facerent farraginem rerum multarum absque vlla methodo, & ordine; sat enim illis est, si his medijs ægrotantes habeant beneficium alui. Verũ possumus nos ad methodum aliquæ redigere, qui pro varia affectione partium morbis opitulentur; & primò describamus Iulapium aliquod capitale, quod ad hunc modum fieri potest.

℞. Ligni sancti lim ti vnc. j.
Salsæ parillæ vnc. iij.
Corticis ligni sancti vnc. semis.
Foliorum bettonicæ,
Calendulæ,
Maioranæ,
Melissæ,
Primulæ veris ana m. j.
Seminum Anisorum,
Fœniculi,
Amomi ana vnc. j.
Ligni visci quercini,
Tiliæ arboris ana vnc. semis.

Bulliant in libris quatuor aquæ fontis purissimę vsque ad medietatem secundũ artem, coletur, & colato adde sacchari quantum est satis, vt fiat Iulapium, addẽdo in fine coctionis foliorum senæ orientalis ad vnc. sex, & iterum parum bulliant, & aromatizetur cum cinnamomi, & coriandrorum pręparatorum drachma j. & semis.

Et fiat apozema secundùm artem.

Similiter potest confici pro affectibus thoracis aliud Iulapium, seu apozema ad hunc modum.

℞. Radicum chinarum,
Salsę parillæ ana vnc. j. & semis.
Ligni sasfras cum cortice vnc. semis.
Foliorum melissæ,
Hissopi,
Iridis,
Enulę campanę,
Vrticæ,
Borraginis,
Buglossi ana p. ij.
Succi acetosę
Scabiosæ,
Mellissę,
Succi Citri,
Limonum,
Cardui benedicti,
Rosarum,
Violarum ana vnc. j.
Seminum fœniculi,
Anisorum ana vnc. j.
Florum cordialium ana p. ij.
Seminum frigidorum maiorũ ana dr. iiij.

Bulliant in sex libris aquę fontis purissimę secundùm artem, deinde colato adde foliorum senę orientalis vnc. vj. radicum polypodij vnc. ij. coletur, & colato adde sacchari quantum est satis, & fiat apozema secundùm artem. Dosis ipsorum sit trium vnciarum.

Possemus, & multa alia exemplaria horum Iulapiorum in medium afferre, quæ vrgente necessitate, habita indicatione à morbo, causa, symptomate, & parte affecta componi possunt. Vnum tamen propono, quod fuit factum pro admodũ Illustri D. Francisco Marullo Messanensi viro patritio, ad varios affectus vesicę, renum, & vreterum, cum antiquato, & summo vrinę ardore, ac totius membri virilis pruritu intenso. Fuit autem pręparatum ad hunc modum.

℞. Chinarum vnc. ij.
Salsę, parillæ vnc. j. & semis.
Quinque rad. aperit. ana drach. ij.
Polypodij quercini libr. semis.
Hordei mundi,
Sem. mel[illegible]num ana vnc. j.
Ligni sasfras (hoc est radic.) vnc. iiij.

Infundantur omnia in lib. viij. aquę fontis purissimæ per vigintiquatuor horas, deinde bulliant secundùm artem, addendo post medietatis consumptionem.

Succi vtriusque endiuię,
Vtriusque borraginis,
Hepaticæ,
Eupatorij Mesue,
Fumi terræ,
Lupuli,
Linguæ ceruinæ,
Pimpinellæ despumatorũ an. vnc. sem.
Fol. Citrach.
Capillorum veneris ana p. j.
Alchekengi num. xx.
Flor. cordialium ana p. ij.
Liquir. rasæ vnc. ij.

Facta coctione, & colatura infunde
Foliorum senæ orientalium benè mund. libr. semis.
Bulliant iterum vnico feruore cum suis correctiuis nempe,
Cinnamomi,
Anisorum ana drach. semis.
Colentur, & cum saccharo quantum sufficit,
Fiat Iuleb, & aromatizetur cum
Coriandrorum,
Cinnamomi,
Santal. omnium ana drach. j.

Dosi

Dosis est ad vnc. iij.

Verùm quidem est, quòd propinabantur alia medicamenta, tam ad mitigandum ardorem, quàm ad vlcera, quę putabantur ex coniecturis quibusdam esse non modò in vesica, sed in renibus, & vreteribus; nam pus aliquod eijcitur à vesica per canalem communem ad extra, quod facit non negligendam dubitationem de euentu futuro huius morbi; & hęc sint dicta satis ad probandum apozemata non posse esse, nec enumerari inter Iulapia, seu Iuleb vocata, cùm illa sint simplicia, vt dictum est, hęc verò sint composita, non secus ac multi alij syrupi; vt est ille de polypodio qui sub nomine Augustini Nyphi vagatur, in quo parando lignum sanctum cum cortice, rhaponticum, rhabarbarum, & plura alia ebulliri solent, quæ facta coctione colant, deinde cum saccharo faciunt syrupum, apponendo, & senam, & polypodium, non secus atque fit, dum componuntur Iulapia à nostratibus medicis.

DE ROB, ET ROBVB ARABVM.

CAPVT X.

Post tractatũ de Iulapijs, quę fiunt non modò ex aqua, & saccharo, verum etiam, vt dictũ est, ex succis, de Rob agere decernimus, eò quòd & hæc ex succis fieri perpetuò consueuerunt. Succi autem sunt in duplici differẽtia, alij dẽsantur, alij verò minimè, & ambo in medicina vsum habent, non densati alij sunt pingues, alij minimè; pingues sũt illi succi, qui ex amygdalis expressis extrahuntur, non pingues verò illi, qui ex rosis, ribe, immaturis vuis, punicis malis, prunis syluestribus, cotoneis, acredine citri, qui omnes phyalis vitreis superaddito oleo in annum seruantur, vt propterea admiretur Costæus, cur de his Mesues non egerit, sed respondit id fortè fieri potuisse, quòd eius tempestate seruandorum ratio non erat apud pharmacopæos in vsu; quare modus percoquendi, atque insolandi ipsos succos, ille est, quo ipsi seruantur, & fortè vnius mẽtione, alterius quoque vult haberi rationem, cùm præsertim vires vtriusque sint eædem, & ex liquido succo fiat densatio.

Scribit Syluius super librum primum Mesuę tractatu de syrupis, & Robub, hos succos electuarij molem, vel eclegmatis consistentiam adeptos per consumptionem aquosę substantię, sapas vocauimus, vti Arabes Rob, & Robub, quod illis absolutè pronunciatum, sapa latinorum est, seu defrutum, Gręcorum verò σιραιον. καὶ ἕψημα hoc est vinum ad dimidias, vel tertias coctum, quę nomina vino solo cocto, licet vtrique tribuerint, fortè quoque ex succis vino, aut solùm, aut frequentissimè ad hanc consistentiam coquebant. Arabes tamen alios quoque succos similiter coxerunt, & Rob, vel Robub appellarunt. Huiusmodi Rob, & Robub ab Arabibus vocatum, nobis propriè vocatur succus medicatus, qui ex fructuum præsertim elicitur expressione defęcatorum, solis aut ignis calore inspissatorum, vt absumpta humiditate excrementitia, quę corruptionis est causa, integris viribus diù asseruari possint. Aliquando etiam, vt commodiùs inspissetur, ac diutiùs seruetur, saccharum, aut mel additur, vt in diamoro, & diacario fit, ac Rob, de ribes, & de berberis composito dicto, quod de omnibus alijs fieri potest, licet talia propriè magis inter syrupos sint recensenda; vsus tamen inualuit, vt in succorum classe referentur. Nonnulli hanc statuunt differentiam, quòd saccharo, vel melle addito inspissatur succus Rob, citra saccharum Robub appelletur. Mesues tamen simplices succos inspissat sine alia admixtione.

Est tamen sciendum, non vnum, eundemque modum crassefaciendi esse; aliquando enim tertia tantùm pars absumitur, nonnunquam dimidia, aliàs etiam magis, vt in mellis consistentiam coeant, quales succos aliqui miuam vocant. Porrò non

rò non horum fructuum succos, verùm etiam alios ex folijs, radicibus, ac etiam floribus extrahunt officinæ, asseruant in vsum medicum; alios quidem in duritiem concrescere sinunt, vt succus absynthij, acatiæ, hypocistidis, elaterij, eupatorij, item glycyrrhizæ, aloes, scammonij: alios verò liquidos, vt dixi, defæcatos seruãt in ampullis vitreis olei ad custodiam super indito, vt acetosæ, rosarum, violarum, & ex fructibus item, vt granatorum, cydoniorum, ribis; de his, tum ac illis Mesues non meminit speciatim sub capite succorum, seu Rob, licet sparsim de his mentionem habeat, vt etiam medicamentis inmiscet, quod pulchrè demonstrat Ioannes Ludouicus Bertaldus tractatu de Rob, seu de succis medicatis, & expressis capite primo.

Alius quoque succi extrahendi modus est, cum ex recentibus fructibus, herbisue eos elicere non possumus, & quæ modò per infusionem, vt cùm ex aridis berberis in omphacio, vel aqua maceratis, succus extrahitur, vt facit Mesues; quomodo etiam illi, qui carent succo kermes qui ad compositionem Alkermes requiritur, grana sicca coquunt in aqua exquisitissimè. Vnde rectè Costęus scriptum reliquit, densati succi materiam non semper esse liquidum succum, sed quandoq; decoctum, quandoque infusum; quemadmodum etiam materia, ex qua conficiuntur succi, variæ sunt plãtarum partes, sæpissimè fructus, interdum folia, nonnunquã verò ex radice fiũt, vt glycyrrhizę succus, quem alioquin vsitatissimum ætatę nostra Mesue præterit, quòd eius tempore fortasse parum notus esset.

De Vsu, & Mixtione eorum.

Vsus succorum medicatorum ad multa trahitur, potissimũ verò ad oris, & faucium affectus: cum gargarismatibus recipitur ad sitim, & adstringendum, ac roborandum ventriculum, à bilioso humore tentatum: aliquando etiam corroborat, vt succus Kermes, qui tamen solus nunquam in vsum trahitur. Est tamen hic notandum, quod monent omnes scriptores, Rob in crassis humoribus, & pituitosis, & melancholicis efficaciùs prodesse, quàm syrupum, vel decoctum, & ratio est, quia simplicium vires integras seruant, quæ per decoctionem euanescunt, vnde rectè dictum fuit à quibusdam earũ esse veluti sanguinem; in calidis verò è contra humoribus magis præstat decoctum, quàm syrupus.

Sed alij succi, ad quos nõ pertinet nominatio Rob, eò quòd in duritiem concrescere sinuntur, ad multa etiam sunt vtiles; nam alij ad roborandum, vel aperiendum, vt succus eupatorij, absynthij, alij ad expectorandum, vt succus glycyrrhizæ, alij ad expurgandum, vt aloes, scammonium, elaterium, alij adstringendum, vt succus hypocistidis: qui verò liquidi seruãtur, vt succus acetosæ, granatorum, cydoniorum, & alij varia possunt pro simplici, è quo eliciuntur natura, & viribus, & ferè ad compositionem syruporum seruantur, vt succi ad compositionem pilularum, trochiscorum, & electuariorum. Dosis Rob per se sumpti ad vnciam vnam, vel duas est in siti, cholerę vomitu, vt rob ribes, berberorum, de cornis, modò cũ aquis stillatitijs iulapiorum, aut syruporum, modò in gargarismata etiam variata dosi ex mixtione induntur pro affectuum natura, & temporibus. His etiam aliquando pulueres miscentur simplicium, vel trochiscorum, & conseruæ cruoribus alui, sanguinisque, etiam vomitibus.

Rob vsualium, tum crassorum, tum liquidorum vires.

Dictum fuit sapa nomen esse Græcum, quod nostri succum vuæ coctę nominant: ab vua expressus succus triplex substantia elicitur, nempe sapa, siræyon, & defrutum, sapa verò ex musto dulcissimo ad trium partium consumptionem cocto paratur, modò ex albis vuis, vt Syluius loco iam citato scriptum reliquit, vt Ingauia, modò etiam ex nigris, quod frequentius fit, & præcipuè hic Messanæ, & pro vuarum diuersitate, viribus etiam variat sapa; vt plurimum tamen, quàm dulcissimę eliguntur, quòd calida, & humida sunt, ideo anodina maxima est sapa

in do-

in doloribus colicis, nephriticis, & matricis conuenit, & pro clysteribus indita ad alios dolores cum similagine, & sale, vel cum floribus, chamomillę, & furfuris, fit cataplasma ad omnes dolores. Eadem sapa vires habet aluum leniter lubricandi, idque sua dulcedine: detergit etiam quemuis ex thoracis affectibus. Paratur etiam ex vuarum acidodulcium, quę habent aliquam subastringendi facultatem. Cæterùm hæc tria sapa, syarum, & defrutum differunt tantùm cocturæ modo.

Rob de Cerasis.

Rob de Cerasis rubeis subacidis, quæ frigida sunt ordine primo, & sicca secundo, vel circiter, confert languenti, & æstuanti stomacho, sitim extinguit appetentiam excitat, febrium ardores mulcet, odorisque suauitate cor exhilarat, & quòd eo cæterorum, austerorum, acidorumque commune est, putredinem serpentem prohibet: è contra quod è dulci ceraso exprimitur, stomacho nocet, estque mali succi, & febricitantibus infensus. Sunt nonnulli, qui etiam liquidum seruant fæcibus depositis, vocantque vinum cerasorum. Sunt verò, & alij qui ex nucleis, cerasis acidis simul contusis, & in vino albo positis, vinum amarenatum conficiunt gustui gratissimum, & satis diureticum; quamuis hic Messanæ alio modo vinum amarenatum efficiunt; accipiunt enim vinum, quantum illis videtur, & in eodem dolio apponunt cerasa, quas amarenas vocant, infundique ad tempus permittunt; deinde vinum bibũt intus remanẽtibus amarenis. Alij verò accipiunt folia viridia arboris amarenę, & intus dolium ponentes, ita remanere iubent, quousq; vinum acceperit odorẽ amarenarũ. Sũt modò, & alij qui vas ex ligno amarenarum factum conseruant, intusq; ponunt vinũ, quod spacio vnius horę, aut duarum ad summum, recipit odorem amarenarum, & gustui gratissimum est.

Rob de ribe.

Scribit Mesues lib. 1. cap. de Sapa ribis, parari ad hunc modum; recipientes succi ribis libras decem, coquunt igni lento ad tertię partis consumptionem, colant, & subsidere permittunt, donec clarescant, clarum deinde igni clementi percoquitur, aut insolatur ad iustam crassitudinem, qua seruari possit. Datur cum aqua frigida, aut niue: succus herbæ oxalidis, illi est facultate proximus. Ioannes Costæus super hunc locum, & Ludouicus Bertaldus capite iam citato, scribunt incertum esse adhuc quid sit Ribes Arabum, imo Bertaldus scribit, & à nostris desiderari; nam Ribes eorum ex fructibus prunorum ęmulis exprimitur, quæ in mõtibus Syrię, & Aegypti proueniunt; isque nunc siccatus, nunc liquidatus, nunc saccharo conditus ibi venditur. Vulgatus verò noster Ribes frutex quidam est satis cognitus, & ex eorum racemis exprimitur succus, & simili modo nũc defæcatus, nũc in syrupi consistentiam coctus, & nũc in conditi formam redactus asseruatur: in spissatur aliquando igni cum saccharo, & nonnunquam sine, & à nostris gelatina Ribis dicitur, & Bertaldo autore, nihil aliud est, quàm Rob ex puriori succo paratum.

Ioannes verò Costęus loco præcitato admonet pro eo vti certum est eius, quam aliqui marinam vuam vocãt expresso succo, punici mali succo, colore consistentia, ac ferè sapore non dissimili. Solent impostores multi cùm diagridio solutiuum facere prædictum succum, vt & medicos, & ægrotos fallant. Mesues scribit, ipsum refrigerare, adstringere, ob id ventriculum calidum corroborare, amborũque feruorem, & inde natam sitim extinguere, biliosam vomitionem, & deiectionem sedare, & alterare. Et Costæus inquit, esse ad bilis feruorem, ad sitim, æstusq; ac vomitus strenuè efficax; ad quos vsus scribit eius racemulos condiri saccharo, potestque succus huiusmodi densari, & vsurpari pro Ribe, quamuis Bertaldus scribat Rob de Ribe, seu eius Robub calidum esse, & siccum ordine secũdo, acidum, acerrimumque, non insuauiter, & leniter adstrĩgere, vẽtriculũ calidũ roborare, & hepar, amborũq; feruorẽ, & biliosũ alui profluuium sistere, appetentiã mouere, cardiacis conferre, sanguinis feruorem temperare, & bilis furorem domare, erosiones, vellicationesque tollere.

Rob

Rob de Omphacio.

Admonet hic Christophorus Georgius de Honestis supra hunc Mesue locum Robub de agresta parari posse etiam in forma Iuleb inspissati cum saccharo, & sine, quamuis dicat cum saccharo meliùs conseruari, debiliùs tamen operari. Manardus scribit, à matribus familias parari, & appellari omphacium siccum. Omphacio liquido tota Italia vtitur, quamuis Pedemontani, & Galli, crasso, & densato. Id si ex syluestribus vuis immaturis paretur à proposito à Mesue vsu erit longè efficacius. Quod enim ex huiusmodi vuis immaturis paratur, quas lambruscas vocant omnium austerissimum, & frigidissimum est, in medicamenta optimum; quod verò ex domesticis vuis, ac immaturis fit optimum etiam in medicamenta, ac ventriculo magis proprium. Omphacium ordine secundo frigidum, & primo siccum ferè est: ardores febrium, & omnem æstũ validè compescit, putredinem coercet, sitimque extinguit, subuersionem ventriculi iuuat, & iecur roborat. Sunt, qui scribant, parari omphacium aromaticum ad condimenta gratissimum, appetitum non modò excitans, sed stomachum roborãs. Alij verò putant etiam omphacium purgari, ac defæcari, decoctionem semper expumando, eoque ab igne remoto, libra vna sumatur, & sacchari optimi vnciæ quatuor, addantur pulueris cinnamomi, & garyophyllorum ana vnc. ß. Piperis drach. ij.
Cum modico salis, & rursum vnico feruore bulliat, & coletur.

Rob de Granatis.

Huiusmodi Rob de Granatis acidis in tota Italia liquidum seruatur, imo verò Bononiæ adest Monasterium Reuerendarum Monialium, Ordinis Dominicani, quæ conficiunt huiusmodi succum granatorum, appellantque vinum granatorum, illudque in paruis dolijs ligneis, circulis ferreis constructis per totum annum conseruant magno cum ægrotantium omnium auxilio, & refrigerio. Ab ægrotis bibitur loco vini, sed multa aqua lymphatũ: acutarum febrium, tum putrediné, tum malignitatem coercet, earumque acrimoniam strenuè retundit: syncopas, stomaticosque alios affectus arcet, viscerum substantiam tuetur. Solet etiam extrahi succus à granatis dulcibus, pleuriticis, & alijs pectoris passionibus valde vtilis. Galenus è granatis etiam cum suis corticibus tusis succum extrahere solebat, & cum melle parabat ad vitia inflammationis oris.

Rob de Oxyacantha.

Appellatur etiam hoc Rob de berberis, qui (vt inquit Georgius suprascriptus) sunt fructus noti, frigidæ, & siccæ complexionis in secundo, cum multa stipticitate. Adnotat Costęus horum fructuum, nempè baccarum Oxyacanthæ adesse copiam, ex quibus exprimi succus potest, qui ijs carent recentibus, eos docet Mesues rationem parandi ex aridis. Nunc apud diligentiores medicos parandi hoc pacto succos ex varijs rebus, etiã purgãtibus, vsus inualuit, quem extractum vocant. Validè bilis impetum, hincque ortam diarrhæam, & dysenteriam, aliasque alui fluxiones sistit, & coercet: inspissatur etiam cum saccharo, & Rob de berberis compositum vocant.

Rob de Cornis.

Scribit Mesues succum cornorũ maturitati propinquorum confortare ventriculũ, & similiter siccari: huiusmodi Rob extrahitur ex fructibus cornorum, qui sunt fructus eiusdem plantę, & frigidæ complexionis in primo, & siccæ in secundo. Ventriculo est gratum, appetentiam excitat, ac omnium maximè diarrhęam, dysenteriamque sistit. Sunt qui dicant esse calidę cõplexionis, sed (vt puto) falluntur; nunquã enim hos fructus obseruaui esse in Sicilia, & præsertim in hac Messanensi Ciuitate, vbi medicinam facimus, sed in partibus Galliæ multa copia eorum reperitur, suntque fructus rubei, oblongi oliuarum instar, sed tenuiores: ex frutice quodam appropinquante arboris

boris naturæ. Animaduerterti etiam ex horum fructuum succo conseruas, & cum saccharo, & cum melle satis quidem commodè fieri posse. Conferunt ventriculo malè affecto, nempe calida intemperie, vomitum ipsius compescunt, & sitim illicò extingunt.

Rob Diamoronis dictum.

Ex mori vtriusque succo fit Diamoron, quod solum asseruari minimè potest, eò quòd facilè putrescat, sed Diamoron paratur addito melle, idque fit vel simplex, nempè ex succo, & saccharo alterutrius, vel compositum; nam ex succis mori domestici, & syluestris rubi ana libra vna, & semis, sapæ, & mellis ana lib. j. paratur à Mesue, verùm Nicolaus recipit succi mororum celsi libr. semis, & mororum rubi lib. j. mellis despumati lib. j. sapæ vnc. iiij. & hoc est in vsu maximè. Galenus compositum etiam parat addens myrrham, crocum, omphacium succo mororum domesticorum cum melle. Sed hoc loci animaduertit idem Galenus succum mororum syluestrium esse magis gratum stomacho, quàm domesticorum. Alia item alijs miscet, quæ diuersa inflammationum faucium tempora respiciunt. Cæterùm mororum domesticorum, vel syluestrium succus, nondum maturorum repellit, & adstringit initijs inflammationum, quæ in faucibus, & ore fiunt familiarissima. Diamoron autem, quod mel, & sapam recipit, non ita adstringit, sed potiùs discutit, vt in augmento, & statu morbi conueniat, idque eò magis, quò maior horum quantitas indita sit in succo: magis autem id præstat Diamoron compositum Galeni, quod impendenti suffocationi ex inflammatione conuenit, excoquendo phlegmonem. Apud Valerium Cordum adest pulcherrima Diamoronis descriptio, vt videre potest vnusquisque in suo dispensatorio.

Rob Nucum, seu Diacarion Galeni.

Huiusmodi medicamentum à Galeno inuentum ex succo corticis viridium iuglandium, & melle paratur, perinde ac Diamoron dictum, atque etiam eò validiùs à profundis in remotiores partes cõfluentem humorem pellit, præsertim si is tenuis, ac acris sit, siue in fauces, aut asperam arteriam, & pulmones irruat. Medicamen est pueris, mulieribus, & natura humidis competens. Mesues in initio phlegmones adstringentia iubet admisceri, vt rosam, & balaustium; in statu verò crocum, & myrrham: in declinatione denique nitrum, & ammoniacum, aut aliquid eiusdem profectò facultatis.

Rob de Chermes.

Rob ex Chermes ad serici tincturam in concoctione alchermes, syrupus de corticibus citri, & alia medicamenta expetitur, qui pauco saccharo iulepizatur, vt conseruetur. Calefacit, & adstringit. Sub amarum est, proinde desicat sine morsu exteriora vulnera, & intus ad cordis roborationem, exhilarandumque maximi momenti putatur ab Arabibus, Græci verò illud prorsus ignorant, & Manaldo ipsum negante, & refutante Commẽtarijs suis ad Mesue.

Rob è Prunis agrestibus.

Rob de agrestibus prunis siccatis, supplet vices acaciæ; refrigerat enim, siccat, & adstringit, & ad eadem valet, ad quæ illa vtimur.

Rob, seu Mel passulatum.

Rob istud, quod passularum appellant, fit ex infusione, & maceratione passularum in aqua calida per horas vigintiquatuor, deinde hac coctione facta, & colo expressa, rursum in mellis consistentiam cocta, mel passulatum dicitur à consistentia, & coloris similitudine: ad eadem valet, ad quæ passulæ adhibentur.

Rob Cydoniorum , seu Hydromaton.

Liquidum seruari solet, ventriculum, & alia instrumenta nutritioni seruientia corroborat, coctiones iuuat, appetentiã excitat, vomitum, & biliosas excretiones compescit. Huiusmodi Miua à Robub dictis nihil differre videtur, nisi dicamus, id esse propter succorum diuersitatem, cùm Rob ex herbarum succis, Miua verò ex fructuum succis paratur, sed eorum parandi ratio vna, & eadem, est vt diximus superiùs in tractatu de syrupis alterantibus.

DE PILVLIS, SEV CATAPOTIIS.

CAPVT. XI.

Pilularum tractationem post electuaria vel ab operis initio in materiebus ordine disponendis afferre quidem censueram, verùm Aquarum, Decoctorum, Infusionum, Iulapiorum, & Rob, seu Robub, discussio huc vsque transmittendas ob assignatas eo loci rationes omninò coëgit. Illis igitur ex necessitate praecedentibus pilulæ, hoc est, solidorum purgantium examen subsequitur, quod huic capiti destinauimus. Seriùs quidem, dicet fortassis aliquispiam, quàm polliciti fueramus: sed aptè fit satis, quòd opportuno admodum loco de ijs agere distulerimus. Quibus ad excusationem nostram adiectis, remque propriùs contrectantes dicimus pilulas ab Graecis scriptoribus καταποτια appellari consueuisse, quemadmodum Alexander Trallianus testatum reliquit apertissimè libro vndecimo capitulo quarto, nec non & Aetius libro decimo cap. 36.

Pilulæ reformandæ sunt in globulos quosdam erui magnitudinem imitantes, atque eo comprehenduntur nomine ob paruę pilæ similitudinem. Componuntur autem ex omni aridorum medicamentorum genere, quæ in subtilissimum pollinẽ sunt accomodata, vt aliquo pacto, vel etiam præparatione reducantur, quibus tritis, aut læuigatis massa quædam construitur, cui magdalionis appellatio fuit à veteribus indita; nam consistentiam, & vnionem accipit ab aliquo liquore, qui adhiberi, & vna cum pulueribus admisceri solet, vt massa configuretur. Finis ad hęc ob quem liquor adijci consueuit prędictæ massæ, est vt ea diutiùs conseruari possit, atque molliuscula habeatur; liquores ad id præstandum complures enumerantur in pilularum configuratione, cuiusmodi sunt mel rosatum solutiuum, syrupus rosatus solutiuus, mulsum, sapa, & similia.

Mercurialis vir doctissimus, & ingeniosissimus lib. de composit. medic. cap. de pilulis, quatuor proponit esse considerãda circa pilularum compositionem. Quæ omnia considerat afferens exemplum de pilulis alephanginis, circa quas primùm habet rationem Authoris, qui pilulas descripserit, seu composuerit: deinde quis fuerit Authoris finis in illis componendis: tertiò quæ sint ingredientia: denique qua arte sint conficiendæ.

Et primò, quod ad Authorem spectat; scribit pilularum alephanginarum fuisse quendam Lamponem Pelusiotam Galeno referente 8. de medicam. local. cap. 2. & libr. 2. eiusdem cap. 3. sed quia parum refert, si constet nobis, nec ne de verò Authore cuiusuis medicamenti, ea propter relicta inuestigatione illius, statim properandum est ad secundum caput nempe ad finem, propter quem ipse has pilulas descripserit; hunc habemus apud Galenum 5. de medicam. secundùm genera, vt scilicet inseruire valeat ad plurimos vsus. Quod attinet ad tertium ex allatis capitibus tria ãte cętera occurrũt

circa

circa decoctum faciendum, quæ omnia pulchrè à Mercuriali describuntur cap. 19. de compos. medic. Quod attinet ad vsum propositum pilularum, multiplex est; nam non solùm factæ sunt pilulæ, vt purgentur humores in corpore praui existentes, & vt diu morentur in ventriculo, quò faciliùs ab ambitu corporis ad ventriculum humores trahere possint, verùm etiam propter alios vsus; nam, & gratia alterãdi factæ sunt, nempe adstringendi, aperiendi, abstergendi, vrinas, & menstrua mouendi, calculos comminuendi, dolorem mitigandi, venerem excitandi, resistendique venenis.

Pilulæ ex bdellio.

℞. Bdellij vnc. j. & semis.
Myrobal. chebul.
Indarum,
Belliricarum,
Emblicarum,
Concharum venerearum vstarum,
Charabæ ana drach. ij. & semis.
Ammi drach. iij.
Succi porri quantum sufficit, excipiantur.
Huiusmodi pilulæ describuntur à Mesue ad fluxum hæmorrhoidum, & vlcerũ in eis, & ad menses immodicos.

Pilulæ ad defluxiones tenues in articulos, & vlcera pulmonum.

℞. Tragacanthæ,
Gummi arabici ana drach. j.
Amyli drach. semis.
Cort. thuris,
Styracis ana scrup. j.
Myrrhæ,
Succi glycyrrhizæ ana scrup. j.
Opij scrup. j.
Sapa excipiantur, formenturque pilulæ numero decem, quæ pendeant drachmã vnam, ex his duæ, vel tres longissimè à cibo ijs, qui dormituri sunt, exhibentur.

Pilulæ ad fluorem, & raucitatem arteriæ Andernaci:

℞. Glycyrrhizæ purgatæ, & lotæ vnc. sem.
Tragacanthæ drach. iij.
Croci drach. j.
Gummi arabici,
Resinæ,
Terebinthinæ ana drach. ij.
Pulpæ passularum exemptis acinis vnc. semis.
Gummi, & tragacantha in vino Cretico, vel potiùs in vino Syracusano vno die, & nocte macerentur, postridie in mortario mundo pila contundantur, inde glycyrrhiza, & crocus contrita adijciantur, postremò terebinthina, & pulpa vuarum addatur, fiantque pilulæ ad fabæ nostratis magnitudinem, teneanturque sub lingua, donec resoluatur in liquorem, hic est modus eas conficiendi, & earum rectus vsus.

Pilulæ hypoglotides Andernaci.

℞. Acaciæ vnc. semis.
Hypocistidis,
Terræ sigillatæ,
Boli armeni ana drach. j.
Rosarum,
Spongiæ,
Spinæ albæ radicis,
Rad. bistortæ ana drach. ij.
Amyli drach. iij.
Ex syrupo rosſ. siccarum, aut myrtillorum, fiat pilularum massa.

Pilulæ bechicæ Rhasis.

℞. Amyli,
Tragacanthæ,
Amygdal. purgat.
Capitum papaueris,
Gummi arabici,
Boli armeniæ ana vnc. ij.
Mucilaginis psylij, quantum sufficit, fiant pilulæ.

Pilulæ bechicæ.

℞. Succi glycyrrhizæ,
Sacchari albi ana vnc. x.
Amyli,
Tragacanthæ,
Amygd. dulc. ana vnc. vj.
Mucilaginis seminum cydoniorum quantum sufficit, tere, fiant pilulæ. Ad tussim

veterem, & ſiccam, gutturiſque, & faucium aſperitatem pollent.

Pilulæ bechicæ albæ magiſtr.

℞. Sacchari cand.
Amyli ana vnc. vj.
Penidiarum vnc. iij.
Tragacanthæ vnc. ij.
Diſſoluatur Tragacantha in aqua roſ. per diem, & fiant pilulæ.

Pilulæ emplaſticæ ex Galeno.

℞. Gummi,
Tragacanthæ ana vnc. ſemis.
Succi glycyrrhyzæ vnc. j.
Sapæ quantum ſufficit, fiant pilulæ

Pilulæ bechicæ cum therebint.

℞. Piperis,
Caſſiæ,
Cinnamomi ana drach. ij.
Galbani
Terebinthinæ ana drach. j.
Mellis deſpumati quantum ſufficit, fiant pilulæ.

Aliæ pilulæ bechicæ.

℞. Pinearum,
Nucleorum,
Amygd. amar. ana vnc. j. & ſemis.
Glycyrrhizæ drach. vj.
Succi glycyrrhizæ vnc. iiij.
Cum aqua roſ. fiat maſſa.
Aduerſus tuſſim veterem valent, & aduerſus faucium aſperitatem.

Pilulæ aperientes, ad iecoris primùm obſtructionem.

℞. Trochiſc. de abſynthio drach. j.
Succi apij, vel ſyr. bizantini quantum ſufficit, formentur pilulæ paruæ numero x. pro vna drachma. Dentur mane ſuperbibendo parum vini albi, modicè diluti ad vnc. tres, vel aquę graminis, aſparagi, endiuię, capillorum veneris, quę loco vini offerri poſſunt, ad vncias tres, aut quatuor.

Pilulæ ad lienem obſtructum.

℞. Trochiſcorum de capparibus, vel trochiſcorum de myrrha drach. j.
Cum ſyrupo acetoſo, vel oxymelite, formentur pillulę num. x. pro vna drach. deinde ſuperbibat aquę graminis, & portulacæ ana vncias duas, cum modico ſyr. acetoſi, vel oxymelitis.
Habetis has pilulas à Rondoletio in ſua praxi referente Vuechero loco præcitato.

Pilulæ abſtergentes ad renum, & veſicæ vlcera.

℞. Tragacanthæ leuiter aſſatę,
Gummi arabici parum vſti,
Coralli rubri,
Sanguinis draconis,
Boli armeniæ ana drach. ſemis.
Maſtiches,
Lapidis iudaici ana ſcrup. j.
Sem. melonum,
Sem. alkekengi ana ſcrup. ij.
Cum ſucco caudę equinę, vel narciſſi, formetur maſſa pilularum. Quod ſi vlcus magnum faciat dolorem ratione caliditatis, addatur ſeminis papaueris, vel opij pauca quantitas.

Pilulæ vrinas, & menſtrua mouentes.

℞. Succi abſynthij ſiccati drach. ij.
Spicę nardi,
Iunci odorati ana drach. ſemis.
Seminum apij,
Petroſelini ana ſcrup. j.
Trochiſcorum ex rhabarbaro drach. j.
Cum ſyrupo endiuiæ formentur pilulæ paruæ.

Pilulæ ad matricem.

℞. Doronici,
Zedoarię,
Nucis moſcathę,
Caſtorij ana drach. j.
Sem. apij,
Anethi,

Margarit. ana scrup. iiij.
Hyoscyami grana tria.
Fiant pilulę cum aquę arthemisię, quantum sufficit.
Eliciunt menses ex Auicenna.

Pilulæ comminuentes lapidem in renibus, & vesica contentum.

℞. Pilularum ad vrinam præscriptarum drach. semis.
Ochrę,
Sem. paliuri ana drach. j.
Cineris scorpionum scrup. j.
Cum oxymelite, vel succo limonum fiant pilulę, superbibendo aquæ graminis, asparagi, vel saxifragię vnc. iij.

Pilulæ dolorem mitigantes.

℞. Opij scrup. j.
Styracis,
Croci,
Myrrhę ana scrup. semis.
Cum vino maluatico formentur pilulę, & cum pistillo calido in mortario calido diu permisceantur.
Huiusmodi pilulæ acceptę, remouent dolorem è renibus à quacumque causa enatum.

Pilulæ ad dolorem colicum.

℞. Spec. arom. ros. drach. ij.
Spec. diagalangæ drach. ij.
Castorij drach. semis.
Euphorbij grana decem,
Opij diligentissimè contusi cum pistillo ferreo calido, & in vino maluatico dissoluti scrup. j. & semis.
Piperis,
Croci,
Myrrhæ ana scrup. semis.
Formentur pilulæ decem pro drach. & ipsarum capiat quatuor, vel quinque, & si dolor non sedetur, addantur nouem, aut decem.

Pilulæ anodinæ.

Proponuntur ad eandem intentionem pilulæ quædam, quæ dicuntur anodinæ ad hunc modum compositæ.
℞. Piperis indici in aceto macerati per noctem, & puluerizati drach. j.
Croci scrup. ij.
Myrrhę scrup. j.
Opij Thebaici cum pistillo ferreo calido tusi, dissolutiq; in vino generoso dr. ij.
Moschi grana tria.
Misce, & fiant pilulæ ad quantitatem ciceris, aut minores, & concedũtur tres, vel quinque ad summum, ante somnum cum vino albo Augustano: colicos dolores mitigat, & somnum inducit.

Pilulæ opiatæ.

Sunt modò ad eandem intentionem pilulę opiatæ, quę fiunt ad hunc modum.
℞. Opij minutim incisi drach. ij.
Mumiæ grana tria.
Succi rad. alterci (dum adhuc est succulenta) collectæ, purgatæ que drach. sem.
Hęc simul mixta recondantur in vitro, macerenturque ad solem, vel in loco calido per dies quatuordecim, postea adde Spec. diambræ vnc. j. & semis.
Sed huiusmodi pilulę licet, sint longę, & difficillimæ pr paratonis, sunt tamen efficaces in dolore sedando: parantur ad hunc modum cum vini ardẽtis quinquies correcti lib. j. vase optimè clauso cõditur, & in loco calido, siue in sole stare per dies octo, vel decem sinitur, ita vt singulis diebus ter, vel quater agitetur. Huius vini rubicundissimi per inclinationem à cõfectione separati modicum super opium præparatum funditur, & in pulticulã redigitur, idque per triduum iterum in sole, alioue loco calido, vase diligenter clauso digeritur, atque hic labor ter reiterari debet. Tandem medicamentum exiccari permittendum est, donec indurescat. Hoc in puluerem super lapidem conterito, vino subinde adiecto, dum pultis crassitudo sit, cui adde
Coralli rubri,
Succini flaui præparati ana scrup. j.
Vnicorni gran. iiij.
Moschi optimi, vel ol. ex moscho, vel ex ambra gran. iij.
Croci orientalis scrup. j.
Subiguntur, iunguntur que, & formantur pi-

tur pilulæ minutissimæ, quarum singulæ non excedunt pondus granorum trium, aut quatuor. Ex his noctu dormituro, vel mane decumbenti in lecto vna detur cum vino.

Hoc medicamentũ volui hoc loco apponere, quòd à Paracelso fuerit inuentum, & ab Andernaco suo condiscipulo multoties probatum, si & Paracelso, & Andernaco fides adhibenda veniat.

Dolores omnes, præsertim capitis sedat, humorumque defluxiones in partes inferiores prohibet, somnũ accersit, tussi medetur, pectoris, pulmonumque vitijs auxiliatur, sanguinis reiectionem sistit, vesicæ cruciatus mitigat.

Pilulæ ex opio magistrales.

℞. Opij,
Croci,
Cassiæ ana vnc. semis.
Vini albi quantum sufficit, misce.
Faciunt ad tussim, & tenues fluxiones inspissant.

Habentur huiusmodi pilulæ in Antidotario Florentino.

Pilulæ ex cynoglosso.

Huiusmodi pilulæ habentur descriptæ à Nicolao referente Vuechero in suo Magno Antidotario.

℞. Cynoglossi,
Opij,
Sem. hyoscyami ana vnc. semis.
Myrrhæ drach. vj.
Thuris drach. v.
Garyophyllorum,
Cinnamomi,
Styracis calamitæ ana drach. ij.
Aquæ rosaceę quantum sufficit, fingatur massa, quę seruari potest per duos annos, vel tres.

Sistunt tenues defluxiones, & dolores mitigant; dosis est à scrupulo vno ad drachmam vnam.

Pilulæ de arnoglosso, seu de plantagine magistrales.

℞. Myrrhæ,
Thuris,
Succi glycyrrhizæ ana drach. j.
Cum succo plantaginis quantum sufficit, fiat massa, ex qua fieri possunt pilulę ad libitum.

Eandemque cum superioribus facultatem habent.

Pilulæ de styrace.

℞. Styracis liquidæ,
Thuris,
Myrrhæ,
Succi glycyrrhizæ,
Opij ana drach. j.
Fiat massa.

Ad eadem sunt efficaces, & describuntur à Mesue.

Pilulæ de styrace Galeni.

Sunt modò, & alię pilulę de styrace à Galeno descriptę, quæ faciunt ad tussim recentem, ad hæmoptoicos, dolorem leuant, & somnum inducunt.

Fiunt ad hunc modum.

℞. Styracis drach. viiij.
Opij,
Myrrhæ ana vnc. semis.
Sapæ quantum sufficit, fiat massa.

Pilulæ harmonicæ.

Sunt aliæ pilulæ harmonicæ dictæ, ad destillationes, & insuperabilem defluxum valde vtiles, quas Galenus ipsemet descripsit ad hunc modum.

℞. Styracis,
Castorij,
Piperis,
Cardamomi ana drach. iij.
Opij,
Myrrhæ,
Sem. hyoscyami ana vnc. semis.
Sapæ quantum sufficit, fiat massa.

Pilulæ Scribonij.

℞. Sagapeni,
Myrrhæ ana drach. ij.
Opij,
Cardamomi,

Casto-

Castorij ana vnc. semis.
Piperis albi scrup. j. & semis.
Sapæ quantum sufficit, fiat massa exiccetur, & papyro ceræ liquatæ intincta seruetur ad annos tres.
Dosis àscrupulo vno ad drach. j.

Phthisicis, sanguinem reiectantibus, suppuratis, educunt pelliculas, & repurgant sufficienter, Galeno adscriptæ sunt.

Sunt modò aliæ pilulæ, quæ dicuntur excitare venerem, aliæ verò, quæ veneno resistunt, quas adducere volui, vt ostendam pilulas non solùm factas esse gratia purgationir, sed etiam in alios vsus, vti ex his, quæ allatæ sunt vnusquisque facilè intueri poterit. Si quispiam hæc omnia videre cupit, recurrat ad Antidotarium speciale Vuecheri, nostrum modò est afferre exemplaria pilularum nostrum corpus repurgantium; nam iam vidimus pilulas esse globulos quosdam exiguos ęmulantes paruas pilas, quocirca operæ pretium est vt eas in medium afferamus, quæ corpus expurgant, sed videamus primùm, ex quibus rebus constet, & qua ratione, & methodo componantur, tertio quis sit eorum rectus vsus, seu recta administratio.

Ad primum pilularum varia est compositio; nam ex varijs speciebus componuntur pro diuersitate affectuum; constant enim ex pulueribus simplicium purgantium modò benigniorum, vt aloes, rhabarbari, agarici, turbit, modò fortiorum, vt scammonij, colcynthidis, helleboris, lapidis lazuli, aut lapidis armeni, modò ex miscella horum omnium, ijs semper additis, quæ vel basim ipsarum iuuant, vel etiam ipsam corrigunt. Omnes pilulæ videntur aloem recipere, vt massa ipsarum meliùs conficiatur, fermẽtetur, & diù seruari possit integris viribus; dicunt enim aliqui id pilulis præstare aloen, quod in cadaueribus, quæ à corruptionem præcauet. Ad hæc videtur id præstare aloe ipsi ventriculo, quod faciunt corroborantia medicamenta; ne enim obsint medicamenta ipsi ventriculo multum pręstat aloe, cum id ipsum valde roboret.

Aloe in pilulis vel apponitur lota, vel illota, primo modo adhibentur quando magis roborare studemus, illota verò quando magis purgare cupimus. Sed cùm omnes ferè pilulę, vt dictum est, recipiant in sui compositionem aloem, quę suapte natura est facultatis exiccatorię insignis, & venas aperiat, gracilibus temperie calidis, & siccis obesse solet quàm maximè, aut saltem magis nocet, quam prodesse queat.

Medici, qui praxim quotidianam exercent pilularum tres in quantitate differentias faciunt, nam alias in maiorem formam effingunt, vt capitales, & arthriticas, scilicet vt diutius, in ventriculo moram trahant, hincque validiùs humorem elicere queant, alias verò in minimam formam componunt, pro ventriculo, & vicinis partibus, vt scilicet otius in ventriculo dissoluantur permutenturque, & huiusmodi pilulę ad roborandum magis, quàm ad purgandum ordinantur. Alię mediocri quantitate formantur, quales ad affectus secundæ regionis in corpore faciunt, varijs tã dem tum liquoribus, tum syrupis, iulapijsue in pilularum massa redigitur, pro vario Medici scopo, nam si velit Medicus diuturnam earum moram in ventriculo, vt à longinquis partibus trahant, tunc pilulæ cum stillatitio aliquo liquore, aut vino albo reformantur, ita enim & duriores fiunt, & tardiùs in ventriculo soluuntur; è contra verò si Medicus desideret paruam moram in ventriculo; & citam earum operationem, tunc cum aliquo s rupo, aut iulapio sunt reformandę, vt faciliùs resoluantur, atque citiùs operentur.

Hoc tamen obseruandum est; etenim si massa pilularum, quæ componitur, diu seruanda sit, non est cum aqua, aut succo efformanda, quia citò exiccaretur, & situm, seu corruptionem contraheret, nec vires simplicium ab huiusmodi succis, aut aqua cohiberẽtur, sed serapijs actionem ipsarum iuuantibus, aut glutinoso, vel iucundo humore formari debet, sed quia fieri minimè potest, quin in pilularum deglutione insuauitatem, & amaritudinem persentiant ægri, artificium est pilulas contegere, vel auro foliato, vel pane azimo, vel vino, in quo nebulæ immersæ

ſint, aut aliquo alio humore madidæ inuoluantur. Aliquando eaſdem pulueribus inſpergunt affectui, aut parti affectę facientibus, vt eſt puluis cinnamomi, nucis moſchatæ, in affectibus potiſſimùm capitis, & ventriculi: in oculorum verò affectibus fœniculi, in pectoris paſſionibus glycyrrhizæ, & hæc quo ad modum.

Quod verò ad doſim ſpectat, non vna reuera definita eſt meta, ſed pro ingredientium medicamentorum efficacia; nam pilulæ purgantes benignæ, vt ſunt ſabelliæ, aſſairet, alephanginæ, de aloe lota, & de hiera ſimplici à drachma vna ad drachmas duas, & tres etiam tutò exhiberi poſsunt: mediocres verò, vt ſunt cochiæ, arabicæ, aureæ, aggregatiuæ, de hermodactylis, de agarico, & huiuſmodi, ad drach. vnam, vel ad ſcrupulos quatuor ſolent vt plurimùm exhiberi. In hoc tamen Regno Siciliæ, & præſertim Meſſanæ, vbi medicinam facimus, ſi ad drachmam vnam, aut ad ſcrupulos quatuor exhibeamus, nihil prorſus efficient, quare minor doſis ipſarum eſt ad drachmas duas, & aliquando plus, & niſi eis addatur aliquod apozema ſolutiuum, vt ſyrupus roſatus ſolutiuus ad vnc. vj. vel quatuor, vix aliquid boni efficere poterunt, quare non in omnibus locis eadem doſis, mea opinione, concedenda eſt, ſed pro diuerſitate aeris, regionis, anni temporis, morbi, & alijs circumſtantijs rectè, & vt decet, perſpectis. Fortes verò, vt de euphorbio, de mezerio, de elaterio, de nitro, de lapide lazuli, à ſcrupulo vno ad drachmam vnam, quamuis etiam in huiuſmodi pilulis non poteſt ſemper obſeruari eadem doſis.

Sunt modò, & aliquæ pilulæ, quas Bertaldus chimicas appellat, quarum doſis eſt à ſcrupulo vno, ad ſcrupulum vnum, & ſemis, quę paulò ante cibum, vel poſt ſumuntur, & pilulæ ſine cuſtodia dicuntur, ſiue dentur ad drachmam ſemis tantùm, vel ad ſcrupulos duos.

Alterantium pilularum doſis communiter eſt ad drachmam vnam, opiatarum ad ſcrupulum vnum, quamuis vbi Medici velint pilularum acuere vim, quod eſt dictu vigorare, ſolent addere calcar, hoc eſt ſolutiuum aliquod, vt eſt diagridium, vel trochiſci alhandal pro humoris purgandi ratione, aliquando etiam alia electuaria miſcent, vt eſt diaphœnicon, electuarium indum tum maius, tum minus, electuarium de ſucco roſarum: aliquando etiam addunt trochiſcos de rhabarbaro, & de agarico pro varia Medici intentione, purgandorumque humorum conditione.

Quod attinet ad tempus pilularum exhibendarum, non omnibus idem eſt tēpus; nam aliqui exiſtimant matutinum tēpus cęteris opportunius eſſe, quemadmodum, & aliorum purgantium medicamentorum. Auicennas in euacuando capite poſt paruam cœnam, duabus exacti horis, offert, vt vapores ciborum cum medicamento ad caput efferantur, non tamen ab omnibus recepta eſt eiuſmodi opinio, quandoquidem aliqui ſunt, qui tria tempora conſiderantes, dicunt quòd ſi pilulę ſint fortes circa mediam noctem, aut quatuor horis ante lucem exhibenr, ſi mediocres in aurora prohibendo ſomnum, ſi verò debiles ſint, & quæ magis roborandi, quàm purgandi facultatem habeant, in lecti ingreſſu, ſeu paulò ante cœnam; ita enim dicunt pilulas comprimi à cibis, & virtutē earum ad inferiores partes tantùm tranſire, quare accommodant purgationes his partibus.

In hac difficultate dilucidanda, vnum hoc tamquam Hippocraticum, & ab omnibus Medicis admiſſum proponam, vt cō cocta ea ſint, quæ purgari debent, quando enim humores peccantes in corpore exiſtentes, & à natura euicti, & ſuperati ſunt, tunc natura extra pellere eos tentat, ſiue fuerit adiuta ab arte, ſiue non, qua propter, quando medicamentum humorem peccantem trahit, & natura eundem impellit, tunc fit vera purgatio, & ars, & natura ſimul concurrunt. Quando igitur ventriculus eſt vacuus, indicium eſt ipſum iam concoxiſſe alimentum, omneſque reliquias ipſius alimenti extra pulſas fuiſſe, quando igitur in hoc ſtatu reperitur ventriculus, & opus ſit purgatione, tempus magis idoneum illud eſſe videtur, dummodo indicans purgandi adſit præſens, & permittens rectè ſe habeat; tunc enim temporis pilulæ deglutitæ reſpicientes hu-

tes humorem peccantem, ipsum sine difficultate trahunt, & absque vllo impedimento, vnde Paulus libr. 7. cap. 6. & Gal. 2. acut. 16. scribunt nunquam esse medicamentum propinandum cibo adhuc existente in ventriculo; nam vbi adest alimentum in ventriculo, vel vis medicamenti ab alimento obtunditur, vel ipsum alimētū coinquinatur, & corrūpitur, quia medicamentū, & alimentum toto genere sibi cōtraria sunt, quare tēpus magis idoneū offerendi pilulas purgatiuas est, quādo vētriculus omninò est ieiunus, & sine alimento. Qui vult hanc quæstionē solutam habere, legat Leonardum Fuchsium.

Quod attinet ad Auicennam, & eos, qui existimant esse pilulas offerendas post cęnam per duas horas, puto ipsum intelligendum esse de pululis magis roborantibus, quàm purgantibus, quæ simul cum cibo absque noxa admisceri possunt, iuxta Hippocratis sententiam libr. de alimēto, vbi scribit, medicamentum in alimento, & alimentum in medicamento optimum esse, loquens hoc in loco non de purgantibus, sed alterantibus, quemadmodū sunt medicamenta corroborantia.

Nec præterea possum laudare eos, qui pilulas exhibent ante cœnam, deinde iubent, vt post duas horas alimentum super inijciatur, nisi velimus intelligere de pilulis iam dictis, quæ vt plurimùm in se ipsis recipiunt aloem, quę cum amarescat, & validè quidem, vix credi potest ipsam sine noxa posse admisceri alimentis. Pilulæ verò reliquæ alterantes, de quibus supra egimus, possunt assumi diuersis horis, & diuersis temporibus, facta nempè vniuersali corporis euacuatione, siue per purgationem, siue sanguinis missionem. Quare tempus offerendi pilulas purgatorias illud esse existimo, quod supradictum est: hæc de tempore.

Quod attinet ad vbi, cōmuniter per os assumuntur, quandoque etiā per clysteres immittuntur, quemadmodum sæpè contingit in vehementibus doloribus ortum ducentibus à materia crassa, & lenta, tales autem pilulæ aggregatiuæ sunt, & vehementiores, & aliquando de euphorbio, de mezereo etiam: sæpe visum est mihi in huiusmodi vehementissimis doloribus, vt vterer hisce pilulis in puluere redactis, & a lijs rebus pro clystere præparatis admixtis. Dosis ipsarum, si per partes infernas inijciuntur, est semper duplicata, quare si drach. j. per os concedimus, possumus per clysterē inijcere ij. dr. & eo etiā plus, pro doloris vehemētia, & pro copia humoris crassioris, & lenti: & hæc de vsu pilularū.

Inter alias pilulas à Mesue enumerantur illæ pilulæ, quæ alephanginæ dicuntur, idest de aromatibus. Has pilulas considerat Mercurialis, & earum exemplo demonstrat modum pilulas conficiendi, simulque ostendit, quas differentias habeant illæ, quæ à Lampone Medico doctissimo, & illæ, quæ à Mesue Medicorū practicatiū Principe describuntur. Quæ omnia, qui vult videre, potest recurrere ad ipsum Mercurialem libr. & cap. iam dicto; sat enim mihi est omnium pilularum, quę in communi sunt vsu descriptionē afferre exorsus ab ijs, quæ humores biliosos extra corpus educunt, inter quas occurrunt istę, quę alephanginę dicuntur.

Pilulæ alephanginæ Mes. idest de aromat.

℞. Cinnamomi vnc. ij.
Cubebe,
Ligni aloes,
Calami aromatici,
Macis,
Nucis moschatæ,
Cardamomi,
Caryophyllorum,
Assari,
Mastiches,
Schœnanti,
Spicæ,
Carpobalsami ana vnc. j.
Absynthij sicci,
Rosſ. ana drach. v.
Terantur parum, & decoquātur in lib. xij. aquę ad duarū partiū consumptionē; fricētur tūc manibus, colentur, & exprimātur.
Accipe aloes bonæ libr. j.
Laua sæpè in scutella lapidea vitreata cū aqua pluuiali, siccetur, ipsi affunde decocti prædicti circiter libras duas. Tere in sole, dein ipsi aloe misce.
1 Myrrhæ, 2 Mastiches ana drach. v.
Croci drach. iij.
Tere diligenter, prædicti decocti reliquum ipsis affunde. Tere denuò, & antequam siccentur, fingatur massa, & æstate poti-

us fiat, quàm alia parte anni.

Hoc loci multi admirantur, cur Mesues iubeat incoqui aromata, cum ipsorum virtutes facillimè in coctione euanescant, nequè aliquod decoctum, quod fiat ex his, seu ius colatũ quod sapiat aromata incocta. Inquit Bertaldus nullũ hactenus ausum fuisse hunc Mesuei ordinem peruertere ob ipsius magnam autoritatẽ, additque aliquos esse, qui aromata diuidentes alteram portionem coquant, alteram verò cum aloe misceant puluerizatam, & exiccatam, vt massam pilularum parent. Ipse verò docet modum, quem obseruare solebat in massa hac pilularum paranda, nos enim inquit sumimus aquæ melissæ, & absynthij ana libras tres, in quibus aromata incisa, & contusa maceramus, in tepenti balneo per horas vigintiquatuor, demum percolato iuri addimus aloem lotam puluerizatam, in balneo rursum collocamus, donec in mellis crassitiẽ deueniant, demũ addo pulueres mastiches, myrrhæ, & croci, sicque redditur massa satis efficax suas vires probè reseruãs. Hic est modus quidem singularis, qui mihi magis probatur, quàm diuidere aromata: idem modus à Valerio Cordo proponitur, & à pharmacopœa Augustana, ac etiam à Prospero Burgarutio.

Alio modo pilulæ huiusmodi alephanginæ describuntur à Ioanne Renodæo lib. 2. Antidotarij cap. 6. ad hunc modum.

℞. Cinnamomi, 2 Garyophyll.
3 Cardamomi, 4 Nucis mosch.
5 Macis, 6 Calami arom.
7 Galangæ, 8 Sandali citrin.
9 Schœnanthi, 10 Ros. ana vnc. semis.

Hęc crassiusculè trita macerẽtur per 12. horas in aquæ libr. iiij. deinde igni lento bulliãt ad tertiæ partis absumptionem, in colatura nutriatur aloes lib. j. tũ absumpta aquea humiditate super cineres calidos, aut in sole, vel in hypocausto adde

1 Myrrhæ, 2 Mastiches ana vnc. semis.
Croci drach. ij.
Syr. de absynthio quod sufficit, fiat massa.

Huiusmodi pilulæ sunt minoris sumptus, & paratu faciliores, & etiam præstantiores docente ipso Renodæo, quibus si parum opobalsami, vel liquoris balsami, quis voluerit permiscere, nũquã inquit pilulas roborãdo stomacho inuenies pares.

Facultates ipsarum sunt roborare partes neruosas, humores crassos, putridos biliososque è ventriculo, & partibus vicinis purgare, & easdem recreare: calorem natiuum tuentur, coctionem iuuant, flatus discutiunt, cruditates tollunt, appetitum resarciunt: acido ructui, & colico dolori conferunt: senibus, & frigidis omni tempore conueniunt.

Ventriculũ, cerebrũ, & sensoria ab humoribus crassis putridis, & pituitosis purgant, & inde natũ dolorẽ dissipant, ventriculum roborant, coctionem eius iuuant. Dosis à drach. duabus, vsque ad tres. Ad triennium seruantur.

Sed quia proposuimus tractaturos primùm de pilulis purgantibus humores tenues, nempe biliosos, & inter omnes pilulas aliquæ sunt, quæ magis corroborãt, quã purgẽt, alię quę magis purgãt, quã roborant, & illę, quę magis corroborãt, alię sunt, quę solã recipiũt aloẽ, alię quæ, & aloem, & agaricũ, aliæ verò; quæ & aloẽ, & agaricũ, & rhabarb. accipiunt, postea, quę sennã, & istę sunt quæ purgãt simulq; corroborant, sed magis roborant, quę verò validè purgant, & minus roborant, turpetum, aut diagridium, aut colocynthidem aut etiam violentius aliquod catharticum admittunt, necessariũ mihi est, vt primò initiũ sumã ab illis, quę recipiũt aloẽ. Hũc ordinẽ seruat Renod. quẽ sũmè probo, & primò exorditur à pilulis stomachicis, deinde affert pilulas Rufi, tertiò mastichinas, quartò de tribus solutiuis, quintò pilulas Imper. Fer. sextò pilulas de eupatorio maiores, septimò pilulas sine quibus esse nolo, deinde sequitur enarratio pilul. que magis purgant, de quibus sigillatim.

Pilulæ stomachicæ.

℞. Aloes optimæ drach. vj.
1 Mastiches, 2 Rosarum ana drach. ij.

Huiusmodi pilulas appellat stomachicas, eo quod ante cibũ, vel quauis diei parte paulo ante pastũ tutò assumi possunt. Admonet has pilulas vsitatissimas esse, & quouis tẽpore parari posse, quæ tãquã regula omniũ stomachicarũ, debent in omnibus pharmacopoleis asseruari, sed in pauca quãtitate, adhoc vt sẽper recẽtes habeantur, namdiu asseruatę nimium exiccantur, earumque virtus hebescit, & admonet

massam

massam ipsarum debere aluta quadam, sed oleo paucissimo inuncta inuolui, deinde in vase stanneo, vel vitreo optime clauso reponi.

Pilulæ Rufi vulgò pestilentes, seu communes.

℞. Aloes optimæ vnc. ij.
Myrrhæ vnc. j.
Croci vnc. semis.

Pilulæ huiusmodi Ruso adscribuntur, & pestilentiales dicuntur, quòd videntur conuenire pesti; ratione enim aloes corpus ab excrementis liberatur quidem: à putredine verò vendicat myrrha: à croco cor, & facultates vitales recreantur. Sed quod pesti proficere queant, id videtur difficillimum creditu; nam pestis requirit medicamenta valentiora, magis cardiaca, & alexipharmaca ad sui curationem, vt ostensum fuit in meis Miscellancis.

Pilulæ mastichinæ.

℞. Mastiches vnc. semis.
Aloes drach. x.
Agarici drach. iij.
Conficiantur cum hydromelle vinoso.

Huiusmodi pilulæ inuentę sunt à Petro de Ebano, qui dictus est Conciliator. Pilulæ omnes, quæ mastichen accipiunt, à Mesue stomachicæ appellantur, quarum non ipse solùm varias descriptiones exhibet, sed etiam qui post ipsum fuerunt, & Antidotaria composuerunt, modò aloes, modò agarici, modò mastiches pondus augentes, vel minuentes, aut alia adijcientes pro varia ipsorum intentione. Admonet hoc loco Renodæus, quod si huic pilularum compositioni addatur modicum diamoschi, essent pilulæ de aloe lota iuxta vulgarem editionem.

In hac compositione debet assumi agaricum trochiscatum, teri, cum alijs admisceri, nempe cum aloe, & mastiche, atque cum hydromelite aptiùs, quàm cum vino componi.

Pulula de tribus solutiuis appellatis.

℞. Rhabarbari,
Aloes,
Agarici ana drach. vj.
Excipiantur cum syrupo solutiuo, & seruentur.

Humores biliosos, & crassos etiam à ventriculo, ab hepatis caua, & liene, & mesenterio purgant, stomachum roborant, & appetitum reuocant.

Pilulæ Imperiales Fernelij.

℞. Aloes optimæ vnc. ij.
Rhabarbari electi vnc. j. & semis.
Agarici trochiscati,
Fol. senæ mundatorum ana vnc. j.
Cinnamomi drach. iij.
Zingiberis drach. ij.
Nucis moschatæ,
Garyophyllorum,
Spicæ nardi,
Mastiches ana drach. j.

Cum syrupo violato subacta redigantur in massam.

Nicolaus Præpositus describit huiusmodi pilulas, quibus quia sunt minoris efficaciæ, etiamsi ingredientia sint plura, anteponuntur pilulę Fernelij, quę meritò Imperiales ab Authore fuerũt dictę, quòd agendi benignitate, & multiplici dote, præ cæteris egregium hunc titulum merentur.

Omnia viscera infarctu liberant, purgant, roborant, & humores quosuis noxios, & obuios educunt, omnibusque partibus nutritioni facientibus fauent.

Pilulæ de eupatorio maiores Mesuæ.

℞. Myrobal. citrinarum,
Succorum eupatorij,
Absynthij ana drach. iij.
Rhabarbari drach. iij. & semis.
Mastiches drach. j.
Croci drach. semis.
Aloes drach. v.
Syrupi de endiuia quantum sufficit, fiat massa.

Ioannes Renodæus notat hoc in loco pilularum de eupatorio à Mesue descriptarum, alias esse maiores, alias minores, quæ hoc loco describuntur ab ipso maiores vocantur, cùm minores non sint in v-

su, & hæ pilulæ, nempe maiores, cùm faciant ad icterum, & omnem iecoris obstructionem, in pharmacopolijs semper haberi deberẽt. Quod verò dicat hoc in loco has pilulas debere potiùs appellari de rhabarbaro, quia id præpollet in compositione, haud est verum; nam aloe cæteris omnibus magis præpollet, quandoquidem illius sunt drachmę quinque, rhabarbari verò drachmæ tres, & semis. In formandis huiusmodi pilulis reprehendit eos, qui secuti consilium Mesuæ pulueres excipiunt aqua endiuiæ, & cogunt in massam; nam succus eupatorij veri, aut agrimonij, aut absynthij per euaporationem (inquit) inspissari, debere exiccari, & postea puluerizari, deinde alijs simplicibus seorsim tritis commisceri, & tandem syrupo de endiuia, vel de cichorio in massam comprehendi.

Omnes superiùs allatæ pilulæ, quia possunt ad libitum fieri, meliùs est eas componere, vrgente necessitate, quàm in pharmacopolijs asseruare, cùm facilè exiccentur.

Pilulæ sine quibus esse noo Nicolai Præpositi.

℞. Aloes optimæ drach. xiiij.
Quinque genera myrobalanorum,
Rhabarbari,
Senæ,
Agarici trochiscati,
Mastiches,
Absynthij,
Cuscutæ,
Rosarum,
Violarum ana drach. j.
Diagridij drach. vj. & semis.
Mellis succo fœniculi expumati quantum sufficit, fiat massa secundùm artem.

Admonent nonnulli in recta administratione scammonium, seu diagridium, aloen, agaricũ, & mastichen, seorsim esse puluerizanda, reliqua verò partim seorsim, partim simul: non sunt tamen subigenda aqua, aut succo fœniculi, vt voluit Author, sed cum melle, eodem succo depurato, ad syrupi consistentiam, ne citiùs siccescant, aut marcescant. Et re vera longè præstantius, est ad ad massam pilularum conseruandã, & faciendam mel, quàm sint aqua, & succus fœniculi, quorum nullus habet viscositatem, quæ requiritur in magdaleone conficiendo, & conseruando. Huiusmodi pilulæ non modò bilem vtranque trahunt, sed & pituitam, præcipuè à capitè, oculis, & sensibus, proinde oculorum suffusiones minuunt, visum conseruant, aurium dolores, tinnitusque soluunt. Et istæ sunt primę pilulæ à Ioanne Renodæo allatæ, quæ recipiunt vehementia medicamenta soluentia, nempe diagridium.

Bertaldus scribit hic Nicolaum iubere solui scammonium, & cum eo parare massam pilularum, pro eiusdem tamen conseruatione, inquit, eum vti oleo communi, vel violato.

Pilulæ aureæ Nicolai Myrepsij.

℞. Aloes optimæ,
Diagridij ana drach. v.
Rosſ. rubr.
Sem. apij ana drach. ij. & semis.
Sem. anis.
Fœniculi ana drach j. & semis.
Pulpæ colocynthidis,
Croci,
Mastiches ana drach. j.
Cum gummi tragacanthi in aqua rosarum soluto, vel potiùs cum melle rosato concinnetur pasta consistentiæ legitimę.

Hoc in loco scribit Renodæus insultare Nicolaum Præpositum in Nicolaum Myrepsum harum pilularum Authorem, quòd diagridium in maiori quantitate, quàm conueniat, posuerit, sed tamen si rectè consideretur tota massa harum pilularum, videbimus quinque drachmas scammonij non esse exorbitantes, & eo faciliùs cognoscetur in dosi ipsarum propinanda; nam pro quauis drachma non exceditur dosis sex, aut septem granorũ, quæ non est dosis exorbitans, quare concludo huiusmodi quantitatem diagridij, non excedere limites compositionis huius medicamenti. Quod modò attinet ad compositionem, & conseruationem massę harum pilularum, alij proponunt gummi tragacanthi in aqua rosarum solutum; alij proponunt mel rosatum, vt inde consisten-

sistentiam decentem, tam pro componenda hac massa, quam pro conseruanda. Scribit Bertaldus in dispensatorium Ioannis Placotomi Mercurialem improbare infusum tragacanthi, quod ipse renuit hac ratione, quòd in hac compositione tragacanthum accipiatur ad correctionem colocynthidis. Verùm aliud est loqui de massæ pilularum omnium consistentia, & aliud est loqui de correctiuis, sermo nunc est de conseruanda massa, quam Mercurialis scribit meliùs conseruari melle, quàm tragacantho; quod etiam idem affirmat Renodæus, non negatur tamen, quia idem tragacanthum possit corrigere vehementiam colocynthidis, & in istis pilulis quemadmodum in superioribus apponuntur medicamenta valida.

Pilulæ de agarico.

℞. Agarici drach. iij.
Rad. ireos,
Prassij ana drach. j.
Turbith drach. v.
Hieræ picræ drach. iiij.
Colocynthidos,
Sarcocollæ ana drach. ij.
Myrrhæ drach. j.
Misce cum sapa, & fiat massa, vt artis est.

Huiusmodi pilulæ adscribuntur Auicennæ, cùm tamen à Mesue ad verbum descriptę sint.

Huiusmodi pilulæ recipiunt quidem vehemens medicamentum, nempe colocynthidẽ, & in pauca dosi, nempe ad drachmas duas, quare Renodæus non videtur seruare ordinem, quem proposuit, nẽpè se primùm tractaturum de pilulis debilioribus, deinde ad vehementiores venturum, sed cum iam pilulas sine quibus, & pilulas aureas descripserit, quæ in se recipiunt vehementia medicamenta, nempe diagridium, & colocynthidem, addendo modò hasce pilulas de agarico, in quibus vehementia medicamenta non adsunt, non videtur sequi propositum consilium. Sed quidquid sit de hoc ordine, scribit pituitam vndique educere, & potẽter quidẽ conferre capiti, & thoraci, proinde comati, catarrho, vertigini, & similibus affectibus ab humore frigido ortis, & maximè asthmati, ad cuius inuentionem ab Auicenna, & inuentę, & descriptæ sunt capite 40. libr. 3.

In huiusmodi compositione agaricum debet esse trochiscatum, & pro colocynthide sumendi sunt trochisci alhandal.

Puto has pilulas debiles admodum esse, & proinde vt meliores sint probarem consilium Bertaldi, vt scilicet dosis agarici augeretur, quemadmodum, & colocynthidos dosis augenda esset, agarici quidem ad vnciam semis, trochiscorum verò alhandal ad drachmas tres.

Dosis esse posset, si reformentur ea, qua dictum est, ratione à drachma vna ad drachmas duas, & semis, si solę adsumantur. Veniamus ad alias pilulas, nempe ad cochias, quæ à Renodæo ita descriptæ sunt.

Pilulæ cochiæ ex Rhasi.

℞. Pul. hieræ simplicis drach. x.
Colocynthidos drach. iij. & scrup. j.
Diagridij drach. ij. & semis.
Turpethi,
Stœchados ana drach. v.
Cum syrupo de stœchade fiat massa.

Huiusmodi pilulæ habentur à Rhasi 9. ad Almans. Renodæus scriptum reliquit, quod illi, qui supra modum purgant, indicarunt ratione diagridij maiore pondere commixti, quod tamen ipse renuit dicens, in officinis debere seruari blanda medicamenta pro delicatis, validiora pro robustis, & agrestibus viris, proinde censet has pilulas esse parandas iuxta Rhasis sententiam. Addit, quod possunt dari in maiori qnantitate, maior pro robustis, & minor pro debilibus, & pro mediocribus mediocris quãtitas, sed melius est huiusmodi medicamenta, quæ valida dicuntur esse in pauca mole, & magnæ virtutis, proinde ipsæ pilulæ parandæ sunt, non modò cum maiori dosi diagridij, verùm etiam cum helleboro præparatæ asseruari deberent in officinis. Soleo ego pręparare has pilulas simul cum helleboro, pro ijs præsertim, qui sunt habitus melancholici, qui dolorem capitis antiquatum habent, & præsertim si luis aliqua sit suspicio, & cùm isti faciliùs assu-

munt,

munt, vt dicebam medicamenta paruæ molis, & multæ virtutis, ideò accipio aliquot harum pilularum.

℞. Pilularum cochiarum,
Hellebori preparati, vt suo loco dicemus, ana scrup. j. aut ad summum drachmas semis.

Et conficio pilulas duas, aut tres ad summum, quæ adeò egregiè purgant, vt non sit optandum aliud medicamentum.

Pilulæ de hermodactylis minores Mesuæ.

℞. Hermodactylorum,
Aloes,
Myrobalan. citrin
Turbith,
Colocynthidos,
Bdellij,
Sagapeni ana drach. vj.
Castorei,
Sarcocollæ,
Euphorbij,
Opopanacis,
Sem. rutæ agrestis, vel hortensis,
Sem. apij ana drach. iij.
Croci drach. j. & semis.
Cum succo caulium fiat massa.

Pilulæ aggregatiuæ, seu polychrestæ Mesuæ.

℞. Aloes,
Turbith ana drach. vj.
Diagridij drach. v.
Rhabarb.
Myrobal. flau. ana drach. iiij.
Agarici albissimi,
Trochiscorum alhandal.
Polypodij,
Myrabolanorum chepul.
Myrobal. ind. ana drach. ij.
Mastiches,
Rosi.
Epithymi,
Sem. anisi,
Zingyberis,
Salis gemmei ana drach. j.
Succorum eupatorij,
Absynthij ana drach. ij.
Cum syr. rosi. pallidarum fiat massa ad vsus seruanda.

Huiusmodi pilulæ apud Mesuem sunt in duplici differentia, aliæ quæ dicuntur aggregatiuæ ex nostra sententia, vnde scriptores assumentes ab ipso Mesue, eas diuiserunt eodem modo vocantes alia maiores, alias minores. Hic Ioannes Renodæus scribit in huiusmodi pilulis describendis seruare veteres Mesuæ descriptiones, quarum prior solum est vsualis inquit, & in pharmacopolijs omnibus parata reperitur relictis alijs duabus aggregatiuis maioribus, & minoribus nuncupatis. Huiusmodi pilulæ dicuntur à Grecis polychreste, ab aliquibus catholice, eò quòd multiplicis sint vsus.

Pilulę aggregatiuę soluunt vniuersaliter omnes humores tam crassos, quàm tenues, tam calidos, quàm frigidos, verùm à prędominio magis soluunt humores cholericos.

Dosis ipsarum est à drachma vna ad duas.
Conseruantur per biennium.

Scribit Renodęus, quòd, qui has aggregatiuas habet, potest carere pilulis de octo rebus, & de quinque myrobalanorum generibus, quod tamen eget maiori, & longiori consideratione, sed afferamus alias pilulas.

Pilulæ de fumaria Auicennæ.

℞. Myrobalanorum citrinarum,
Chepul,
Indarum,
Diagridij ana drach. v.
Aloes soccoterinę drach. vij.
Cum succo fumarię fiat massa, quę exiccata teratur, & rursus eodem succo subigatur, tertiò cum syrupo de fumaria, fiat massa vsui reponenda.

Huiusmodi pilulę purgant humores biliosos, acres, adustos, & melancholicos, nec non pituitosos salsos.
Dosis est eadem cum alijs huius generis.

Pilulæ de lapide lazuli Mesuæ.

℞. Lapidis lazuli pręparati drach. vj.
Polypodij,
Epithymi,
Agarici ana drach. viij.

Hellebori,

Hellebori nigri,
Scammonij,
Salis gemmei ana drach. ij. & semis.
Garyophyllorum,
Sem. anisi ana drach. iiij.
Hieræ picræ drach. xv.
Cum syr. Regis Saboris fiat massa.

Huiusmodi pilulæ assumunt nomen à lapide lazuli, qui pro basi ponitur.

Faciunt huiusmodi pilulæ pro elephantiasi, cancro, quartana, & omnibus morbis ex humore melancholico ortum ducentibus. Easdem facultates habent cum pilulis indis, & præstantiores.

Pilulæ assairet Auicennæ.

℞. Masticbes,
Myrobalanor. citrearum ana vnc. semis.
Hieræ picræ vnc j.
Aloes optimæ vnc. ij.
Cum syrupo ex stœchade fiat massa.

Huiusmodi pilulæ, quæ hoc in loco describuntur à Renodæo, sunt ab Auicenna descriptæ, quas seiar etiam vocat libr. 3. fen. 1. tract. 1. cap. 29.

Facultates habent admodum languidas, neque possunt à longinquis partibus trahere, hinc apparet Renodæum non secutum fuisse ordinem propositum, qui erat afferre validas pilulas post debiles. Istæ verò pilulæ, etsi educant humorem biliosum, sunt tamen omnium languidissimæ.

Dosis vt supra.

Pilulæ de aloe rosata.

℞. Rosar. viridium vnc. iiij.
terantur.
Aloes vnc. vj.
Misceantur omnia, & vbi exiccata fuerint, addantur denuò vnc. iiij. rosarum, & fiat massa, quæ vsui seruetur.

Vuecherus ex Arnaldo Villanouensi.

Alia compositio fit ad hunc modum.

℞. Aloe succotrini vnc. j.
Abluatur multoties cum saccharo rosarum, rubearum, aut hoc succo imbibatur aloe, deinde cum vino albo fiat massa, vsui seruetur.

Pilulæ de nitro Alex. Tralliani.

℞. Aloes,
Colocynthidos,
Diagridij,
Hellebori nigri,
Bdellij,
Gummi arabici ana drach. ij.
Euphorbij,
Nitri ana drach. j.
Cum succo brasicæ, vel potiùs cum rhodomelle, hoc est melle rosato ex arte fiat massa.

Huiusmodi pilulæ describuntur ab Alexandro Tralliano lib. 1. cap. 12. & sub nomine pilularum diacolocynthidis, quæ ab aliquibus appellantur etiam pilulæ de nitro, & ab alijs pilulæ de colocynthide, pro vt vel maiorem colocynthidis quantitatem, & minorem nitri, vel è contra posuerunt. Quamuis ipsemet Alexander harum pilularum duplicem habeat compositionem.

Hic notandum est, bdellium, & euphorbium, egere præparatione quadam; nam bdellium dissoluendum est cum succo brassicæ calefacto, colandum, & deinde ad succi consumptionem coquendum. Cætera omnia misceantur addita mellis rof. sufficienti quantitate: euphorbium verò ad hunc modum præparandũ, primò tenuiter puluerizandum, deinde in lapide cum oleo amygdal. dulcium, quantum sufficit fricetur instar collyriorum, postea massa illa in pomo cotoneo, vel citrio excauato imponatur, & pasta panis inuoluatur, quemadmodum in scãmonij præparatione fieri solet, coquatur in fornace, quantum sufficit, deinde euphorbium eximatur, & in vase vitreo benè obturato seruetur, vel in massam redigatur.

Pilulæ mechoacanæ.

℞. Mechoacanæ vnc. semis.
Turbith drach. iij.
Fol. thymeleæ aceto maceratorum, & siccatorum,
Sem. ebuli,
Agarici trochiscati ana drach. ij.

Radicis

Radicis esulæ præparatæ,
Mastiches ana drach. j. & semis.
Macis,
Cinnamomi,
Salis gemmei ana scrup. ij.

Fiat omnium puluis, qui cum vino albo subigatur in massam quæ siccata teratur, & cum succo yreos cælestis denuò coagmentetur, arida rursus teratur, & cum syrupo rosarum pallidarum fiat pasta vsui reponenda.

Neminem hactenus obseruaui, qui has pilulas de mechioacan, descripserit hoc Renodæo excepto, quamuis à Bertaldo secunda parte apparatus medicamentorum tractatu de pilulis, eandem prorsus afferat descriptionem, nulla facta in illis consideratione, videntur tamen esse inuentionis ipsius Renodæi; nam loquens in commẽtario de erroribus eorum, qui medicamenta inter se malè componunt, inquit, præter quæ, & alia exhibemus nonnulla, quæ & optima compositionis ratio, experientia, & felix euentus salutaria esse confirmarunt, cuiusmodi sunt pilulæ descriptæ ad hydropem, quæ mechoacana ab illius basi cognominantur; hæc enim singulis alijs simplicibus præpollet, & efficaciter aquas per secessum educit. Addita huic sunt alia quinque hydragoga, quæ simul vnita cum cardiacis aliquot, & stomachicis sine ventriculi læsione potenter serosos, & aqueos humores non modò ex aluo, sed toto corpore ducunt, Semen keruæ, seu ricinij, & soldanellæ. non libuit permiscere, cùm illa sufficiant, nec parandi modum subiungere, cum hic sit perfacilis.

Verùm huiusmodi pululæ, cum habeant mechoacan pro basi, & multa sint, quę eam basim adiuuant, vt est turbith, folia thymeleę, semen ebuli, radix esulę, agaricum videtur potiùs ad corrigendã basim, sal verò gemmæ videtur esse veluti vehiculũ basis: Mastiches verò macis, & cinnamomũ posita sunt prò defẽsione ventriculi; quare si rectè omnia cõsideremus videbimus mechoacã suapte natura languidæ operationis, & humores pituitosos educere, non autem serum, quare videtur duplici hac ratione non posse esse rectè positum pro basi in his pilulis. Ad hęc basis medicamenti debet esse talis, vt maiorem cæteris efficaciam habeat, nam basis est veluti fundamentum totius operationis, at mechoacan non educit solum aquam, sed vt Monardes, qui fuit primus, qui de hac materia scripsit, docet pluribus experimentis hãc radicem euacuare humores biliosos, crassos, permixtos, & humores pituitosos cuiuscunque generis & omnes viscosos humores putridos, & vtranque choleram, qua propter non videtur debere poni pro basi eius medicamenti, quod factum est pro humorum serosorum eductione, & in summa pro hydropicis, aliter huiusmodi medicamentum posset poni pro basi omnium medicamẽtorũ purgantium, deinde experientia comprobatum est plures liberasse à varijs morbis purgando varios humores, estq; insuperomnibus alijs anteponẽdum medicaminibus, quod vnam habeat qualitatem, qua post purgationem viscera malè affecta ac corroborata relinquũtur, vlterius dicunt plerique id generis medicamenti, vbi est in actu operationis, ex aliqua potione eius operationem posse sisti.

Præterea turbith, quod positum videtur ad operationem huius basis adiuuandam, non educit aquas, sed humorem pituitosum Folia thymeleæ, quæ etiam dicitur piper montanum, & Arabes mezereon vocant, & si habeãt facultatem, & ipsa educendi aquas è corpore, nihilominus educũt, & phlegma, & bilem, vbi verò folia fuerint macerata in aceto, ex huiusmodi præparatione, videtur augeri facultas educendi bilem, maximè si acetum fuerit acre.

Istud medicamentum mechoacan, cum habeat facultatem educendi humores serosos nempè, atque pituitosos, potest offerri ijs, qui affecti sunt, ad drachmam vnam vsque ad drachmas duas, & sic experientia confirmabitur ea valere ad vtranque hydrope mascitem, & anasaream.

Pilulæ fœtidæ Dom. Mes.

℞. Sagapeni,
Ammoniaci,

Opopo-

Opoponacis,
Bdellij,
Colocynthidis,
Sem. rutæ agrestis,
Aloes,
Epithymi ana drach. v.
Turpethi drach. iiij.
Scammonij drach. iij.
Esulæ præparatæ, quæ ab Arabibus dicitur schebran maius, ab Italis esula maior.
Hermodactylorum ana drach. ij.
Zingiberis drach. j. & semis.
Cinnamomi,
Spicæ indicæ,
Croci,
Castorei ana drach. j.
Euphorbij scrup. ij.
Dilue gummi succo porri, & facias massã.

Huiusmodi pilulæ dicuntur fœtidę, non quòd fœtidos trahant humores, sed quod constet ex medicamentis simplicibus fœtidis, vt est castorium, ruta syluestris, sagapenum, opoponax, & alia similia. Hasque pilulas Mesues appellat fœtidas maiores ad differentiam alterius descriptionis pilularum, quæ dicuntur pilulæ fætidæ minores.

Notat hic Renodæus esulam præparari debere, antequam in vsum veniat, gummi liquanda sunt in succo porri, colanda, & coquenda iisque pulueres adijciendi, commiscendi, subigendi, & omnia in massam sunt cogenda, manibus oleo amygdalarum reunctis corio inuoluantur, & in vase stanneo reponantur. Et hæc sunt, quæ Ioannes Renodæus de suis pilulis in medium affert, & de ordine, quem in ipsis enumerandis obseruat, qui tamen (vt ostendi) non semper eundem ordinem sicuti proposuit, seruat.

Qui quamuis putet omnes alias pilulas pręter eas, quas scripsit esse superfluas, nihilominus multæ aliæ sunt, quæ in communi vsu apud pharmacopœos habentur, inter quas sunt pilulæ de rhabarbaro.

Pilulæ de rhabarbaro Mes. fil.

℞. Rhabarbari drach. iij.
Succi glycyrrhyzæ,
Absinthij,
Mastiches ana drach. j.
Myrobalanorum citrinorum drach. iij. & semis.
Sem. apij,
Fœniculi ana drach. semis.
Trochisc. diarhodon. Rhasis drach. iij. & semis.
Spec. hieræ picræ drach. x.
Aquæ fœniculi, aut succi potiùs cum melle quantum sufficit, fiat massa.
Dosis à drachma vna ad duas.

Valent in obstructionibus iecinoris, & febribus longis.

Pilulæ sabelliæ Mes.

℞. Spicæ indicæ drach. v.
Spicę romanæ drach. ij.
Rhabarbari,
Agarici,
Epithymi ana drach. iij.
Costi,
Mastiches,
Chamędryos,
Amomi ana drach. iij.
Croci drach. ij.
Myrrhæ,
Cinnamomi,
Garyophyllorum,
Schęnanthi ana drach. j.
Aloes drach. x.

Cum vino antiquo fiat massa, quæ siccata cera liquata intincta inuoluatur.

Dosis est ad drachmas duas.

Obstructiones ventriculi, hepatis, lienis sanant, & hydropem.

DE TROCHISCIS.

CAPVT XII.

TRochisci sequuntur, qui pastilli à Latinis, vel orbiculi, aut placentulæ appellantur. Magnā ij affinitatem habent respectu compositionis, & ingredientium cum pilulis; nam forma ipsorum est rotunda, sed cum quadam depressione, lupini figuram æmulantes, aliquando etiam fiunt oblongi, aliquando quadrati, pilulæ verò, vt dictum est, omninò sunt rotundæ sphærulę in modum. Porrò trochisci sunt in duplici differentia; alij enim corroborant, alij purgant, & qui purgant adhuc bifariam discernuntur, quandoquidem alij vehementer, alij mediocriter purgant. Illi, quos diximus esse corroborantes, & alterantes, ad plurimos vsus à Medicis inuenti sunt; nam alij faciunt ad compositionem magnorum antidotorum, vt sunt trochisci de vipera, hedychroi, de scylla, ad theriacam, trochisci rhamich, de terra sigillata, in philonium persicum, trochisci verò de gallia ad multa alia tum interna, tum externa remedia.

Rursus alterantes alij sunt, qui respiciunt partes affectas, alij verò alterant, de quibus paulò post. Qui caput respiciunt, dicuntur cęphalici, alij cardiaci, alij stomachici, alij hepatici, alij splenitici, alij hysterici pro diuersitate partium, quas respiciunt. Exterius quoque sunt aliqui destinati, quemadmodum sunt illi, qui respiciunt vlcera, vulnera, dolores, & id genus. Qui purgant, & præsertim vehementer, sunt trochisci alhandal, trochisci violarum cum scammonio; minus purgantes, sunt trochisci de rhabarbaro, trochisci de agarico, agaricū trochiscatum.

Hic notandum est differentiam esse inter trochiscos de agarico, & agaricum trochiscatum, trochisci enim de agarico fiunt ex agarico tenuissimè trito, sale gemmeo, & syr. acetoso, agaricum verò trochiscatum fit ex agarico loto, & macerato in vino, cui infusum sit zingiber, & alia. Dosis horum est à scrup. vno, vsque ad quinque.

Trochisci parantur ex pulueribus simplicium, succis concretis, carnibus, radibus, excretis, & puluere etiam cerealium, vel ex farina orobi cum squilla, pane biscocto, cumque carnibus viperarum.

Vsus trochiscorum multiplex est, siue ad antidotorum compositiones, siue ad alia; ingrediuntur enim confectiones aromaticas, solutiuas, opiatas, succos medicatos, clysteres, linimenta, vnguenta, aliasque compositiones: non semper tamē eodem modo exhibentur; nam aliquādo, vbi redacti sunt in puluerem, liquore aliquo excipiuntur, vt contingit in frigida ventriculi intemperie, in qua offerimus trochiscos de absynthio cum vino generoso ad drachmam, vel iusculo aliquo, vel aliquando in substantia dura. In formā etiam pilularum redacti nonnunquam ore integri retinentur, sicut dictum est de bechicis, & de ijs, qui pro sedanda siti à Mesue instituuntur, & sub lingua detinentur.

Alterantes verò, & roborantes appellati non nisi expurgato corpore offeruntur, tunc puluerizantur, & simul cum saccharo fiunt tabellæ, vt magis grati sint palato, deinde superbibitur aliqua potio pro diuersitate intentionis Medici.

In componendis verò trochiscis ars, quæ debet obseruari, est, vt aliqua cōsiderentur ex parte medicamentorum, vel ex parte liquoris componentis, aliqua ex parte exiccationis. Ex parte medicamentorum id requiritur, vt diligentissimè omnia terantur, & separatim, & si necessitas sit etiam leuigentur: ex parte liquoris, tāta ipsius copia est recipienda, quanta satis est ad inducendam formam trochisci. Cōtingit tamen aliquando, vt absque liquore fiant trochisci, vt cōtingit in ciphoide, in quo passulę sat sunt ad cōficiendos trochiscos, sic etiā contingere potest in trochiscis,

chiscis, qui fiunt ex violis, siue sint cum scammonio, siue absque scammonio. Ex parte exiccationis, id maximè aduertendum est, vt neque ad Solem, neque ad ignem exiccentur, verùm in cubiculo quodam, quem in locum neque ventus, neque malus aer ingredi possit.

His præfatis dicemus de trochiscis vsualibus, & primò de illis, qui ingrediuntur magnas compositiones, inter quas primò occurrunr trochisci de iupera, qui ad hunc fiunt modum.

Trochisci de vipera.

℞. Carnis viperinæ cum anetho, sale, & aqua coctæ, & à spinis purgatæ vnc. viij. alij libr. j.
Panis tritici purissimi, biscocti, triti, & subt. cribrati vnc. ij. alij vnc. iiij.
Formentur trochisci, & inungantur cum oleo nucis moschatæ, siccenturque in loco vmbroso, libero, ventoque septentrionali perflato.
Dosis à scrup. vno ad tres.

Seruantur per annum, si tamen diligēter asseruentur, possunt ad biennium, & triennium etiam conseruari, cum hac animaduersione, vt quando ingrediuntur theriacam, quò recentiores, eò meliores.

Morbis cutaneis, morsibusque viperarum, & febribus pestilentibus sunt efficaces.

Trochisci scyllitici Galeni.

℞. Scyllæ assatæ libr. j.
Farinæ orobi cribratæ vnc. viij.
Formentur trochisci secundùm artem.
Affectibus thoracis sunt maximè vtiles, ventriculi, capitisque.
Dosis eadē est, integroq; seruantur anno.

Trochisci hedychroi Galeni libr. de Theriaca ad Pisonem.

℞. Mari pro maiorana, seu pro sampsuco cret. vel orientali,
Asari,
Amaraci, idest maioranæ crassioris,
Aspalathi ana drach. vj.
Iunci odorati,
Calami aromatici,
Phu pontici,
Xylobal. vel ligni aloes,
Opobal vel ol. nucis moschatæ cocti ana drach. iij.
Cinnamomi,
Myrrhæ,
Folij, vel spicæ celticæ,
Nardi indicæ,
Croci,
Cassi ligneæ ana drach. vj.
Amomi, vel caryophyllorū vnc. j. & sem.
Mastiches drach. j.
Et cum vino Falerno quantum sufficit, fiant trochisci.

Theriacam ingrediuntur; nec alio modo in vsum Medicum veniunt: seruantur in annum.

Trochisci cyphi Gal. 2. de Antid. cap. 2.

℞. Pulpæ passul. alb. mundat.
Terebinthinæ puris. coctæ ana dr. xxiiij.
Myrrhæ,
Schœnanthi ana drach. xij.
Cinnamomi drach. iiij.
Croci drach. j.
Bdellij,
Spicę nardi,
Cassiæ ligneæ,
Ciperi,
Baccarum iuniperi ana drach. iij.
Aspalathi drach. ij. & semis.
Calami aromatici drach. viiij.

Mellis, & vini supradicti quantum sufficit: bdellium, & myrrha in vino dissoluta redigantur ad crassitiem mellis, & carnibus passularum ex melle diù tritis misceantur, deinde reliqua in tenuissimum puluerem redacta adijciantur, & simul agitando misceantur, & fiant trochisci secundùm artem.

Menses educunt, morsibus venenatorum conferūt, & iecoris obstructionibus.

Trochisci ramich Mesuæ.

℞. Succi acetosæ vnc. xvj. Semel ferueat cum rosarum vnc. j.
Baccarum myrti vnc. ij.
Cola, & misce.
Gallarum recent. opt. tritarum

Coque iterum, deinde pulueriza super ipsa.
Foliorum rosarum vnc. j.
Santali flaui, idest citrini vnc. j. & dr. ij.
Gummi arabici vnc. j. & semis.
Carnis sumach,
Spodij ana vnc. j.
Omphacij drach. vij.
Succi bacc. myrti multũ tritarũ vnc. iiij.
Ligni aloes,
Caryophyllorum,
Macis,
Nucis moschatæ ana drach. iiij.
Misce omnia simul, & extende in scutella lapidea, vsque dum siccentur; post tere minutim, & cum camphorę drach. vna, & semis, & aqua rosarum fac trochiscos quatuor, & sicca in vmbra.

Ventriculum, cor, iecur, imbecilla firmant, & intestina roborant, atque constringunt.

Dosis à drach. j. ad ij. Duratio ad annum.

De huiusmodi trochiscis nullam habet mentionem Renodęus, & certè in paucissimis locis sunt in vsu. Quod attinet ad nomen ramich, nihil aliud est, nisi succus quidam expressus ex baccis myrti recẽtibus. Ex Augustana pharmacopœa ramich, est mixtura ex gallis, & vuis passis.

Hoc loci Mesues vult sumachiorum carnem esse accipiendam, eamque leuiter contundendam, & à cortice, spoliandam, & abiecto cortice, interior substantia exactissimè terenda.

De gallis, sunt quidam, qui eas à secunda ebullitione abijciunt, alij verò nequaquam.

Notat hic Bertaldus aliquos apponere hisce trochiscis moschum ad grana scilicet quindecim, & tunc redduntur præstantiores, & valentiores.

Sunt aliqui, qui loco succi acetosę succum cydoniorum acidorum, & immaturorum acccipiant.

Trochisci de terra sigillata Mesuæ.

℞. Sang. draconis,
Gummi arabici assi,
Trochisci ramich,
Foliorum rosf.
Sem. rosf.
Amyli assi.
Spodij,
Acaciæ,
Hypocisthidos,
Lapidis hęmatites,
Balaustij,
Boli armeniæ,
Terræ sigillatæ,
Sem. cannabis,
Corallij,
Charabę ana drac. ij.
Margaritarum,
Tragacanthę,
Papau. nigri ana drach. j. & semis.
Sem. portulacæ assi,
Cornu cerui vsti,
Thuris,
Gallarum,
Croci ana drach. ij.
Fiant trochisci cum aqua plantaginis.

Dosis eadem: cęterum ad annos duos seruantur, si obducantur tela cera liquata intincta.

Cruenta expuentibus, & omni sanguinis profluuio succurrunt.

Trochisci de gallia moschata Mesuæ.

℞. Ligni aloes crudi drach. v.
Ambræ grisiæ drach. iij.
Moschi drach. j.
Mucilaginis tragacanthę factæ cum aquę rosf. quantum sufficit, & formentur trochisci parui.

Cerebrum, & cor roborant, oris, & totius corporis odorem commendant.

Dosis à drachma semis. Tandiu durant, quandiu odoris fragrantiam seruant.

Quid sit gallia vix à scriptoribus designatur, neque videtur esse vllus, qui eam declaret. Rondoletius admonet rectius huiusmodi trochiscos de xyloaloe moschata, quàm de gallia moschata vocari posse, sed quia iam longus vsus inualuit, vt ab omnibus trochisci de gallia appellentur, censeo non esse illis mutandum nomen.

Trochisci de alipta Moschata.

℞. Ladani vnc. iij.

Styra-

Styracis calamitæ vnc. j. & semis.
Styracis rubræ vnc. j.
Ligni aloes drach. ij.
Ambræ drach. j.
Camphoræ scrup. semis.
Moschi scrup. j.
Cum aqua rosſ. formentur pastilli.

Celebrantur, vt efficacissimi ad cerebrum, cor, hepar, ventriculum, & alia viscera nutritoria corroboranda, & spiritus reficiendos.

Pastilli neræ Nicolai.

℞. Ambræ opt. vnc. j.
Ligni aloes drach. iij.
Moschi boni scrup. semis.
Camphoræ grana. iij.
Subigantur omnia simul, & fiat massa, ex qua formentur trochisci.

Iisdem viribus pollent, quibus gallia moschata, sed efficacioribus, & a magnatibus frequenter vsurpantur ad suffitus. Huiusmodi trochisci pretiosissimi sunt, & rarissimè conficiuntur, nec nisi pro Regibus, & Principibus.

Nunc dicendum de trochiscis solutiuis qui sunt sequentes.

Trochisci de agarico Mesuæ.

℞. Agarici optimi vnc. iij.
Salis gemmæ vnc. j.
Zingiberis vnc. semis.

Infundatur zingiber in sufficienti quantitate vini generosi, & aceti ana partes æquales, deinde facta expressione formentur trochisci secundùm artem.

Ventrem soluunt, ac pituitam educunt, vermesque enecant.
Dosis à drach. semis, ad duas.
Duratio ad summum vsque ad annum.

Trochisci de rhabarbaro Mesuæ.

℞. Rhabarb. boni drach. x.
Succi eupatorij,
Amygdal. amar. ana drach. iiij.
Rosſ. siccarum drach. iij.
Spicæ nardi,
Anisi,
Rubeæ,
Absynthij,
Asari,
Sem. apij ana drach. j.

Fac trochiscos, & si succus non sufficiat, accipiatur aqua cuscutæ.

Valent ad hepatis obstructionem, dolorem, tumores inueteratos eiusdem, & ad hydropem, atque icterum.

Dosis à drach. vna ad duas, & habent efficaciam per annum.

Trochisci Alhandal.

Reperio scriptores de medicamentorum materia, & compositione esse in duplici differentia circa descriptionem horum trochiscorum; alij enim ad hunc modescribunt.

℞. Pulpæ colocynthidos albæ, & leuis à seminibus purgat. drach. x.
Incidantur forficibus, fricentur cum vncia vna olei rosati, mucaginis tragacanthi, gummi, bdellij ana drach. vj.
Macerentur omnia in aqua rosſ. per dies quatuor, & fiant trochisci, qui deinde in vmbra exiccentur, terantur optimè, & cum eadem mucagine formentur rursus trochisci.

Alij scribunt ad hunc modum.

℞. Pulpæ colocynthidos vnc. x.
Tragacanthę,
Gummi,
Bdellij ana drach. vj.

Differunt hæ descriptiones in quantitate colocynthidis determinanda; nam in priori vnciæ, in altera drachmæ designantur, conueniunt tamen respectu corrigentium; afferuntur enim vniuscuiusque corrigentis drachmæ sex. Puto (vt breuis sim) eos rectiùs sentire, qui vncias, quàm qui drachmas sequntur; nam relicta illa ratione, quæ vult corrigentia debere esse in minori quantitate, quàm sit basis, quæ non est semper vera in omni medicamentorum compositione, moueor duplici ratione, vna est, quia huiusmodi trochisci facti sunt ad purgandum, vnde si ponamus drachmas decem colocynthidos in vncijs duabus, & drachmis duabus, tolletur tota facultas purgandi ipsius colocynthidos; suffocabitur enim

(vt ita

(vt ita loquar) virtus basis, quare vix possunt dici solutiui.

Verùm si vnciæ sint decem colocynthidos, ex illis tribus correctiuis simul cum infusione in aqua rosarum per tres, aut quatuor dies attemperabitur illa malignitas colocynthidos, & facultas purgatoria tota remanebit; inde ex pauca horum trochiscorum quantitate fiet purgatio debita, exempli gratia ad scrupupulum vnum, aut etiam semis. At prioris compositionis quantitas ad scrupulos nihil prorsus efficiet, id quod multoties expertus sum, quia feci componere vtroq; modo hos trochiscos, & ij, quibus aderant drachmæ vix, aut nihil prorsus expurgabant, at quibus ponebantur vnciæ, purgabant, etiam in pauca quantitate assumpti, nempe ad grana, & vsque ad semi scrupulum, quare concludo colocynthidem ita præparatam meliorem, & securiorem esse tam ad purgandum, quàm ad aliorum medicamentorum compositionem.

At quia, & Mesues, & alij scriptores, qui de facultatibus horum trochiscorum scribunt, dicunt eos à longinquis partibus, & à capite potissimùm trahere humores pituitosos, id quod minimè efficere possent, si in tanta pauca copia colocynthis apponeretur, quantùm sunt drachmæ, ideo apponendæ sunt vnciæ decē.

De hoc argumento plura in meis Miscellaneis Decade octaua tractatu secundo de pharmacis generatim consideratis, vbi ostendi longè plures eos esse Authores, qui tenent colocythidem in his trochiscis debere assumi ad vncias, non ad drachmas. Confirmatur idem ratione, & tandem experiētia; nam multoties hos trochiscos probaui vtroque modo cōpositos, & cōperi, vt Calestanus scribit, verissimum meliores esse trochiscos factos cum vncijs. quàm vbi assumuntur drachmæ; nam in priore compositione malignitas attemperatur colocynthidos remanente facultate purgatoria, fietque elegās purgatio ex pauca quantitate trocischorum, vt (exempli gratia) si accipiatur dosis ad drachmam semis, fiet valida purgatio absque aliquo ægrotantis detrimento, & absque aliqua molestia, alterius verò compositionis quantitas sumpta ad scrupulum vnum, aut etiam ad duos nihil prorsus, aut parum efficiet, cum ergo curatio fieri debeat citò, tutò, & iucundè, citiùs quidem fiet, & iucundius, ex medicamento paruæ molis, & eximiæ virtutis, quàm ex eo, quod est magnæ quantitatis, aut molis, & exiguæ virtutis.

Addo, quòd huiusmodi medicamentum factum sanè est, vt à longinquis partibus omnes humores, & præsertim crassos trahere debeat, quod fieri minimè potest à medicamento multæ molis, & exiguæ operationis, & facultatis: hinc apparet Mesues textum deprauatum esse, & loco drachmarum debet scribi (vnciarum) vt apparet in margine scriptum libro primo de trochiscis alhandal, seu colocynthidos, quare neq; probo doctissimi Claudini opinionem dicentis oportere Pharmacopœum hos trochiscos vtroque modo compositos conseruare.

Verùm trochisci de alhandal pituitam, crassosque humores, à partibus profundis, & remotis extrahunt; quocirca dolori capitis antiquo, vertigini, epilepsiæ, apoplexiæ, colicis, cruciatibus, articulorumque doloribus à materia frigida pendentibus plurimum conferunt.

Dosis in substantia à granis quatuor, vsque ad duodecim: in infusione vsque ad scrupulum vnum.

Durant per biennium, & vlterius, nisi teredinem sentiant.

Soleo ego componere pilulas quasdam ad educendam materiam fluentem à capite in musculos ceruicis, dorsi, & lumborum inducentem dolorem, & difficultatem mouendi, quæ mihi admodum familiares redditæ sunt.

Compositio est ad hunc modum.

℞. Pil. cochiarum vnc. j.
Trochiscorum alhandal,
Diagridij ana scrup. j. & semis.

Conficio pilulas numero nouem, aut sex, si accipio tres pilulas facio satis validam purgationem; si duas assumo mediocrem: si vnam tantum exiguam habeo purgationem, & omnes purgationes, tutò, citò, & iucundè succedunt.

Trochisci de violis, siue hamech Mesuæ.

℞. Folior. viol. humid. & sicc. mediorum vnc. ij. & drach. ij.
Turbith. albi, & gummosi tenuis puluer. drach. viiij.
Succi glycyrrhyzæ drach. iiij. & semis.
Mannæ drach. iiij.
Fac trochiscos, & sicca in vmbra.

Succus glycyrrhyzæ, manna, & violæ simul bene conterantur: adde pul. turbith, & misceantur optimè: inde fac trochiscos.

Interdum addimus scammonij drach. iij. Et dicuntur trochisci de violis cum trochi scammonio.

Dosis cum scammonio est à drach. semis ad vnam, & semis: sine scammonio à drachmis duabus ad tres.

Sedant inflammationem, ventrem leniunt, & thoracem purgant.

Vltra annum nullius sunt valoris.

Ex alterantibus sunt, qui refrigerant, vt sunt trochisci de spodio.

Trochisci de spodio.

℞. Spodij drach. iiij.
Rof. rubr. drach. vij.
Sem. portulacæ,
Succi glycyrrhyzæ ana drach. ij.
Confice cum mucilagine psyllij, & fac trochiscos.

Efficacissimi sunt ad febres acutas, ventriculi, & iecoris phlegmonem, sitimque vehementem.

Dosis ad drachmas duas. Seruantur in annum.

His adiunguntur trochisci de antispodio Mesuæ, qui fiunt ad hunc modum.

Trochisci de antispodio.

℞. Rof. drach. vij.
Antispodij drach. iiij.
Sem. portulacæ,
Succi glycyrrhyzæ ana drach. ij.
Cum mucagine seminis psyllij fiant trochisci.

Quid nomine spodij, aut antispodij intelligere voluerit Mesues, non ita clarum est; alij enim dicunt, vt Costæus super hoc loco, & omnes ferè Arabes pro spodio ebur vstum esse sumendum. Iam verò cum ebur sit dens elephantis (docente Garsia ab Horto cap. 12 de tabaxir,) & nullum os elephantis in medicina vsum habeat; nam in illis partibus, inquit, vbi adest elephantum copia, eorum ossa tamquam inutilia proijciuntur; ideo non potest accipi pro spodio, nec pro antispodio, sed potius pro tabaxir, cum ex Medicorum Indorum, Arabum, Persarum, & Turcarum valeat in ardoribus tam internis, quàm externis, iuuetque febres colericas, seu biliosas, non secus, atque isti trochisci. Quare puto Mesuem pro spodio intellexisse aliquod genus medicamenti suo tempore familiare, quod nostris temporibus non habetur, & mirum est, quo modo viri tam docti in hoc casu accipiant pro spodio ebur vstum, quamuis vterque trochiscus aut rarò, aut nunquam in vsum veniat.

Trochisci de capparibus Mesuæ.

℞. Cort. rad. capparis,
Sem. agni casti ana drach. vj.
Melanthij, idest nigellæ,
Calaminthes,
Acori,
Amygd. amar.
Nasturtij,
Ammoniaci,
Fol. rutæ,
Aristolochiæ rotundæ,
Succi eupatorij ana drach. ij.
Cyperi,
Scolopendrij ana drach. j.

Puluis horum omnium excipiatur ammoniaco dissoluto in aceto, & fiant trochisci.

Dosis sit drach. vna, & semis.

Post annum sunt inutiles.

Ad splenis duritiem, & flatus eius dissipandos valent.

Trochisci de carabe, siue de succino, siue de electro Mesuæ.

℞. Succini drach. vj.

Cornu-

Cornu cerui vsti,
Gummi arabici vsti,
Tragacanthæ,
Acaciæ,
Hypocisthidos,
Balaustij,
Masticheſ,
Laccæ,
Papaueris nigri aſſi ana drach. iij.
Thuris,
Croci,
Opij ana drach. ij. & gran. xv.
Fac trochiſcos cum mucilagine pſyllij aqua feruente macerata.

Omnem hęmorrhagiam ſiſtunt ſumpti cum aqua plantaginis, vel eius ſucco.
Doſis eſt drachma vna.
Vltra annum poſſunt conſeruari.

Scribit Mercurialis huiuſmodi trochiſcos conferre omnibus partibus, à quibus fit fluxus ſanguinis excepto thorace, quia nullum eſt medicamentum, quod thoracem reſpiciat.

Trochiſci de berberis Meſuæ.

℞. Berberis drach. ij.
Spodij,
Ligni aloes,
Sem. acetoſæ,
Maſtiches,
Galliæ moſchatæ Meſuæ,
Spicæ nardi ana drach. j.
Gummi arabici drach. iij.
Roſ. ſiccarum drach. v.
Cum aqua roſ. quantum ſufficit, fac trochiſcos.

Febres ardentes extinguunt, ac ſitim vehementem, & dolorem hepatis.

Doſis ad drachmas duas: non excedunt ſex menſes.

Quamuis huiuſmodi trochiſci nulla ratione in vſum veniăt in his noſtris partibus, nolo tamen relinquere illam deſcriptionem, quam Renodęus in medium affert, eſt autem huiuſmodi.

℞. Baccarum berberis, aut ſucci earum,
Succi glycyrrhizæ,
Sem. portulacæ ana drach. iij.
Roſ. rubr. drach. vj.
Spicæ,
Croci,
Amyli,
Tragacanthæ ana drach. j.
Sem. citruli drach. iij. & ſemis.
Camphoræ drach. ſemis.

Cum manna ſucco berberis diluta fiant trochiſci.

Trita omnia excipiantur manna in ſucco berberorum liquata, & fiet maſſa, ex qua formabuntur trochiſci, & quamuis hic Meſſanæ non reperiantur berberi, neque ribes, quę his ſuccedunt, & per conſequens non poſſit haberi eorum ſuccus, in locis tamen vbi reperiuntur, poteſt haberi, & proinde poterunt huiuſmodi trochiſci facilè formari. Huiuſmodi trochiſci ingrediuntur compoſitionem electuarij de pſyllio à Meſue deſcripti. Quamuis ego exiſtimem ſuccum oxyocanthę, ſeu ſpinæ albæ poſſe ſubſtitui loco ſucci berberorum.

Trochiſci de corallis.

℞. Corallorum rubeorum,
Cinnamomi,
Myrrhæ,
Amomi,
Sem. papaueris ana vnc. ſemis.
Schœnanthi,
Croci ana dr. ij.
Calami aromat.
Xylobalſami,
Caſſiæ,
Folij,
Maſtiches,
Phu,
Polij montani,
Aſari,
Pedis columbini ana drach. j.
Vini quantum ſufficit, fac trochiſcos.

Sanguinolenta excreantibus, dyſentericis, cibum faſtidientibus conferunt.

Doſis à drach. vna vſque ad duas.

Duratio ad annum accedit.

Trochiſci de ſandalis.

℞. Triumſantalorum ana drach. viij.
Spodij,
Sem. cucumeris,
Cucurbitæ,
Citruli,

Portulacę,

Portulacæ,
Boli armeniæ ana drach. iiij.
Rosarum drach. vij.
Camphoræ drach. j.
Berberis, aut succi eius drach. vj.

Confice cum aqua portulacæ. Da cum lacte acetoso, aut cum aqua agrestæ, aut acetositate citri, aut rob de ribe.

Ad febres ardentes, ventriculi, & iecoris intemperiem calidam valent, & sitim sedant.

Dosis eadem. Inutiles tamen sunt post sex menses. Loco spodij quod in omnibus quasi Arabum medicamentis repertũ rasæ vt spradictũ est sunt substituendæ.

Trochisci diarhodon Mesuæ.

℞. Fol. ros. rubr. drach. j. & semis.
Spicæ aromaticæ,
Ligni aloes ana drach. iij.
Glycyrrhizæ drach. iiij. & semis.
Spodij drach. j. & semis.
Croci scrupul. ij. & grana v.
Mastiches drach. ij.

Cum vino albo generoso fiant troch. Hos recipiant in compositionibus Mes.

Efficacissimi ad febres pituitosas antiquas, formam corrumpentes, ventriculi dolorem leniendum, & humores ipsi adhærentes detergendos.

Dosis eadem, & duratio.

Notat hoc in loco, & iure quidem, Ioannes Renodeus varias esse descriptiones horum pastillorum; nam, inquit, quisque ad animi sui votum addit, detrahit, peruertit, immutat, & plerumque vnum, & idem medicamentum diuersis nominibus designat, sepè, & duo, triaue, eadem vocum acceptione nuncupat. Patet hoc (addit) ex trochiscis diarhodon, & derosis à Mesue traditis, quorũ alij aliorũ significato includuntur. Isti trochisci igitur à nobis appellantur diarhodon.

Commiscentur in multis compositionibus magnis à Mesue descriptis.

Trochisci diarhodon Nicolai Myrepsij.

℞. Ros. viridium drach. iiij.
Spodij drach. ij.
Sandali rubei drach. j. & semis.
Sandali albi drach. j. & gran. xij.
Croci scrupul. ij. & gran. vij.
Camphoræ gran. xij.
Aquæ rosatæ quantum sufficit, formentur trochisci secundùm artem.

Conferunt dysentericis, clœiacis, iecinerosis, & stomachicis.

Dosis, & duratio, vt supra.

Trochisci de camphora Mesuæ.

℞. Fol. ros. drach. iiij.
Spodij,
Glycyrrhizæ ana drach. ij.
Sem. cucurbitæ,
Sem. citruli,
Sem. cucumeris,
Sem. melonis,
Tragacanthæ,
Croci,
Gummi arab.
Spicę nardi ana drach. j.
Sandali citrini drach. ij. & semis.
Ligni aloes,
Cardamomi,
Amyli,
Camphoræ ana scrup. ij.
Sacchari tabarzet,
Tereniabin ana drach. iij.
Mucilaginis psyllij factæ cum aqua rosatâ quantum sufficit, formentur trochisci.

Dosis a drachma vna ad vnam, & semis, duratio ad sex menses.

Ad calorem iecoris conferunt.

Trochisci de myrrha Rhasis 9. ad Almansorem cap. de prouocatione mensium.

℞. Myrrhæ drach. iij.
Lupinorum drach. v.
Fol. rutæ,
Mentastri,
Dictami cretici,
Cumini,
Rubeę tinctorum,
Assæ fætidæ,
Sagapeni,
Opoponacis ana drach. ij.

Cum succo artemisiæ fiant pastilli ponderis drach. duarum.

Præstantissimi sunt huiusmodi trochisci, & inter cæteros maximè visuales;

menses enim euocant, & dolores ex eorum retentione sedant, obstructionesque tollunt.

Dosis ad drachmas duas.

Efficaces sunt per annum integrum.

Trochisci de lacca, siue cancamum Mesuæ.

℞. Laccæ mundæ,
Succi glycyrrhizæ,
Absynthij,
Berberis,
Succi eupatorij,
Rhabarbari,
Aristolochiæ longæ,
Costi,
Asari,
Amygdal. amar.
Rubeæ tinctorum,
Anisi,
Apij,
Schœnanthi ana drach. j.

Fac trochiscos, & si succi fuerint sicci, fac cum aqua eupatorij.

Dosis à scrupulo vno ad quatuor.

Integro anno sunt efficaces.

Ad obstructiones hepatis, & lienis valent, febres antiquas, & sitim iuuant, & vrinam mouent.

Trochisci diaspermaton, idest de seminibus Galeno adscripti.

℞. Sem. apij,
Ameos ana vnc. j.
Anisi,
Fœniculi ana vnc. semis.
Opij,
Cassiæ ana drach. ij.
Aquę pluuialis q. s. fiant trochisci.

Sedant dolorem in omnibus internis affectibus, pleuriticis, & sanguinem expuentibus vtiles existunt.

Dosis est à semidrachma ad drachmam vnam, durantque annos duos.

Trochisci de aniso Mesuæ.

℞. Anisi,
Eupatorij ana drach. ij.
Sem. anethi,
Spicæ,
Mastiches,
Folij,
Absynthij,
Asari,
Apij,
Amygdal. amar. ana drach. semis.
Aloes drach. ij.

Confice cum succo absynthij, & apij.

Dentur cum syr. acetoso.

Obstructiones hepatis, & alios eius morbos sanant.

Dosis à drachma vna ad duas, per annum integrum sunt efficaces.

Trochisci alkakengi, seu de halicacabo.

℞. Granorum alkakengi drach. iij.
Sem. citruli,
Sem. cucumeris,
Sem. cucurbitæ ana drach. iij. & semis.
Boli armenię,
Gummi arab.
Thuris,
Sanguinis draconis,
Papaueris albi,
Amygdal. amar.
Succi glycyrrhizæ,
Tragacanthæ,
Amyli,
Pinearum ana dr. vj.
Sem. Apij,
Charabæ,
Terræ sigillatæ,
Hyoscyami,
Opij ana drach. ij.

Cum succo alkakengi, quãtum sufficit, formentur trochisci: possunt etiam componi sine opio, & dicuntur trochisci alkakengi sine opio.

Ad renum, & vesicæ vlcera, & ad natam inde ischuriam valent.

Dosis est à scrupul. duobus ad drach. j.

Post sex menses sunt inutiles.

Et isti sunt trochisci vsuales: sunt modò, & alij, non tam vsuales, inter quos primò occurrunt illi Gordonij, qui suis temporibus fuit egregius Medicus.

Trochisci Gordonij.

℞. Sem. quatuor frigid. maiorum mundat.

Sem.

Sem. papaueris albi,
Sem. maluarum,
Bombacis,
Portulacæ,
Cotoneorum,
Myrtillorum,
Gummi arabici,
Tragacanthæ,
Strobilorum,
Pistachiorum,
Sacchari candi,
Penidiorum,
Glycyrrhizæ,
Hordei mundati,
Mucaginis sem. psyllij,
Amygdal. dulcium mundat. ana drach. ij.
Boli armeniæ,
Sanguinis draconis,
Antispodij,
Rosarum,
Myrrhæ ana vnc. semis.

Excipiantur hydromelite, & fiant pastilli pondere scropulorum duorum, aut drachmæ vnius.

Faciunt ad vlcera renum, aliarumque partium abdominis internarum; nam leniunt, acrimoniam contemperant, roborant, & detergent.

Dosis sit ad drach. vnam, quæ cum lacte exhibita sit: inijciuntur etiam per syringam in vesicam.

Durat per biennium.

Sunt modò & alij, qui alexiterij, seu contra pestem à Ioanne Renodæo componuntur hunc in modum.

℞. Rad. gentianæ,
Tormentillæ,
Ireos Florentinæ,
Zedoariæ ana drach. ij.
Cinnamomi,
Garyophyllorum,
Macis ana drach. semis.
Zingiberis drach. j.
Rad. angelicę drach. iij.
Coriandri præparati,
Rosarum ana drach. j.
Corticis citri sicci drach. ij.

Fiat omnium puluis subtilissimus, & cũ succi glycyrrhizæ vnc. vj. fiat pasta mollis, de qua formentur trochisci.

Valent aduersus aeris infectionem pestilentem; nam eorum pastillorum, inquit Renodæus, aliquid in ore detentum, saporem quendam non ingratum reliquit & odorem, qui aeris inquinati qualitatem malignam arcet, & emendat, impeditque neis intro subiens spiritus inficiat.

Vt verò ritè parentur, succus glycyrrizæ, quo pulueres excipiendi sunt, in balneo Mariæ emolliendus erit, donec facilè duci possit, & cum eo quantitas pulueris tota concorporari, liceatque parum vini hippocratici, aut alterius liquoris conuenientis superaddere, vt ad libitum pastam habeat mollem, ex qua formari possit pastillus in vmbra siccatus.

Dosis est à drachma vna ad duas, & tres ad libitum, quia pro maiori parte esse in ore detinendus hypoglottidorum in modum.

Trochisci hysterici.

℞. Assæ fætidæ,
Galbani ana drach. ij. & semis.
Myrrhæ drach. ij.
Castorij drach. j. & semis.
Asari,
Sabinæ,
Aristolochiæ,
Nepetę,
Matricarię ana drach. j.
Dictami drach. semis.

Cum succo, aut decocto rutę fiant trochisci.

Parantur ex arte, si accipiantur, ea quę puluerizanda sunt, & tenuissimè terantur & gummi decocto, aut succo rutę maceratis, colatis, & ad mellis crassitudinem elixatis comprehendantur.

Medentur fœdis virginum, & viduarum coloribus, & ijs omnibus symptomatis, quæ à tetris vaporibus è semine, vel menstruo sanguine corrupto, & ab vtero sursum ad præcordia perreptante prodeunt.

Dosis à drach. j. ad duas ad summum.

Trochisci ad gonorream.

℞. Sem. viticis, seu agni casti,
Sem. lactucæ,
Rosarum,
Balaustiorum ana drach. j.

Scobis eboris,
Electri ana drach. j. & semis.
Boli armeniç in aq. chelidoniæ lotę dr. ij.
Sem. plantaginis scrup. iiij.
Sassafras scrup. ij.
Cum mucagine seminis cotoneorum in aqua nenupharis extracta fiant trochisci.

Faciunt ad gonorrhæam cuiuscunque generis, dantur cum aqua rosarum.

Dosis est à drachma vna, vsque ad tres ad summum.

Trochisci narcotici Fernelij.

℞. Gummi arabici,
Tragacanthæ,
Amyli ana vnc. semis.
Cerussæ lotæ aqua rosarum drach. vj.
Styracis calamitę,
Myrrhæ,
Castorij,
Opij sapa soluti ana scrup. iiij.
Croci drach. semis.

Trita omnia excipiantur mucagine seminis psyllij in aqua rosarum deprompta, & fiant trochisci.

Huiusmodi trochisci debitè admoti capitis, & dentium dolorem consopiunt, in ardoribus febrium somnum reuocant. Erysipelata, inflammationes extinguunt, & partium externarum dolores compescunt.

Trochisci ad somnum conciliandum Mesuæ libr. 2. cap. 18.

℞. Sem. lactucæ,
Portulacæ,
Papaueris albi,
Cucurbitæ,
Citruli ana drach. v.
Succi glycyrrhizæ,
Amyli,
Tragacanthæ,
Opij ana drach. j. & semis.

Redigantur omnia in subtillimum pollinem, & cum mucilagine psyllij fiant trochisci.

Dosis à drachma vna ad drachmas duas, quamuis Mesues concedat à drachmis duabus, ad drachmas quatuor.

Leonardus, Chrysafullius huius Regni olim Protomedicus ijs sæpe vtebatur, & nos sæpissimè quoque fælicissimo cum successu.

Absolutis trochiscis ad partes internas facientibus, nunc videndi sunt illi, qui ad externas partes admouentur, quorum reperio tres esse descriptos à Ioanne de Vico, libr. Chirurgiæ 8. qui inscribitur Antidotarium cap. 13. & à Mariano in suo compendio super chirurgia eiusdem Ioannis à Vico.

Trochisci de minio Ioannis à Vico.

℞. Micæ panis crudi, & benè formentati vnc. iiij.
Sublimati optimi, & fortissimi vnc. j.
Minij vnc. semis.

Contundantur omnia, & incorporentur cum aqua rosacea quantum sufficit, & fiant ttochisci oblongi, deinde distendātur super tabula, & clibano immittantur non admodum calido, & seruentur. Marianus verò accipit vncias sex aquæ plantaginis, in qua ebullire facit mediam vnciam sublimati vsque ad consumptionem quartæ partis aquæ, & ita permittit remanere per diem integrum, addendo farinæ tenuis quantum sufficit, ad trochiscos formandos, & tantum minij, quantum satis est ad eos colorandos, deinde sole exiccantur, aut clibano.

Facultas ipsorum est, mundificare carnem corruptam, & callosam auferre, mirificè proficiunt fistulis, & vlceribus carnosis, hoc est, in quibus supercrescit caro nimium, quàm conueniat.

Trochisci de asphodelo, hoc, est hastulæ Regiæ.

℞. Sublimati optimi, & electi vnc. j.
Arsenici s. p. drach. j. & semis.
Camphoræ,
Succi amyli ana drach. iiij. & semis.
Succi asphodeli drach. x.
Aceti drach. v.

Omnia bulliant vsque ad consumptionem perfecta succi, & aceti, deinde contundantur subtillimè, & cum vncijs duabus micæ panis crudi incorporentur, addendo.

Auri-

Auripigmenti calcinati drac. iiij. & sem.
Omnium cum modico aquæ rof. fiant trochisci, vt dictum est supra.

Trochisci sistentes sanguinem eiusdem à Vico.

℞. Vitrioli adusti drach. x.
Pulu. trochisc. de minio vnc. j. & semis.
Succi amyli,
Gypsi ana drach. ij.
Calcis viuæ mediocriter ablutæ drac. v.
Myrrhæ,
Aloes succotrinæ puluetiz. ana drach. ij. & semis.
Trochisci nostri de minio vnc. j.

Triturentur omnia simul, & cum micæ panis crudi vnc. ij. contundantur, & incorporentur cum modico succi linguæ passarinæ.

Valent ad sistendum fluxum sanguinis ex quacumque parte corporis externa.

Et isti sunt trochisci tantummodò descripti à Ioanne à Vico eorum Authore, qui certè merentur hanc descriptionem in hoc loco à nobis positam, ob egregias ipsorum vires, & quia apud Chirurgos sunt in communi vsu, ideo in magno precio ab ipsis meritò habentur.

DE PVLVERIBVS. CAPVT XIIII.

QVi pulueres, à Latinis, ab Arabibus dicuntur suffuf, quorum vsus est varius, non secus atque de trochiscis dictum fuit. Sunt ij in triplici differentia, alij scilicet simplices, qui dicuntur propriè suffuf ab Arabibus, à Græcis ξηρα, & ad alterius vsum, aut compositionem minimè instituuntur, sed per se, vel cum liquoribus quibusdam vsurpantur: alij dicuntur species: nam sunt pulueres compositorum medicaminum, mixti, sed nondum aliqua materia humida vniti: alij denique dicuntur tragemata, vt quando paulò crassiùs puluerizantur cum sacchari additione, à nostris bellaria appellantur, quæ secundis mensis assumuntur, ad cerebri, ventriculi, aliarumue partium affectus præter naturam.

Rursus pulueres, alij sunt, qui intus assumuntur, alij foras applicantur, sicuti diximus de trochiscis: qui per os sumuntur, sunt, vel alterantes, vel purgantes, quorum infinita est apud scriptores præparatio: extrinsecus verò etiam in varios vsus veniunt, vt ad epithemata, vulnera, vlcera, capitis sinapizationes, scabies, dentes extergendos, strumas, excrescentias, cauteria, atque ad compositionem sacculorum, cucufarum, pileorum. Rursus pulueres, qui intus sumuntur, vel parantur, ex simplicibus medicamentis solis, vel etiam ex speciebus compositorum aromaticis, vel purgantibus, addita aliquando sacchari portione. Tragemata quoque, & ipsa similiter parari consueuerunt, sed frequētiùs ex speciebus aromaticis, & alijs palato gratioribus. Solet portio sacchari addi in octupla proportione vt plurimùm, id tamen pro Medici arbitrio.

Vsus puluerum aromaticorum præsertim cum pane tosto in vino madefacto ad roborandum, in syncope, palpitationibus cardiacis, nulla expectata mora, ieiuno ventriculo, vel liquore stillatitio, vel iure, vel syrupo aliquo ad viscerum intemperiem, & robur in debilibus conualescentibus, nonunquam etiam, & duabus, vel tribus horis ante cœnam. Tragematibus verò vtimur, sed sæpius à cibo hac conditione, vt illi, qui ipsa accipiunt, nihil superbibant, & hoc tribus in istis casibus, quādo vapores caput petētes curamus reprimere: vel quando volumus vomitū præcauere, vel etiā coctionē iuuare, quibus in casibus huiusmodi tragemata sumuntur vna, aut altera hora post cibum. Aliquando etiam his tragematis vtimur, ea aspergendo super fercula, aut alios cibos ad coctionem iuuandam, vel si vitia ventriculi, aut hepatis, aut cerebri auferre cupimus, vel quando curamus reddere

cibos gratos, aut iucundiora medicamenta.

Purgantes verò pulueres eo modo accipiuntur, quo alia soluentia medicamenta, tribus horis, aut quatuor ante cibos.

Exterius quoque qui applicantur pulueres, ad varios vsus concurrunt, aliquãdo soli, vt ad vulnera, vlcera, & alia, vbi opus est inhæsione, aliquando etiam miscentur linimentis, aut post vnctiones insperguntur, aliquando epithemata fiunt.

Dosis ipsorum est, vbi per os assumuntur, si cordiales, magistrales, & aromatici, atq; adeo suaues sint, vt sunt species aromatici rosati Mes. vel Gabrielis, diarhodon, diatrium santal. diambra, & huiusmodi, ad scrupulum vnum, aut drachmam vnam, nonnunquam sumuntur in aquis stillatitijs, vel cum iure aliquo, addito interdum syrupo aliquo. Pulueres minus suaues, à scrupulo semis, ad scrupulos duos exhiberi possunt, vt sunt pulueres diatrion pipereon, diahyssopi, diacalaminthæ. In Eclegmatibus pectoralibus, & mixturis incrassantibus à drachma vna ad drachmas tres, in mixturis cordialibus pro vncia vna conseruæ sufficit scrupulus vnus, in potionibus instaurantibus pro vncijs quatuor iuris, vel stillatitiæ aquæ drachma vna pulueris cordialis sufficit.

Quod attinet ad durationem, pulueres, species, tragemata plus minusue durant; metallica enim transeunt annum, quæ opium recipiunt etiam per annum, & vltra; atqui si pulueres fiant ex seminibus, ex nucleis, ex amylo, & alijs huiusmodi, quæ ranciditatem, & situm contrahunt, non vltra quatuor menses asseruari possunt, vt diatragacantha, diairios, diapenidion, & huiusmodi. Est autem hic obseruandum, vt rectè admonet Bertaldus, quod ad diuturnitatem maximè confert, si à prudenti pharmacopœo fuerint præparati, & debito modo asseruati, vt pote sacculis coriacijs benè conclusi, aut vasis vitreis, vel stanneis, vel pixidibus ligneis optimè clausis.

Tractaturus de omnibus pulueribus hũc seruabo ordinem, primùm considerabo pulueres, qui intus per os assumuntur, deinde eos, qui exteriùs admouentur. Porrò eorum, qui intus assumuntur, alij sunt alterantes, & corroborantes, alij purgantes, & rursus ex alterantibus, alij respiciunt caput, ventriculum, cor, iecur, & lienem: ex purgantibus verò, alij sunt, qui educunt per secessum, alij per vrinam, & alij per sudorem, qui, & sudorifici appellãtur, & quoniam à scriptoribus multi afferuntur in vtroque genere pulueres, eligam eos, quos animaduertam esse in maiori vsu, quod ad primos pulueres attinet, describitur à Mercuriali puluis egregius pro epilepsia.

Puluis epilepticus Mercurialis.

℞. Sem. pæoniæ,
Visci quercini ana drach. ij.
Cardamomi drach. j.
Cantharidum præparat. scrup. ij.
Puluerizentur omnia, & cum melle conficiatur bolus.

Puluis pro ventriculo.

℞. Coriandr. præparat. vnc. ij.
Sem. melissæ vnc. semis.
Cinnamomi electi vnc. j.
Sacchari albi vnc. iiij.
Corroborat ventriculum.

Puluis alter pro ventriculo.

℞. Ligni aloes vnc. semis.
Galliæ drach. j. & semis.
Sacchari albi vnc. j. & semis.
Bibatur ad drachmas tres cum vino albo, aut cum miua cydoniorum.
Ventriculi humiditatem immodicam siccat, flatus dissoluit, coctionem iuuat.

Puluis pro corde.

℞. Fragmentorum pretiosurum ana drachmam semis.
Terræ lemniæ,
Corallorum rubeor. & albor. ana dr. iiij.
Margarit. præparat. drach. ij.
Rasurę eburis,
Cornu cerui adusti,
Sandali citrini,
Spodij,

Ros.

Rof. rubear.
Sem. acetofæ,
Coriandr. præparat. ana drach. j.
Mofchi,
Ambræ ana gran. ij.
Fol. auri optimi numero xxxx.
Sacchari ad pondus omnium
Fiat puluis fubtillimus, fimul intus rumpendo folia auri trita.

Species dulces pro cibarijs.

℞. Cinnamomi vnc. ij.
Zingiberis albi,
Sacchari ana vnc. j.
Croci orientalis drach. ij.
Garyophyllorum,
Nucis mofchatæ,
Galangæ,
Macis ana drac. fem.
Huiufmodi puluis eft admodum frequens pro cibarijs, præfertim in Italia.

Alter puluis pro cibo fanorum Antidotarij Bononienfis.

℞. Zingiberis drach. vj.
Caffiæ ligneæ vnc. iij.
Piperis vnc. ij. & drach. j.
Nucis mofchatæ vnc. iiij.
Furtorum garyophyllorum vnc. j. & fem.
Sacchari libr. x. vnc. vij. & drach. ij.
Mifce, & benè contundantur, & dum contunduntur, irrorentur cum libra femis aquæ ardentis, in qua fint diffolutæ.
Croci drach. vij.
Sic enim colore luteo inficientur.
Conferua per annum.

Alter eiufdem generis.

℞. Piperis nigri vnc. ij.
Zingiberis vnc. j.
Croci orientalis drach. j.
Garyophyllorum,
Galangæ ana drach. ij.
Puluerizentur omnia tenuiter.
Ambo ifti pulueres habentur ex pharmacopœa Auguftana.
Sunt modò, & alij pulueres pro eodem ventriculo, fed refrigerantes à Mefue defcripti.

Tragema ftomachum refrigerans, & corroborans.

℞. Spec. triumfandal.
Diatragacanthæ frigid. ana drach. j.
Rof. rubear. ficcarum,
Coriandri præparati,
Corallorum rubeor. ana fcrupul. j.
Sem. portulacæ fcrup. femis.
Sacchari rof. tabulati vnc. iij.
Mifce, & fiat puluis fubtillimus.

Alter puluis ftomachum roborans.

℞. Coriandri præparati vnc. v.
Diacydonij fine aromatibus drach. iij.
Cinnamomi drach. ij. & femis.
Macis drach. femis.
Pulueris rofatæ nouellæ drac. j.
Sacchari rofati tabulati ad pondus omnium.

Puluis pro hepate calefaciens.

℞. Inteftinorum gallinæ, cum interna ventriculi tunica à carne feparata, & vino albo abluta libr. j.
Vrantur in furno, deinde vino albo, & aqua abfynthij extinguantur: pro qualibet vncia ponatur.
Galangæ,
Cinnamomi ana drach. j.
Sacchari rof. tabellati vnc. j.
Mifce, & fiat puluis.
Datur mane ante paftum, vt ventriculum exiccet.

Alter puluis pro hepate.

℞. Rof. rubear.
Sandal. alb.
rubeorum,
Abfynthij,
Flor. iunci odorati,
Eboris vfti,
Spicæ nardi,
Spodij,
Sem. endiuiæ ana drach. femis.
Fiat omnium puluis.

Alter puluis hepar refrigerans.

℞. Spec. diarhod. abbatis.
Triumsandali ana drach. j. & semis.
Sem. endiuiæ,
Cichorij ana drach. j.
Sem. melonum,
Citruli,
Cucurbitæ ana drach. j. & semis.
Rof. rubear. drach. semis.
Sandal. omnium ana scrupul. j.
Sacchari albissimi vnc. v.
Misce, & fiat tragema.

Puluis pro pulmonibus exulceratis.

℞. Cineris cancrorum,
Priapi tauri in aqua rof. loti ana drac. ij.
Boli armeniæ,
Terræ sigillatæ,
Gummi tragacanthę,
Gummi arabici ana drach. j.
Sem. papauer. albi,
Quatuor sem. frigid. maiorum incisorum ana scrupul. j.
Glycyrrhizæ raf. scrupul. ij.
Sacchari rof. tabellati ad pondus omniũ,
Penidiarum vnc. j.
Misce, & fiat puluis.
Capiat cum lacte asinæ, aut capræ, aut vaccæ.

Puluis ad calculum.

℞. sem. milij solis,
Sem. saxifragiæ ana drach. j.
lactucæ,
Hyoscyami,
Papaueris albi ana scrupul. ij. & semis.
Quatuor seminum frigid. maiorum ana scrupul. iij.
Glycyrrhizæ scrupul iiij.
Trochiscorum halicacabi drac. j. & sem.
Rad. pimpinellæ,
Sem. genistæ ana drach. semis.
Sacchari vnc. ij.
Fiat puluis.

Puluis ad partum faciliorẽ reddendum.

℞. Corticis cassiæ fistulæ,
Cinnamomi ana drach. j.
Ossium dactylorum,
Croci ana drach. semis.
Fiat puluis subtillimus, qui exhibetur cum vino.

Alter puluis conferens doloribus post partum.

℞ Cort. cassiæ fistulæ,
Cassiæ ligneæ,
Cinnamomi,
Capillorum veneris ana drach. ij.
Sem. anisi,
Passularum ana vnc. semis.
Misce, & fiat puluis subtillimus.
Dosis est à drachma vna ad tres.

Puluis lac moltiplicans.

℞. Sem. napi,
Pastinacæ,
Raphani,
Anisi,
Fœniculi,
Apij,
Anethi,
Rutæ ana drach. ij.
Farinæ cicerum alborum,
Cinnamomi,
Sinapis albæ ana drach. j.
Cristallij vnc. semis.
Salis gemmæ drach. iij.
Sacchari albissimi vnc. j.
Omnium fiat puluis subtillimus.
Dosis sit singulis diebus vnc. ij.
Cum iure cicerum rubsorum.
Duratio non excedit sex Mensis.
Huiusmodi tres pulueres habentur in Antidotario Bononiensi.

Puluis gonorrhœam auferens Antidotarij Bononiensis.

℞. Menthæ siccæ drach. iij.
Sem. agni casti,
Rad. ireos ana drach. ij.
Sem. rutæ drach. j.
Sem. lactucæ drach. ij. & semis
Sacchari albi ad pondus omnium. Misce, & fiat puluis subtillimus.
Eius virtus valet, vsque ad quatuor menses.

menses.

Dosis sunt drachmæ duæ ante cibum per duas horas.

Puluis alius partum prouocans.

℞. Cinnamomi drach. j.
Cassiæ ligneæ scrup. ij.
Fiat puluis.

Puluis alter ad idem.

℞. Cinnamomi,
Croci ana scrupul. j.
Boracis scrupul. iiij.
Fiat puluis. Detur ex aqua arthemisiæ.

Hactenus collegimus pulueres varias corporis partes alterantes, & corroborantes internas, sunt modò afferendi pulueres humores educentes, quorum primi educunt bilem, & sunt.

Puluis cholagogus.

℞. Rhabarb. electi drach. ij.
Spicæ indicæ,
Mastiches ana grana vj.
Sacchari scrupul. ij.
Misceantur, fiatque puluis.

Puluis cholagogus Quercetani.

℞. Rhabarb. electi vnc. iij.
Flor. violarum drach. ij.
Rosarum pallidarum,
Hyperici ana drach. j.
Specier. diatr. sand.
Mastiches,
Cinnamomi ana scupul. semis.
Scammonij præparati scrupul. j.
Sacchari violati vnc. semis.
Misce, & fiat puluis, cuius dosis sit dr. j.

Puluis phlegmagogus.

℞. Zingiberis albi scrupul. ij.
Turbith boni drach. j.
Hermodactylorum drach. semis.
Sacchari albi vnc. semis.
Fiat puluis.

Habetur hic puluis ab Antidotario Florentino.

Puluis Quercetani phlegmagogus.

℞. Spec. diacarthami drach. ij.
Agarici trochiscati drach. semis.
Turbith,
Hermodactylorum ana drach. j.
Misce, & fiat puluis.
Dosis sit ad scrupulum vnum cum vino, aut iusculo caponis.

Puluis melanagogus.

Huiusmodi puluis est famosissimus, & & adscriptus Montagnanæ, qui est in duplici differentia, vnus sine scammonio, alter cum scammonio.

℞. Fol. senæ pręparatæ vnc. j. & semis.
Zingiberis,
Macis ana drach. iij.
Cinnamomi,
Tartari ana drach. j. & semis.
Misce.
Dosis à drach. duabus ad drach. vj.
Post annum est minoris efficaciæ.

Adustos, melancholicosque humores purgat, serosam aquarum colluuiem, & salsam pituitam euacuat, ob id cutis fœditatem, scabiem, & lepram sanat.

Puluis senæ præparatus cum scammonio.

℞. Fol. senæ vnc. iij.
Salis indi
Tartari ana vnc. semis.
Macis drach. iij.
Scammonij præparati drach. semis.
Cinnamomi drach. j. & semis.
Misce, & fiat puluis.
Dosis à drachma vna ad quatuor.
Duratio per annum, & vltra.
Easdem habet vires, sed efficaciores.

Puluis melanagogus Quercetani.

℞. Senæ vnc. j.
Anisi,
Fœniculi dulcis ana drach. j.
Cinnamomi scrupul. ij.
Chrystallorum tartari drach. vj.
Sacchari vnc. j.

Fiat puluis subtillimus,
Dosis vt supra.
Est isti sunt pulueres purgatorij.

Puluis, qui euacuat per vrinam, & etiam frangit lapidem.

℞. Lithospermi,
Saxifragię,
Cinnamomi,
Capillorum veneris,
Anisorum ana drach. semis.
Glycyrrhizæ drach. j. & semis.
Lapidis lincij,
iudaici ana scrupul. j.
Sem. asparagi,
melonum ana drach. j.
Fiat puluis subtillimus.

Alius puluis Montagnanæ ad idem.

℞. Sanguinis hircini præparati,
Lapidis lincij,
iudaici,
Lapillorum, qui inueniuntur in spongijs nouis.
Vitri adusti ana omnium drach. j.
Et fiat puluis subtillimus.
Dosis est ad scrupulum vnum cum vino albo aromatico.

Puluis sudorificus.

℞. Guaiaci limati, & s. p. vnc. iij.
Salsæ præparatæ, & puluer. vnc. ij.
Cinnamomi vnc. semis.
Corticis guaiaci vnc. j.
Sacchari optimi vnc. ij.
Misce, & fiat puluis subtilissimus.
Dosis sit ad drachmas duas, cum modico vini, vel aquæ bettonicæ in frigidis, in calidis verò ex aqua cichorij.

Alius puluis.

℞. Salsæ præparatæ vnc. iij.
Chinæ electæ vnc. ij.
Corticis guaiaci vnc. j.
Coriandr. præparat. vnc. semis.
Sacchari fini vnc. ij.
Isti duo pulueres describuntur à Claudino in appendice ingressus ad infirmos, quamuis etiam fieri possint alij pulueres simplices, & magis etiam compositi, quàm ij, qui scripti sunt.

Sunt modò aliqui pulueres particulares in Antidotario Bononiensi descripti, quorum vnus appellatur puluis pro vermibus, & paratur, vt in sequenti.

Puluis pro vermibus.

℞. Quinque lapidum pretiosorum ana dr. j.
Ramenti cornu ceruini,
Sem. sancti,
Dictami albi,
Myrrhæ,
Tormentillæ,
Sem. caulium,
acetosæ,
coriandri pręparati,
portulacæ ana vnc. semis.
lybistici drach. x.
Rhabarbari drach. j. & semis.
Folia auri numero xxxx.
Fiat puluis, vel addito melle fiat electuarium, vel saccharo, & fiant rotulæ.
Cuius infantibus scrupulus vnus potest dari, grandioribus à drachma semis ad vnam.
Serua per annum.

Puluis alius contra lumbricos.

℞. Corallinæ recentis, & ab omnibus immunditijs expurgatæ libr. j.
Cum aceto acerrimo abluatur, & sub Sole exiccetur.
Rad. dictami albi scrupul. xvj.
Misce, & fiat puluis subtilis.
Vsus eius est in vino, vel lacte ante cœnam per dimedium horæ.
Ijs, qui non excedunt tertium annum datur drach. semis.
A tertio anno vsque ad decimum drachma vna, vltra hanc ætatem dantur drachmæ duæ.
Sanis ad præseruandum bis in anno, Vere scilicet, & Autumno dantur drachmæ duæ.
Febrientibus non dandus, nisi magna necessitate cogente.
Duratio eadem.

Puluis ad vrinæ incontinentiam, & ad eos, qui se in somno permingunt.

℞. Membranę internæ ventriculi gallinacei præparatæ vnc. semis.
Cineris hericij drach. iij.
Sem. eupatorij vnc. j.
Misce, & fiat puluis.
Dosis est drachma vna, ante dormitum cum vino, vel brodio.
Seruatur ad annum.

Puluis pro epilepticis.

℞. Coriandri præparati drach. ij.
Sem. pœoniæ,
Portulacæ ana drach. j.
Vngularum asini vstarum vnc. semis.
Misce, & fiat puluis subtilissimus.
Da drachmas duas ex aqua rutæ.
Et serua ad annum.

Puluis ad broncocelem, hoc est gutturis herniam, vel pro boccio.

℞. Spongiæ marinæ,
Pilæ maritimæ vstarum, ⁂
Ossis sepiæ,
Piperis longi,
Piperis nigri,
Zingiberis,
Cinnnamomi,
Salis gemmæ, ⁂
pyrethri,
Gallarum,
Echini rosarum ana vnc. ij.
Corticum auellanarum vstarum vnc. semis.
Pumicis,
Sem. plantaginis,
Limaturæ acuum præparat. ⁂
Cineris corticum ouorum,
Ellebori albi,
nigri ana drach. ij.
Dosis à scrupul. duobus ad quatuor cum vino albo, vel cum aqua saluiæ, ventriculo ieiuno.
Conserua per annos ij.

Puluis ad eos, qui ex alto ceciderunt.

℞. Rhabarb. optimi drach. j.
Mumiæ,
Rubiæ ana drach. semis.
Terræ sigillatæ,
Boli armeniæ ana drach. j.
Sanguinis draconis,
Balaustiorum ana scrup. ij.
Rad. cousolidæ maioris drach. j. & sem.
Terantur omnia subtilissimè.
Dosis à drachma vna ad duas.
Duratio ad annum, & paulò vlteriùs.

Et isti pulueres sunt, quibus vtimur ad partes internas, siue corroborandas, siue alterandas, siue à prauis humoribus expurgandas: nunc opus est, vt secundùm ordinem propositum videamus pulueres, quos partibus externis cõuenire diximus, qui sunt in duplici differentia; alij enim, quibus vtimur pro epithematibus, idest medicamentis, quę extra admouentur circa cor, circa iecur, & circa alias corporis partes præcipuas: alij verò sunt pulueres, qui ita sicci applicantur partibus vulneratis, vlceratis, aut huiusmodi: & primò consideremus pulueres, qui caput calefaciunt, inter quos primò adduco puluerem descriptum ab Antidotario Florentino, qui parari solet ad hunc modum.

Puluis capitalis calefaciens.

℞. Stœchadis,
Nucis moschatæ,
Bettonicæ,
Rad. bettonicæ,
Seseleos,
Maioranæ,
Ligni aloes,
Garyophyllorum ana drach. j.
Moschi,
Ambræ ana gran. ij.

Puluis pro epithemate cordis calidus.

℞. Sandali albi,
rubri,
citrini ana drach. iij.
Ben albi,

rubri,
Serici grano tinctorio infecti,
Ossis de corde cerui ana drach. j.
Croci,
Cinnamomi,
Caryophyllorum,
Ligni aloes ana vnc. semis.
Ambræ,
Moschi ana scrupul. j.
Fiat puluis subtilissimus.
Vterque puluis describitur in Antidotario Florentino.

Puluis ad ventriculum calfaciendum.

℞. Galangæ,
Cyperi,
Caryophyllorum ana drach. ij.
Absynthij,
Menthæ ana vnc. semis.
Misce, & fiat puluis.

Puluis ad flatus discutiendos ventriculi.

℞. Galangę maioris, & minoris,
Cinnamomi,
Spicæ nardi,
Schœnanthi ana drach. iij.
Cumini,
Carui,
Apij,
Petroselini in aceto maceratorum ana drach. ij.
Sem. rutæ drach. j.
Misce, & fiat puluis, quo inspergatur venter, melle, & pauco vino perunctus.

Puluis pro epithemate iecoris excalefaciens.

℞. Ros.
Sandali albi,
rubri,
Absynthij,
Schœnanthi,
Spodij,
Nardi indicæ,
Cinnamomi ana vnc. semis.
Misce, & fiat puluis tenuissimus.
Sunt modò pulueres alij refrigerantes, ex quibus conficiunt epithemata, & primò pro capite.

Puluis ad phrænitidem Rondeletij.

℞. Coriandri præparati drach. ij.
Flor. nymphęæ drach. iij.
Violarum,
Rosarum ana drach. ij.
Sem. lactucæ,
Papaueris ana drach. j.
Coralli rubri drach. j. & semis.
Sandali rubri scrupul. ij.
Fiat puluis tenuissimus, quo cum rebus hnmidis fiat oxyrhodinon pro capite.

Puluis pro epithemate cordis refrigerans.

℞. Sandal. albi,
rubri,
citrini ana vnc. semis.
Been albi,
rubri,
Serici grano tinctorio infecti,
Ossis de corde cerui ana vnc. j.
Sericum minutim incidatur, reliqua per se terantur.
Misce, & conserua in pixide vitrea: ex Antidotario Florentino.

Puluis hepar refrigerans pro epitemathe

℞. Sandali albi,
rubri,
citrini ana vnc. semis.
Ros.
Coralli,
Spodij ana drach. j.
Terantur, & fiat puluis subtillimus.
Omnes pulueres iam descripti sunt, qui intrinsecùs assumuntur, modò opus est, vt breuiter afferamus eos, qui exteriùs applicãtur, qui & ipsi varios habent vsut; nam alij abstergunr dentes, alij cutem, alij sunt incarnantes, alij epulotici, hoc est cicatricem inducentes.

Puluis pro abstergendis dentibus.

℞. Cornu cerui vsti,
Pumicis,

Thuthiæ,

Tuthiæ præparatæ,
Cinnamomi,
Sideritidis tostæ ana drach. j.
Misce, & fiat puluis subtilissimus.
Hic puluis habetur in Antidotario Florentino.

Puluis pro abstergenda cute eiusdem Antidotarij Florentini.

℞. Sulphuris,
Cumini,
Baccarum lauri,
Staphidis agriæ ana vnc. j.
Fiat puluis, qui oleo rosato excipiatur.

Puluis incarnans Ioannis à Vico.

℞. Aloes,
Myrrhæ ana drach. j.
Sarcocollæ drach. j. & semis.
Thuris,
Pollinis farinæ ana drach. ij.
Sanguinis draconis,
Terræ lemniæ ana drach. ij. & semis.
Tuthiæ,
Lythargyrij,
Tragacanthæ ana drach. j.
Fiat puluis subtillimus.

Puluis ad cicatricem inducendam.

℞. Cort. thuris,
Myrrhæ,
Lythargyrij,
Cort. mali granati ana partes æquales.
Fiat puluis tenuissimus, & inspergatur.
Qui vult puluerum copiam in omni genere, adeat Antidotarium speciale Vuecheri.

DE ELECTVARIIS.
Aromaticis.

CAPVT XIIII.

SCribit hoc in loco Renodæus ex pulueribus, & speciebus iam descriptis, vel alijs cardiacis, aut venenis resistentibus aliquo liquore idoneo dilutis confectiones quasdam fieri molles, quæ nunc antidota humida, nunc opiata, nunc confectiones cordiales vocantur. Earũq; aliquas esse ait, quæ cardiaca sunt tantùm, vt quæ spiritus, ac partes vitales recreant, alias alterantes, & somnificas, quæ simul alterant, somnũque conciliant. Ea, quæ aromatica sunt, hoc nomine dicuntur, quòd ex electis constant aromatibus, siue quia præ cæteris medicamentis eliguntur.

Sunt autem eadem vel liquida, vel solida, hoc est, mollis, vel duræ substantiæ. Rursus alia officinis vsualia, alia magistralia, eò quòd pro Medici arbitrio, & pro vt fert occasio, ex specierum, conseruarum, & liquoris certa mensura, ac mixtione parantur, atque harum confectionum aliquæ dicuntur opiatæ, & sunt in duplici differentia; aliæ enim recipiunt opium, & verè opiatæ dicuntur, alia verò impropriè ita à Gallis appellatæ sunt ob similitudinem, quam habent cum electuarijs opiatis.

Iam verò aromatum quantitas melli, vel saccharo inspergenda plerunque in ipsa compositione expressa est, vt pulchrè notat Bertaldus, vel vbi expressa non sit, additur mellis, aut sacchari quãtùm sufficit: vt plurimùm quantitas mellis, & sacchari est ad triplam proportionem, quamuis non conueniant inter se Authores; aliqui enim addunt quadruplum, imò & sextuplum mellis. Mercurialis libro 3. de compos. medic. cap. 13. admonet huiusmodi conseruas fieri tam ex melle, quàm ex saccharo, sed quæ fiunt cum melle, semper sunt efficaciores, quæ verò cum saccharo, semper sunt iucundiores, sed minus efficaces. Obseruat deinde pharmacopœos, quando faciunt confe-

confectiones hasce cũ saccharo multùm errare, si pro qualibet sacchari vncia apponant semidrachmam aromatum, cum deberent ponere pro qualibet vncia sacchari drachmam vnam. Notat etiam hoc loco species, ex quibus fiunt huiusmodi aromata esse in duplici differentia, aliæ dicuntur completæ, aliæ incompletæ: completæ sunt illæ, in quibus est moschus, & ambra, incompletæ verò, in quibus nec ambra, nec moschus continetur.

Vsus antidotorum aromaticorum, varius, & multiplex est; nam faciunt ad intemperies partium corrigendas, coctiones iuuandas, spiritus vitales refocillandos, malignæ putredini resistendum: obstuctiones etiam aperiunt, vrinas, & menses prouocant, primis suis, secundis, ac tertijs etiam qualitatibus, & nonnunquam à propria substantia.

Dosis aromaticorum varia est; nam aliquando offerimus vnciam semis, nonnunquam verò vsque ad vnciam vnam, si potissimùm sint tabulata. Tempus autem est ante cibum per quatuor horas. Inter autem alias aromaticas confectiones, vel electuaria, illud est, quod aromaticum garyophyllatum à Mesue vocatur, & ab Excellentissimo Collegio Bononiensi nuper reformato, & ampliato ad hunc modum proponitur.

Aromaticum Garyophyllotum Mesuæ.

℞. Garyophyllorum drach. vij.
Macis, **
Zedoariæ,
Galangæ,
Sandali citrini,
Trochisc. diarhodon.
Ligni aloes, **
Spicæ nardi,
Piperis longi,
Cardamomi maioris ana drach. j.
Rosarum vnc. semis.
Glycyrrhizæ,
Cinnamomi,
Galliæ moschatæ, ana drach. ij.
Folij,
Cubebæ ana scrupul. ij.
Ambræ griseæ drach. j.
Moschi scrupul. semis.
Syrupi de corticibus citri quantũ sufficit.

Ad annos duos conseruatur.

Cor, ventriculum, & reliquum ventrẽ inferiorem roborat, nauseam, & vomitum sedat, flatus dissipat, & humorum putredinem in ventriculo arcet.

Dosis à drachmis tribus ad quinque.

Pro folio alij accipiunt calamum aromaticum, alij verò cassiam ligneam, laudo potiùs calamum aromaticum.

Aromaticum Rosatum Mes. Descriptio Gabrielis, maius, & primum.

℞. Ros. rub. drach. xv.
Glycyrrhizę rasę dr. vij.
Ligni aloes,
Sandalorum citrinorum ana drach. iij.
Cinnamomi electi drach. x.
Macis,
Garyophyllorum ana drach. ij. & semis.
Gummi arabici,
Tragacanthæ ana drach. ij. & scrupul. ij.
Nucis moschatæ,
Cardamomi,
Galangæ ana drach. j.
Spicæ nardi drach. ij. **
Ambræ griseæ scrup. ij.
Moschi scrupul. j.
Syr. ros.
Syr. de corticibus citri ana quantum sufficit.

Seruatur per annum, & vltra in vase fictili vitreato.

Cor, ventriculum, atque totum ventrem inferiorem roborat, appetentiam excitat, coctionem iuuat, ventriculi humiditatem excrementosam, & ab ea putredinem omnem corrigit, & conualescentibus auxiliatur.

Dosis à drachma vna ad quatuor.

In hoc electuario adscripto Gabrieli (quamuis nullus Author scribat quis nã fuerit iste Gabriel) plurimùm inest virtutis, & efficaciæ, vtcunque tamen sit, à Mesue multa electuaria traduntur cardiaca, & suaueolentia; sed speciatim sex, quæ ipse omnia aromatica appellat. Renodæus probat tantummodo aromaticum hoc rosatum Gabrielis.

Cæteris omnibus magis vsitatum est istud.

Diam-

Diambra Mesuæ.

℞. Cinnamomi drach. vj.
Doronici, seu zedoariç,
Garyophyllorum,
Macis,
Nucis moschatæ,
Folij,
Galangæ ana drach. iij.
Spicæ indicæ,
Cardamomi maioris,
minoris ana drach. j.
Zingiberis dr. j. & sem.
Ligni aloes,
Sandali citrini,
Piperis longi ana drach. ij.
Ambræ drach. j. grana. x.
Moschi drach. semis.

Cum syrupo rosato, & aqua rosarum fiat electuarium, si autem voluerint parare in rotulis, pro vncia vna specierum accipiant libram vnam sacchari albissimi in aqua rosacea dissoluti.

Ad omnem corporis imbecillitatem, & noxam à frigido est efficacissimum, viscera omnia calefacit, roborat, coctionem iuuat, affectibus vteri ex intemperie frigida, & humida natis prodest. Senibus quoque, & mulieribus salubre medicamentum est.

Ambræ non omnes Authores eandem quantitatem ponunt; nam alij drachmã, alij scrupulos quatuor, alij grana nouem ponunt; ego verò existimarem satiùs esse, vt non excederet drachmam semis, ita vt sumerem tantum de moscho, quantum de ambra.

Ambra grisea ab omni illuuiæ expurgata cęteris omnibus pręferenda est, quę sit leuis, & vbi acu fuerit confossa, ex hoc foramine oleum exeat; huiusmodi electuarium diambra vocatum vsitatissimum est, & præsertim pro mulieribus hystericis.

Dosis eadem, ac superior.

Conseruatur pro duobus annis in fictili vitreato.

Dianisum Mesuæ.

℞. Sem. anisi drach. xx.
Glycyrrhizæ,
Mastiches ana vnc. j.
Carui,
Macis,
Galangæ,
Zingiberis,
Sem. fœniculi ana drach. v.
Cinnamomi drach. x.
Triumpiperum,
Calaminthæ,
Pyrethri,
Cassiæ ligneç ana dr. ij.
Cardamomi maioris,
Garyophyllorum,
Cubebç,
Croci,
Spicæ nardi ana drach. j. & semis.
Sacchari vnc. ij.
Mellis despumati quantum sufficit.

Species ad annum, electuarium verò ad biennium potest seruari.

Dosis à drach. duabus ad sex, & octo.

Crassis flatibus in ventriculo genitis, eiusdemque intemperiei frigidæ succurrit, tussique diuturnæ prodest à causa frigida genitæ, quamuis huiusmodi electuarium sit Mesuæ, non est tamen in multo vsu.

Diacalaminthon Mesuæ.

℞. Calaminthæ montanæ,
Menthastri veri,
Seselios,
Petroselini ana drac. vj.
Zingiberis drach. iij.
Sem. apij,
Summit. thymi ana dr. ij.
Ligustici drach. vj.
Piperis nigri drach. xij.
Mellis despumati quantum sufficit.

Seruatur ad annum.

Auxiliatur ijs, quos cibi fastidium vrget, appetentiam reuocans, ægrè quoque spirantibus, ventriculo refrigerationem sentienti, & flatibus, distento confert.

Datur à drachma vna ad drach. iiij.

Diacuminum Nicolai Alex.

℞. Cumini die noctuque in aceto macerati, &

ti, & in vmbra exiccati drach. viij. & scrupul. j.
Cinnamomi drach. v.
Garyophyllorum drach. ij. & semis.
Galangæ,
Satureię,
Calaminthę ana drach. j. & scrupul. ij.
Zingiberis,
Piperis nigri ana drach. ij. & gran. v.
Ameos,
Lybistici ana drach. j. & gran. x. & viij.
Piperis longi drach. j.
Spicæ nardi,
Nucis moschatæ,
Cardamomi ana scrupul. ij. & semis.
Sacchari albi quantum sufficit.

Et fiant rotulę, ita vt pro qualibet vncia specierũ libra vna sacchari capiatur, si autem formatur electuarium, fiat cum melle.

Per annos duos seruatur, & non vltra.

Arthriticis, difficultati spirandi, tussiculosis, inflationibus efficaci est adiumento, noxam ventriculi corrigit, coctionem affert, adstrictionum vitia sanat, & febre quartana laborantibus confert.

Datur à drachmis duabus ad vnciam vnam.

Notat Costęus hoc in loco, cuminum cùm sit duplex, satiuum, & syluestre, esse sumendum satiuum, quamuis descriptio hęc diacumini sit potiùs adscribenda Nicolao, quàm Mesuæ; suum enim diacuminum Nicolaus composuit ad huius æmulationem.

Diacalaminthon Gal. 4. de tuenda valet. c. 6.

℞. Calaminthæ,
Pulegij,
Petroselini,
Seselios ana vnc. j.
Sem. apij,
Summit. thymi ana vnc. ij.
Sem. lybistici vnc. viij.
Piperis vnc. xxiiij.

Valet ad idem vt diacalaminthon Mesuę adscriptum.

Idem est conseruationis tempus, & dosis est eadem.

Electuarium de cinnamomo Mesuæ.

℞. Cinnamomi subtilis, & electi drach. xxx.
Cassię lignee,
Enulę,
Cumini ana vnc. semis.
Galangę drach. vij.
Garyophyllorum,
Piperis longi,
Cardamomi maioris,
minoris,
Zingiberis,
Macis,
Nucis moschatę,
Ligni aloes ana drac. iij.
Croci drach. j.
Sacchari tabarzet vnc. v.
Moschi scrupul. ij.

Cum melle despumato quantum sufficit, fiat electuarium.

Potest seruari per annos duos, & non vltra.

Frigidæ ventriculi intemperiei prodest, coctionem iuuat, pituitæ putredinem prohibet, & distributionem alimenti in corpus promouet.

Datur à drachma vna vsque ad quatuor.

Huiusmodi electuarium non in omnibus locis est in vsu ob cinnamomi veri inopiam, quæ etiam erat tempore Galeni.

Dianthos Nicolai Alex.

℞. Flor. rosmarini vnc. j.
Violarum,
Rosarum,
Glycyrrhizæ ana drach. vj.
Cinnamomi drach. ij. & scrupul. ij.
Garyophyllorum,
Spicæ nardi,
Nucis moschatæ,
Galangę,
Zingiberis,
Zedoariæ,
Macis,
Ligni aloes,
Cardamomi,
Sem. anisi,
anethi ana scrupul. iiij.

Mellis

Mellis quantum sufficit, fiat electuarium, aut sacchari, & fiant rotulæ.

Ad annos duos conseruatur.

Prodest præter rationem cardiacis, animi lætitiam auget, eos roborat, qui à longo morbo debiles adhuc se se refocillant, ventriculum emendat.

Datur à drach. j. vsque ad vnc. semis. Febrientibus cum aqua, alijs cum vino.

Diamargariton frigidum.

℞. Sem. citrulli,
Cucurbitæ,
Melonum,
Cucumeris,
Portulacæ,
Papaueris albi,
Sandali moschatellini,
Ligni aloes,
Zingiberis,
Rosarum rubearum,
Flor. nymphεæ,
Borraginis,
Myrtillorum ana drac. j.
Corallorum alborum,
rubeorum ana drach. semis.
Margarit. vtrarũque ana drach. j. & sem.

Sacchari quantũ sufficit, fiat electuariũ.

Nota, quod in electuario debent poni semina, non autem in speciebus, nisi quãdo venduntur, quia non conseruantur sine saccharo, ideo melius erit, vt pharmacopolæ tantùm componant electuarium, & quando ordinantur species, loco drach. j. specierum ponant vnc. semis electuarij.

Nam pulueres aromatici, seu cordiales, vel per se seruantur in vase idoneo ritè clauso, ne eius virtus expiret, vel cum melle reducuntur in electuariũ liquidum, vel cũ saccharo perfectè cocto in electuarium solidum, seu tabulatum coguntur.

Species huius diamargariti in officinis solent seruari ea ratione, vt vel dissoluantur in epithematibus, vel vt alijs medicamentis intrò assumendis misceantur, quamuis putem melius esse vtroque modo ipsum seruari.

Huiusmodi electuarij, quod à margaritis nomen assumpsit, tam varia est descriptio, vt vix cõstet, quis fuerit Author.

Seruatur annis duobus.

Virium imbecillitatem firmat, succurrit ijs, quos animus deficit, siue à corde, siue à stomacho deliquiũ originem ducat. Omnem noxæ causam vitalium partium discutit, insuper asthmaticis, tussientibus, tabidis auxiliatur, longo morbo deiectos, & imbecillitate languentes recreat, & ad pristinum robur conducit.

Datur à drach. ij. ad vj. & vnc. j.

Diamargariton calidum Auicen. xxj. tertij tract. 2. cap. 2. de regimine prægnatium.

℞. Margarit. non perforat,
Pyrethri ana drach. j.
Zingiberis,
Mastiches ana drach. iiij.
Zedoariæ,
Doronici,
Sem. apij,
Rad. rubeæ tinctorum,
Cardamomi,
Nucis moschatæ,
Cherphæ,
Macis ana drach. ij.
Been albi,
rubei,
Piperis,
Piperis longi ana dr. iij.
Cinnamomi drach. x.
Sacchari albissimi quantum sufficit.

Seruatur annis duobus vel tribus, loco huius solet vsurpari illud diamargariton Nicolai, ideo non est inutile species vtriusque præparare, & conseruare.

Valet mulieribus; rectificat enim dispositionẽ matricis, & earum ventriculũ.

Datur à drachmis duabus ad quatuor.

Diamoschum dulce Mesuæ.

℞. Croci,
Doronici,
Zedoariæ,
Ligni aloes,
Macis ana drach. ij.
Margarit. albarum,
Setæ crudæ tostæ,
Charabæ,
Corallij rubei ana drach. ij. & semis.
Galliæ moschatæ,

Ocimi citrati ana drach. j. & semis.
Been albi,
rubei,
Folij,
Spicæ indicæ,
Garyophyllorum ana drach. j.
Zingiberis,
Cubebæ,
Piperis longi ana drach. j. & semis.
Moschi scrupul. ij.

Confice cum melle crudo, quod sit quadruplum ponderis omnium. Si autem volueris parare in rotulis pro singula vncia specierum accipiatur libra vna sacchari; at si amara fiat confectio, huic adde infrascripta.

℞. Absynthij,
Rosarum ana drach. iij.
Aloes optimi drach. iiij.
Castorij,
Ligustici ana drach. j.
Cinnamomi drach. ij. & semis.

Dulce ad tres annos, amarum etiam ad quatuor seruatur.

Prodest cordis palpitationi, tumultuosis insomnijs, ac ijs qui incertis timoribus corripiuntur, malis cerebri frigidis, vertigini, comitialibus, oris torturæ, paralysi, & difficulter spirantibus succurrit.

Datur à drachma vna ad duas.

Multæ sunt huius electuarij descriptiones præsertim apud Arabes, vna tamen pręceteris ab omnibus Authoribus, Collegijs, & Antidotarijs non solùm probatur, sed maximè cõmendatur, duobus exceptis, alter est Cronimburgius, qui de huiusmodi electuarijs ad hũc modum scribit. Vtraque tamen pretiosa est, & elegans, sed neutra ritè parari (meo iudicio) apud nostros potest, propter quorundam ingredientium penuriam, & vt ea maxime habeamus omnia, non video interim tam magnificos Aromatarios, qui temerè adeo magnos sumptus in vno pharmaco facere aut queant, aut velint, neque item adeo nobiles, ac diuites valetudinarios, qui tanto ære sanitatem conseruare, aut morbũ profligare in animum induxerint, & alioqui eo carere possumus; hæc Bernardus Dessennius Cronimburgius.

Quare hic Author compositionẽ hanc nulla alia ratione detestatur, nisi ob ingẽtẽ expensam, quæ fit in ea paranda, quod fortasse euenit in suis partibus, minimè in nostris, vbi habemus omnia pro exiguo pretio, & in comuni est vsu.

Ioannes quoq; Renodæus hanc cõpositionem omninò deleuit, verùm eius loco propriã apposuit; nã inquit, multas esse descriptiones à veteribus traditas, quę passim occurrunt in Antidotarijs singulis eãdẽ facultatem habentes, quia continẽt aromata calida promiscuè confusa, ac ferè nullo delectu cõgesta, vt sunt diacuminũ, dianisum, diazingiber, diatrion pipereon, diamargariton calidum, diamoschũ dulce, & amarum, quę nõ nisi eosdem effectus proferunt, cum easdem facultates habeant, quo circa, inquit, veterem diamoschi descriptionem non tantùm castigaui, sed neglexi, & aliam substitui.

Sed Renodęus, & ipse deceptus est; nã non valet hęc consequentia, aromata sunt calida, & sicca, ergo omnia producũt eosdem effectus; aliud enim est ea cõsiderare, vt sunt simplicia, aliud quatenus faciunt cõpositionem. Primo modo accepta falsum est eosdem effectus producere; nã etsi ratione complexionis sint calida, differũt tamen in gradibus, à quibus prodeũt operationes. Prout verò faciunt cõpositionẽ, non operantur vt simplicia, sed vt cõposita sunt: cùm igitur diuersa sit compositio horũ antidotorũ, de quibus facit mentionem Renodæus, variã à sua compositione faciunt operationem. Hinc rectè Mesue adscripsit vnicuique propriã operandi facultatẽ, quare nec minus audax videtur Renodæus, qui ausus fuerit destruere hãc diamoschi compositionem, quæ à magistro omnium fuit inducta. Nullus sanè est, qui peritior in compositionibus medicamentorum faciendis Mesue fuerit, vt omnes testantur Authores de hac materia scribentes, inter quos maximè commendandum est Collegium Benoniense, quod hanc diamoschi descriptionem recepit, confirmauit, & probauit.

Falsum est etiam in huiusmodi antidotis aromata, esse sine dilectu congesta; à Mesue enim omnium peritissimo cõposita sunt, omniaque in eis habentur, quæ reliqui pharmacopœi pollicentur.

Diagalanga Mesuæ.

℞. Galangæ,
Ligni aloes ana drach. vj.
Garyophyllorum,
Macis,
Ligustici ana drach. ij.
Zingiberis,
Macropiperis,
Leucopiperis,
Calami aromatici ana drach. j. & semis.
Cinnamomi drach. iij.
Calaminthæ siccæ,
Menthæ siccæ,
Cardamomi maioris,
Spicæ nardi,
Sem. apij,
foeniculi,
anisi,
carui ana drac. j.
Sacchari albissimi drach. x.

Terantur omnia simul, & cum melle despumato, quantum sufficit, fiat electuarium.

Species annum, electuarium verò non excedit biennium.

Valet aduersus crassiores flatus, acidos ructus, prauamque coctionem. Item actiones ventriculi, & iecoris à frigiditate impeditas robustiores reddit, eiusdemque emendat.

Datur à drachmis duabus ad tres.

Hoc loci solent Autores describentes aromaticas hasce confectiones, vnam addere, quam diathamaron plerique appellant ex Nicolao, quamuis Nicolaus appellet diacamareon. Verùm huiusmodi electuarium, etiam si efficaciter proficere ex ingredientibus compositionem videatur, & profit difficulter spirantibus, arteriacis, tussientibus, tabidis, & omni affectioni prȩternaturam thoracis, & stomachi, hydropicis, renumque doloribus, & voluptatem pariat, corpora saginans, quia tamen rarò, aut nunquam in vsum venit, eiusq; compositio laboriosa est, & pondera multum variant apud scriptores, decreui ipsam prætermittere, & deuenire ad ea, quæ magis vsitata sunt.

Hisce electuarijs aromaticis adnectere consueuerunt nonnulli scriptores diapenidion, vtrunque diairios, tum simplex, tum compositum, diatragacanthum calidum Nicolai, diatragacanthum frigidum cum bolo, Verùm nos existimamus satiùs esse, vt primò afferamus ea auxilia aromatica, quæ fauent omnibus partibus nutritioni facientibus, inter quas prima est diatrion sandalon Nicol. Myrepsij.

Diatrionsandalon Nicol. Myrep. Antid. 213.

℞. Sandalorum alborum,
rubeorum,
citrinorum,
Sacchari candidi ana drach. iij.
Rhabarbari,
Spodij,
Succi glycyrrhizæ,
Sem. portulacæ ana drach. ij. gr. xv.
Amyli,
Gummi arabici,
Tragacanthæ,
Sem. melonis,
Citruli,
Cucumeris,
Cucurbitæ,
Scariolæ ana drach. j. & semis.
Camphoræ scrupul. j.
Violarum vnc. semis.
Syrupi rof. quadruplum, si fiat sub forma electuarij; si verò in forma solida, sacchari quantum sufficit.

Pollet aduersus iecinoris, & ventriculi calorem mirum in modum, prodest itidem tabidis, & morbo regio correptis.

Datur à drachmis duabus ad sex.

Nec vltra annum seruatur.

Notat hic Ioannes Renodæus inter viginti electuarij huius descriptiones vix duas similes comperiri posse; nam alij pro zuccaria semen cicutæ ponũt, vt Ioubertus, alij semen psyllij, vt Foesius, alij vtrunque omittunt, vt Valerius Cordus, alij saccharum candum volunt, vt Rondeletius, alij violas vt Fuchsius. Eadem est varietas in rheo, amylo, & camphora, quorum singula à singulis modò auferuntur, modò adduntur. Ipse verò Renodæus ad hunc modum describit.

℞. Triumsand.
Rof.
Sem. psyllij ana drac. ij.
Rhabarbari,
Scobis eboris,
Succi glycyrrhizæ,
Sem. portulacæ ana drach. j. & semis.
Gummi arabici,
Tragacanthi,
Sem. quat frigid. maio.
Scariolæ, ana drach. j.
Camphoræ scrup. semis.

Notat hic Renodęus psyllium apponendum esse, amylum verò expungēdum, quòd suo lentore nimium obstruat, camphoram verò diminuit, ita vt solùm apponat scrupul. semis.

Laudamus hoc electuarium, quemadmodum Collegium Bononiense describit, nisi quod loco spodij appono rosas in quo relinquuntur violæ, sed in pauca dosi, nempe ad vnc. semis, & camphora ad scrupul. j. quamuis mihi magis arrideret, si loco scrup. j. poneretur scrupul. semis.

Diaxyloaloes Mesuæ.

℞. Ligni aloes crudi,
Rosarum,
Cinnamomi an. vnc. j
Garyophyllorum,
Spicæ indicæ,
Macis,
Nucis moschatæ,
Galliæ moschatæ,
Cubebæ,
Cardamomi maioris
minoris,
Mastiches,
Cyperi,
Schœnanthi,
Zedoariæ,
Been albi,
rubri,
Folij,
Setæ crudæ,
Margaritarum,
Corallij rubei,
Carabę,
Fol. citri,
Cort. citrei mali,
Ocymi garyophyllati,
Sisymbrij,
Menthæ siccæ,
Sampsuci,
Piperis longi,
Zingiberis ana vnc. semis.
Moschi scrupul. j.
Ambræ drach. j. & semis.

Electuarium confice cum melle emblicorum, & miua aromatizata.

Prodest malis ventriculi, cordis, & iecoris frigidis, animi defectioni, concoctioniq́ue; oris fætorem abigit, lætitiamq́ue parit.

Datur à drachma vna ad tres.

Aetas eius ad quartum annum accedit adhibita diligentia, tum in reponendo, tum in conseruando.

Diatrion pipereon simp. Gal. 4. de tuendæ sanit cap. 5.

℞. Piperis nigri,
albi,
longi ana drach. xxxxx.
Zingiberis,
Anisi,
Thymi ana vnc. j.
Mellis quantum sufficit.

Fiat electuarium.

Refrigerato ventriculo auxiliatur, & acido ructui, quartana resolutis, iecinorosis, & inflationibus prodest.

Datur à drachma vna ad duas.

Per duos annos conseruatur.

Diatrionpipereon Mesuæ.

℞. Triumpiperum ana drach. vij. & semis.
Zingiberis,
Thymi,
Anisi ana drach. iij.
Spicæ nardi,
Ammi ana drach. j. & semis.
Cassiæ lignëæ,
Helenij sicci,
Sem. apij,
Seseleos,
Asari ana scrupul. ij. & gran. vj.
Mellis despumati quantum sufficit.

Stomachum, & ventrem calefacit, coctionem iuuat; ructus acidos tollit, doloresque ventriculi ex cruda pituita compescit.

Datur à drach. vna ad duas.
Et idem conseruationis tempus.

Diazingiber Nicolai Præpositi.

℞. Zingiberis,
Galangæ,
Garyophyllorum,
Nucis moschatæ,
Granorum paradisi,
Piperis longi,
Macis,
Cardamomi,
Spicæ indicæ,
Rhabarbari,
Rof. rubearum ana grana xv.
Cinnamomi scrup. j. & gran. vj.
Nucleorum pinearum mundat. vnc. sem.
Pistaciorum drach. ij.
Anisi,
Fœniculi,
Glycyrrhizæ rasæ,
Croci ana drac. sem.
Sacchari albissimi quantum sufficit.
Fiat electuarium, aut confectio solida.
Ventriculum roborat frigidum, vitio pectoris ex frigiditate valet, renes confortat, libidinem potenter excitat.
Datur à drach. j. ad vnc. semis.
Conseruatur per annum.

Electuarium Ducis Nicolai.

℞. Anisi,
Glycyrrhizæ,
Mastiches ana scrupul. ij. & gran. v.
Cinnamomi drach. j. gran. vj.
Chamędryos,
Zingiberis,
Galangæ,
Fœniculi,
Carui,
Xylocassiæ,
Calaminthæ,
Dauci,
Pyrethri,
Piperis albi,
longi,
Cyperi,
Schœnanthi,
Ireos,
Amomi,
Folij,
Asari ana scrupul. j. & grana xv.
Spicæ indicæ,
Croci,
Gummi arabici,
Tragacanthæ,
Sem. anethi,
Calami aromatici,
Cubebę,
Garyophyllorum,
Carpobalsami,
Cardamomi,
Ligustici,
Sem. olusatri,
Baccarum iuniperi,
Seseleos,
Rad. pentaphylli,
Sem. asparagi,
citri,
Acori,
Ammios,
Rhabarbari,
Nucis moschatæ,
Ligni aloes,
Ocymi,
Milij solis,
Sem. saxifragiæ,
Nucleorum sem. citruli,
Cucumeris,
Melonis,
Cucurbitæ,
Sem. scariolæ,
Petroselini maced.
Been albi,
rubei,
Styracis calamitæ ana scrupul. semis, & gran. v.
Sacchari albissimi quantum sufficit, vel mellis.
Penidiorum drach. iiij. scrupul. ij. & semis.
Valet ad indigestionem, & ventositatem stomachi, & intestinorum, & ilei dolorem, & lapidis.
Conseruatur per annos tres.
Datur à drach. vna ad vnciam semis.

Electuarium iustinum Nicol. Alex.

℞. Cinnamomi drach. iij.
Folij,

Costi,

Costi,
Spicæ nardi,
Cassiæ ligneę
Aristolochiæ rotundę,
longæ,
Helenij,
Hyssopi,
Pulegij,
Arthemisiæ,
Rad. quinque folij,
Piperis albi,
Orobi,
Petroselini,
Leuistici,
Petroselini macedonici,
Sem. vrticæ,
Lithospermatis,
Saxifragiæ,
Baccarum lauri,
Iuniperi,
Sem. asparagi,
Seseleos,
Anethi,
Sem. rutæ domesticæ,
Sem. citri,
Anisi,
Fœniculi,
Apij ana drach. j. & semis.
Mellis despumati quantum sufficit.

Valet ad dolorem renum, calculos frangit, arenam expellit, & stranguriam dissoluit.

Datur à drachmis duabus ad quatuor.
Conseruatur per annos duos.

Electuarium plerisarcoticon Nicolai Prapos.

℞. Cinnamomi drach. ij. scrupul. j. & gran. vj.
Garyophyllorum,
Ligni aloes,
Galangæ,
Spicæ nardi,
Nucis moschatę,
Zingiberis,
Spodij,
Schœnanthi,
Cyperi,
Rosarum,
Violarum ana drach. j. & gran. xv.
Folij,
Glycyrrhizæ,
Mastiches,
Styracis calamitę,
Sampsuci,
Balsamitæ,
Basilici,
Cardamomi,
Piperis longi,
Myrtillorum,
Cort. citrei mali ana scrup. ij. & gran. v.
Margarit. splendidarum,
Been albi,
rubei,
Corallorum,
Serici combusti ana scrupul. j. grana iij. & semis.
Moschi gran. vij. & semis.
Camphoræ gran. v.
Syr. ros. quantum sufficit.

Tristibus, melancholicis, imbecillo ventriculo, deliquio animi à corde proficiscenti succurrit; memoriam amissam recuperat, comitialibus, & asthmaticis prodest, omnemque cerebri debilitatem aufert.

Datur, vt supra.
Idemque durationis tempus.

Lithontribon magnum Nicol. Alex.

℞. Cinnamomi vnc. semis, & drach. j.
Spicæ nardi,
Zingiberis,
Ligni aloes,
Calami aromatici,
Rad. paucedani,
Meu,
Triumpiperum,
Saxifragiæ ana drach. ij. & semis.
Olei nucis moschatę,
Garyophyllorum,
Costi,
Rhapontici,
Glycyrrhizæ,
Cyperi,
Tragacanthæ,
Carui,
Chamædryos,
Sem. apij,
Ammeos,
Sem. asparagi,
ocymi,

vrticæ,
apij macedonici,
citri,
Folij, ⁂
Croci,
Schœnanthi veri,
Cassiæ ligneæ,
Bdellij,
Mastiches, ⁂
Ireos,
Amomi,
Sem. ligustici,
Milij solis,
Sem. petros. maced. ⁂
Sileris,
Cardamomi,
Sem. anethi,
Euphorbij, ⁂
Lapidis iudaici,
Olei nardini,
moschellini ana scrup. j. & gran. iiij.
Mellis quantum sufficit.

Aufert indigestionem stomachi ex frigiditate: ilium, lumborumque dolorem compescit, lapides in renibus, & vesica potenter confringit, & inde mirabiliter expellit, stranguriam, & dysuriam è vestigio soluit.

Dosis ad drach. iij.

Conseruatur per annos quatuor.

Rosata nouella Myrepsij Ant. 104.

℞. Rosarum viridium,
Glycyrrhizæ ana vnc. j. scrupul. ij. & semis.
Cinnamomi vnc. j. drach. j. & scrup. j.
Garyophyllorum,
Spicæ,
Galangæ, ⁂
Zingiberis,
Nucis moschatæ,
Zedoariæ,
Styracis, ⁂
Cardamomi,
Sem. apij ana scrup. j. & grana viij.
Mellis, aut sacchari quantum sufficit.

Efficax est ad calorem stomachi, & ad iecoris, pulmonisque siccitatem; sitim restinguit, vomitum compescit; stomachi, & cordis imbecillitati succurrit, sudores dissoluentes reprimit, cardiacis, empycis, & ijs, qui diuturno morbo sunt extenuati, & in uirium defectum incidunt, admodum auxiliatur.

Dosis est drachma vna.

Seruatur per annum.

Electuarium de Aromatibus Galeno adscriptum ex Mesue.

℞. Ligni aloes crudi,
Rosarum ana vnc. ij & drach. ij.
Cinnamomi vnc. j. & drach. j.
Galliæ moschatæ,
Macis,
Doronici,
Piperis longi,
Nucis moschatæ,
Menthæ siccæ,
Spicæ,
Cassiæ,
Mastiches,
Garyophyllorum,
Asari ana drach. iiij. & semis.
Calami aromatici drach. vj.
Croci,
Cardamomi vtriusq;
Trium sandalorum,
Rhabarbari,
Costi,
Cubebæ,
Zingiberis,
Sem. fœniculi,
Anisi,
Leuistici ana drach. iij.
Sacchari, vnc. vj.
Myrrhæ aromaticæ libr. j.
Mellis despumati quantum sufficit.

Valet ad stomachi, & hepatis ægritudines ex phlegmate crasso, & ventositate factas. Digestionem confortat, canos retardat, colorem, & oris odorem efficit bonum, renes quoque calefacit, & coitum excitat; acidos ructus curat, fastidiumque, & abominationem remouet.

Ad quatuor annos potest seruari.

Dosis à drachmis duabus ad tres.

Electuarium, siue confectio de seminibus Mesue.

℞. Sem. cumini,
Anisi,

Fœni-

Fœniculi,
Carui,
Dauci,
Ameos,
Apij,
Amomi aceto horis xxiiij. maceratorum, & exiccatorum ana drach. vj.
Cinnamomi drach. x.
Zingiberis,
Macropiperis,
Seseleos,
Galangæ ana drach. v.
Cardamomi,
Spicæ indicæ,
Garyophyllorum ana drach. iiij.
Libystici drach. iij.

Mellis despumati quantum sufficit, aut saccharum, quod sit duplicis ponderis respectu omnium, & fiant species.

Sedat dolores à ventositate viscerum factas, oppilationes aperit, lubricitatemque à malitia digestionis curat.

Dosis ad vnciam semis.

Duratio verò ad biennium.

Electuarium, siue conditum, siue syrupus de fructibus Mesue.

℞. Carnium cotoneorum,
Pyrorum austerorum,
Malorum acidorum ana libr. j.

Coque, ex aceto forti, in quo horis vigintiquatuor infusa fuerit recentis sumach libra vna, deinde adde libram vnam omphaeij, carnium sorborum immaturorum vnc. v.

Sacchari libr. iiij.

Coque ad mellis crassitiem, quibus percoctis adde.

Succi berberis vnc. ij.
Spodij,
Sem. acetosæ ana vnc. j.

Repone in vase vitreo, & per annum conserua.

Valet ad solutionem ventris à causa calida, & appetitum mouet.

Datur à drachmis duabus ad tres cum aqua frigida, vel succo citri, aut ribis, aut alio simili. Loco spodij rosæ ponantur, vt supradictum est.

Electuarium diamorusia Mesue.

℞. Croci,
Acori,
Cinnamomi ana drach. ij
Myrrhæ drach. iij,
Baccarum lauri drach. ij. & semis.
Dauci,
Cinnamomi,
Cassiæ lignæ,
Cumini carmeni,
Carpobalsami,
Schœnanthi,
Sem. apij,
Anisi,
Cardamomi,
Spicæ nardi,
Menthæ siccæ,
Marrubij,
Ameos,
Costi,
Triumpiperum ana drach. j.

Mellis despumati quantum sufficit.

Valet ad dolorem stomachi à frigiditate, & ad ægritudines splenis, & hepatis chronicas.

Ad biennium extenditur eius ætas.

Datur à drachma vna ad duas.

Hæc tria electuaria in paucis locis ad vsum reuocantur, nempe diatrion santalon Nicolai Myrepsij, electuarium de fructibus, & diamorusia Mesuæ.

Electuarium de rhabarbaro Mesue.

℞. Rhabarbari,
Succi eupatori,
absynthij ana drach. v.
Myrrhæ,
Croci ana drach. j.
Spicæ nardi,
Assari,
Cassiæ ligneæ,
Schœnanthi,
Fumariæ,
Sem. anisi,
Apij,
Amygdal. amar. excorticat. ana drach. semis.

Mellis despumati quantum sufficit.

Obstructiones potenter aperit, icterum,

rum, febres putridas, etiam inueteratas, atque formæ corruptionem sanat.

Efficax est vsque ad quatuor annos.

Datur à drachmis duabus ad tres.

Hoc electuarium ab Antidotario Bononiensi non solùm probatur, verùm etiã, & commendatur in affectibus prædictis.

Musa ænea Nicol. Alex.

℞. Piperis albi. gran. x. & vij.
Thuris masculi,
Myrrhæ,
Gentianæ,
Hyoscyami ana drach. vj.
Opij drach. iiij.
Croci drach. ij. scrup. ij. & gran. xvj.
Euphorbij,
Aristolochiæ longæ ana drach. j. scrup. j. & gran. viij.
Corticis mandragorę drach. j. & scrup. j.

Duratio eadem, quæ superioris.

Datur vsque ad drachmam vnam.

Facit ad omnes accessiones periodicas febris quotidianæ, tertianæ, & quartanæ, si detur ante accessionem per horam cum vino calido, & acutarum febrium angustias tollit.

Huiusmodi confectio à paucis describitur, nec multùm in vsu est.

Dessennio Authore valde soporifera est, vnde non nisi summa necessitate cogente, & industria simul vsurpari debet.

Triphera magna Nicol. Mirep.

℞. Opij,
Cinnamomi ana drac. ij.
Garyophyllorum,
Galangæ,
Spicæ,
Zedoariæ,
Zingiberis,
Costi,
Styracis calamitę,
Calami odorati,
Cyperi,
Iridis,
Peucedani,
Acori,
Cort. rad. man dragoræ,
Nardi celticæ,
Rosarum,
Piperis,
Anisi,
Apij,
Sem. petroselini,
Fœniculi,
Amomi falsi,
Dauci,
Hyssopi,
Ocymi,
Hyoscyami ana drach. j.

Mellis quantum sufficit.

Paratur, & cum opio, & sine opio.

Auxiliatur dolori stomachi ex frigiditate, & cùm accepta fuerit statim patientem ad sudorem prouocat, phræniticis, & mulieribus, quæ ex melancholia de matrice insomnes sunt, rheumaticis, peripneumonicis, & qui excernunt excrementa cum sanguine vtilissima est.

Datur à drach. semis ad vnam, si cum opio, si sine ad duas.

Potest seruari ad vj. annos, & vltra, sicut athanasia, si cũ opio: si sine ad tres tantũ.

Tripheræ omnes latinè dicuntur delicatæ, sed puto cum Syluio omnes delicatas dici per antiphrasim; nam ob ingentem amaritudinem ingratæ sunt gustui, quamuis notet Costęus ex Scribonio Largo tripheram esse medicamentum causticam vim habens quod puto falsum esse.

Triphera minor ex arte Phanonis.

℞. Myrobalanorum chebulorum,
indorum,
bellliricorum,
emblicorum,
Nucis moschatæ ana drach. v.
Nasturtij,
Assari,
Origani persici,
Piperis,
Thuris,
Ameos,
Zingiberis,
Fructus tamarisci satiui,
Spicę nardi,
Schœnanthi,
Cyperi ana vnc. semis.
Scoriæ ferri in aceto quinque diebus nutritæ, & deinde tostæ drach. xx.

Myrabolani assentur in butyro vaccino recenti, & cætera inuoluantur oleo amygd. dulcium, aromatizentnr cum moschi drach. vna, & melle despumato, in triplici pondere excipiantur. Pro scoria ferri capiatur ferrum optimum, aut calybs attritus.

Valet ad corruptionem formæ, & exuberantiam menstruorum, hemorrhoidarum, & debilitatem stomachi, destruit humorem crudum, & clarificat colorem, cõfortat vesicam, & fluxum vẽtris abscindit.

Datur post sex menses à drach. j. ad iij. Potestque seruari vsque ad tres annos.

Triphera Saracenica magna.

℞. Myrobalanorum chebulorum,
indorum,
belliricorum,
emblicorum,
citrinorum ana drach. v.
Cinnamomi vnc. semis.
Triunpiperum,
Radicis pastinacæ satiuæ, vel poligonati,
Folij,
Spicę nardi,
Cardamomi maioris, & minoris,
Cassiæ,
Sem. naturtij, ⁂
Cyperi,
Apij,
Linguæ auis,
Garyophyllorum, ⁂
Been vtriusque,
Zingiberis ana drach. ij.
Nucis moschatę,
Macis,
Sesami excorticati ana drach. iij.
Amygdalarum dulcium,
Amararum ana drach. v.
Ligni aloes,
Mastiches,
Rhabarbari,
Sem. fœniculi ana drach. ij.
Sem. ocymi caryophyllati,
Menthę siccæ,
Origani orientalis ana drach. j. & semis.

Myrabolani fricentur cum butyro recenti, cæterę species cum oleo amygdalino, & melle excipiantur omnia.

Coctionem ventriculi, & hepatis suo calore iuuat, flatus dissipat, humores putres in visceribus absumit, oris, & corporis reliqui odorem, & colorem commendat, lassitudinem tollit, sanitatem præsentem tuetur, & morborum generationem prohibet, venerem auget, & hemorrhoidas sanat.

Datur à drachma vna, & semis ad tres.

Ad tres annos seruatur.

Hæc triphera dicitur Saracenica, cò quòd sit à Saracenis inuenta.

Triphera de epithymo Mesuæ cap. 25.

℞. Myrobalanorum chebul.
emblicorum,
belliricorum,
indorum ana vnc. j.
Epithymi sublimis vnc. ij
Hieræ picræ vnc. semis.
Confice cum melle emblicorum, aut chebulorum.

Dosis quotidie à drach. ij. vsque ad iiij.

Facit reiuuenescere, & generat gaudiũ.

Seruatur per annos tres, & quatuor.

Triphera Persica.

℞. Succorum solani,
Ediuię verę, & satiuę,
Apij,
Lupuli purgatorum ana libr. ij.
quibus immitte,
Violarum recentium, siuè siccarum,
Rosarum ana drach. iij.
Folliculorum senæ vnc. ij.
Agarici vna. j.
Prunorum damascenorum num. xxxxx.
Cuscutæ vnc. semis.
Myrobalanorum chebulorum,
citrinorum,
indorum in ol. viol. seu amygdalino,
dulci fricatorum ana drach. ij.
Spicę nardi drach. iij.

Coque igni lento prunarum ad medietatem, deinde inijce epithymi drach. quadraginta, semel feruefiat, tollatur ab igni, & coletur, & in parte colati dissolue.

Tamarindorum recentium vnc. iij.
Mannæ vnc. j. & semis.
Pulpæ Cassiæ vnc. iiij.
Sacchari violati libr. j.

Cola, vt munda sint à seminibus, & alijs, in parte reliqua, & aceti libra vna, coque igni lento, sacchari albissimi libr. tres, adde, quod prius in succis est dissoluendum, misce, percoque ad mellis crassitudinem, potremò adde paulatim.

Rhabarbari boni vnc. ij.
Myrobalanorum citrinorum vnc. j. & semis.
chebulorum,
indorum ana vnc. j.
bellirıcorum,
emblicorum ana drach. iiij.
Sem. fumariæ,
Trochisc. diarhodon,
Macis,
Masticheſ,
Cubebæ,
Spodij,
Sandali citrini,
Sem. quat. ma. frig. ana dr. ij. & semis.
Anisi vnc. semis.
Spicæ nardi drach. ij.

Fiat electuarium, & reponatur in vase vitreo.

Confert febribus acutis, & inflammationi stomachi, & hepatis, icterijcis calidis, sanat oppilationem, visum à fumis colericis deperditum reparat, sitim mitigat, morbos adustionis fieri prohibet, & est medicina magna in æstate pestilenti, & autumno.

Datur ab vnc. sem. ad vnc. j. cū aqua frigida, vel succo cichorij, vel aqua endiuię.

Aetas eius non excedat biennium.

Inter alias species tripheræ hęc postrema, quę Persica appellatur, cæteris omnibus iure anteponenda venit ob vtilitates, quas præstat maiores; videntur enim aliæ species esse vtiles ipsi ventriculo languido facto à materia frigida, quamuis etiam opem ferant hæmorrhoidibus, nimium quàm par sit fluentibus. At triphera hęc Persica in longè maiori vsu est ab omnibus practicantibus posita; nam confert febribus malignis, & omnibus morbis ex humorum vstione, & putredine natis, sitim extinguit, & sæpè iecteritiam calidam ab obstructione sanat, in febribus pestilentibus, imò, & in ipsissima peste à multis commendatur. Neque debet dari in tam pauca copia, vt Medici nostrates faciunt, non excedentes drachmas duas; nam ipsa habet aliquam facultatem soluendi, quemadmodum apparet ex medicamentis in ea admixtis, vt est manna, rhabarbarum, myrobalani omnes, à quibus solutionem quandam prauorum humorum educendorum extra corpus suscipit, quare in istis febribus malignis simul cum purgante medicamento ad vnc. j. & ad vnc. j. & semis tutò conceditur. Nulla quoque est ex tripheris prædictis, quæ nō recipiat myrobalanos priori excepta, quę nullum genus myrobalanorum recipit, & vbi hæc conceditur, non ratione febrium exhibetur, sed ratione alicuius morbi particularis, & præsertim ratione doloris, & tunc temporis conceditur cum præparatione opij.

Hic placuit apponere huiusmodi tripheras, quia vt plurimùm corroborāt viscera naturalia, & nutritioni famulantia, & pręsertim vētriculo, & hepati prosunt.

Quamuis superiores non videantur esse in vsu, hæc Persica frequentissimè vsurpatur; est enim veluti medicamentum benedictum, benignè purgans, associatum verò alijs medicamentis valet ad febres malignas, quod experientia quotidiana demonstrat.

His addere placet ea omnia electuaria mollia, quæ ad prędictas partes corroborandas faciunt, quemadmodum est diacastorium Nicolai, quod ad hunc modum componitur.

Diacastorium Nicolai Myrepsij num. xxvij.

℞. Castorij,
Myrobalanorum citrinorum ana dr. iij.
Aloes flauæ drach. j. & semis.
Scordij,
Myrrhæ,
Euphorbij ana drach. j. & grana vij.
Folij,
Pyrethri,
Tragachanthæ,
Calami odorati,
Nitri,
Galbani,
Senæ,
Schœnanthi,

Spicæ,
Opoponacis,
Rhapontici,
Sagapeni,
Styracis calamitæ,
Zingiberis ana drach. j. & gran. ij.
Cinnamomi drach. ij. & gran. iiij.
Staphisagriæ,
Sem. dauci,
Fœniculi,
Petroselini,
Sileris montani,
Nigellæ,
Amomi falsi,
Petroselini,
Styracis rubeæ,
Sanguinis draconis,
Thuris,
Salis armoniaci,
Zedoariæ,
Anisi ana drach. iij. & scrupul. ij. & semis.
Satureiæ syluestris,
Hyssopi,
Chamædryos,
Pulegij,
Origani,
Balsami,
Menthæ aquaticę,
Sem. ocymi,
Rad. brancę vrsinę,
Dictami cretensis,
Aristolochię rotundę
Brassicę syluestris,
Assari,
Saluię,
Rosarum,
Bdellij ana drach. semis.
Ambaris gran. x.
Ossis cordis ceruini drach. iij.
...naris purpurę drach. j.
Epith: mi,
Polypodij,
Opobalsami ana scrupul. semis, & granum j.
Bettonicę gran. xj.
Anacard.
Sabinę,
Gentianę,
Corticis mandragorę ana gran. x.
Serici vsti scrupul. j.
Peucedani,
Absynthij ana gran. vij.

Iridis scrupul. semis, & gran. j.

Mellis despumati optimi, aut sacchari quod satis est.

Succurrit vertiginosis, comitialibus, apoplecticis, resolutione correptis, tremulis, omnibusque frigidis morbis.

Datur in modum auellanę cum vario apogimate, sicut & confert varijs morbis.

Seruatur ad annos quatuor.

Huiusmodi electuarium rarò ad vsum reuocatur, in paucissimisque locis præparatum seruant.

Electuarium de baccis lauri Rhasis 9. ad Almansorem cap. de dolore colico.

℞. Fol. rutæ drach. x.
Sem. ammeos,
cumini,
nigellæ,
ligustici,
carui,
dauci,
Acori,
Origani,
Amygdal. amar.
Piperis nigri,
longi,
Menthastri,
Baccarum lauri,
Castorei ana drach. ij.
Sagapeni vnc. semis.
Opoponacis drach. iij.
Mellis triplum, id est libram vnam, vnc. quatuor, & drach. vij.

Valet ad colicam, & iliacam passionem, & doloribus intestinorum ex causa frigida, vel flatuosa. Adhibetur vtiliter enematibus.

Dosis, à drachmis duabus vsque ad sex potest quandoque extendi.

Aetas quatuor annis comprehenditur ad summum, non vltra.

Hoc electuarium Rhasis ad Almansorē cum æquali quantitate mellis parat, vt efficaciùs reddatur, hinc admonet Bertaldus melius esse addere triplam quantitatem mellis, sed Medici eo rarissimè vtuntur, nec nisi in clysteribus.

Diacorum Mesuæ in tractatu de ægritudinibus neruorum cap. 1.

℞. Rad. secacul.
Nucleorum pinearum mundat.
Calami aromatici ana libr. j. & semis.

Radices secacul repurgatæ, & minutim incisæ, coquantur in aqua pura vsque ad aquæ consumptionem, postea tundantur, & terantur, donec pultis consistentiã consequantur. Deinde infunde illis mellis optimi despumati libras decem, & lento igne coquito, quoad iustam consistentiam acquirant, diligenter agitando, ne in vasis fundo adurantur radices. Quo peracto ab igne deponantur, & adijciantur radices calami aromatici tenuissimè tritæ, & nuclei pinei mundati minutim contusi cum sequenti puluere, qui recipit.

Piperis vnc. j.
Piperis longi,
Garyophyllorum,
Zingiberis ana vnc. semis.
Nucis moschatæ,
Galangæ,
Cardamomi ana drach. iij.

Omnia simul commixta, & vnita diligenter agitentur, & in electuarij formam reducantur.

Ad omnia neruorum vitia frigida confert, acuit omnes sensus, & ingenium, sedat dolores capitis ex causa frigida; est enim peculiare remedium frigidarum, ægritudinum senum, & maximè catarrhi.

Ad duos seruatur annos.

Datur ad vnc. semis.

Hoc electuarium reponitur inter ea, quæ caput, & neruos corroborant.

Electuarium diureticum Montagnanæ.

℞. Cineris putaminum ouorum, ex quibus pulli sunt exclusi,
Vitri combusti,
Lapidis spongiæ,
iudaici ana drach. j. & semis.
Sem. apij,
Rusci,
Petroselini,
Asparagi,
Ligustici ana drach. j.
Anisi,
Glycyrrhizæ ana vnc. semis.
Sanguinis hirci præparati drach. v.
Mucilaginis granorum muchoitæ (idest sebesten) libr. vnam.
Sacchari rubei libr. semis.
Oxymellis compositi vnc. iij.
Pistaciorum depuratorum vnc. iiij.

Infundantur pistacia in aqua cineris calidi per duos dies, postea minutim incidantur, & coquantur simul mucilagines, oxymel, & saccharum ad spissitudinem, deindè in mortario incorporentur cum pistacijs, & alijs speciebus, fiatque electuarium.

Confert in vrinæ retentione; vrinam enim potenter prouocat, & calculos frangit, ideo ischuriæ, dysuriæ, stranguriæque confert.

Exhibe drachmas duas, vel etiam tres.

Conserua per annos duos.

Hoc electuarium Montagnanæ validum est, & in Italia in maximo vsu. De præparatione vitri habemus in fine huius Antidotarij.

Zazenea Mesuæ, seu Azaraui Antidotum, alij sageneam, & segeteam vocant.

℞. Castorei,
Opij,
Piperis,
Macropiperis,
Galbani,
Costi,
Phu,
Mei,
Dauci,
Assari,
Croci ana partes æquales.
Cinnamomi partes ij.
Mellis despumati quantum sufficit, & fiat electuarium secundùm artem.

Frigidam intemperiem sanat, flatus dissipat, atque ex illis natos dolores, ventriculi, coli, vteri, dentium. Vrinæ item difficultati medetur, fæcundas facit mulieres per os assumptũ; & pesso cum lana, &

oleo liliorum, collo vteri imposita. Verùm eius vsus non sit ante biennium, nisi in dolore dentium, in quo licet vti post sex menses.

Dosis à scrupulo vno ad quatuor.

Seruatur ad decennium.

Huiusmodi medicamentum frequentissimum est, & tutissimum, quo in affectibus vrinæ dolorosis, & in colico sępisimè vsus sum, & quamuis multæ sint descriptiones ab Auicenna, Serapione, & alijs, Manardus cæteris omnibus anteponit hanc Mesuei descriptionem, qua sæpissimè, vt dicebam, vtor.

Electuarium de cineribus Auicennæ fen xviij. tertij tract. 2. cap. 19.

℞. Cineris vitri,
scorpionum,
radicum caluium nabati,
leporis,
corticum oui, à quo pullus egressus fuit,
Lapidis spongiæ,
Sanguinis hirci exsiccati, & præparati,
Lapidis iudaici,
Gummi nucis,
Radicum acori ana vnc. j.
Sem. petroselini,
Dauci,
Pulegij,
Gummi arabici,
Seminis althçæ,
Piperis ana vnc. j. & semis.

Puluerizentur omnia subtilissimè, & cum vncijs decem mellis cocti, & despumati fiat electuarium, quod in vase benè obturato reponatur, & sæpè cum spathula commisceatur.

Renum, & vesicæ calculos comminuit, & potenter expellit.

Dosis sit vsque ad drach. tres cum aqua tribulorum decoctorum cum ciceribus nigris.

Vsque, ad tres annos potest seruari.

A paucissimis authoribus describitur huiusmodi electuarium, neque vidi aliquem eo vtentem, nihilominus est maximè rationale.

Diarhodon Abbatis Nicol. Prapos.

℞. Sandali albi,
rubei ana drach. ij. & semis.
Tragacanthæ,
Gummi arabici,
Spodij,
Cinnamomi ana scrupul. ij.
Asari,
Spicæ nardi,
Mastiches,
Cardamomi,
Succi glycyrrhizæ,
Croci,
Ligni aloes,
Garyophyllorum,
Galliç moschatç,
Anisi,
Fœniculi,
Rhabarbari,
Sem. ocymi ana scrupul. j.
Berberis,
Sem. scariolæ,
portulacæ,
cucurbitæ enucleatorum,
citrulli,
cucumeris,
melonis,
papaueris albi,
Corallij,
Chrystalli,
Sem. lactucæ,
Mandragoræ ana scrupul. j.
Margaritarum,
Ossis de corde cerui ana scrup. semis.
Sacchari candidi,
Rosarum ana vnc. j. & drach. iij.
Camphoræ gran. vij.
Moschi gran. iij. & semis.

Syr. rosati quantum sufficit, fiat electuarium, vel in aqua rosata quantum sufficit dissoluti, fiat in forma calida.

Semina non apponantur, nisi quo tempore vtendum; nam rancescunt, & cætera corrumpunt.

Valet aduersus febres acutas, ardentesque, ventriculi calorem, iecinoris, lienis, pulmonumque, contra viscerum dolores, & omnem totius corporis noxam à calore proficiscentem.

Dosis à drach. duabus ad quatuor.

Con-

Conseruatur per annum.

Huiusmodi compositio, & si solemnis, & maximè vsitata sit ferè in omnibus locis, nihilominus non caruit castigatoribus; nam primus Nicolaus Myrepsius, & Nicolaus Salernitanus corallium, semen lactucæ, & mandragoræ detraxit, Nicolaus Præpositus castigationem Salernitani secutus, nec correctoris, nec Auctoris mentionem fecit, sed hoc mirum non est, quia cùm huiusmodi electuarium in omnibus (vt dixi) locis vsitetur, vix fieri potest, vt medicamentum tam commune aliquibus in locis nō mutetur: quare nec Syluius moschum probat, nec Rondoletius rhabarbarum, nec Renodæus asarum, cuius loco posuit macim, ratio est, quia putauit asarum esse vomitorium. Verùm in componendis huiusmodi electuarijs aromaticis corroborantibus, & alterantibus non est mirum si vnusquisque abundat in proprio sensu, quare mihi magis probatur illud electuarium, quod ab vno Collegio Bononiensi probatur; magis enim verisimile est, vt plures, & viri doctissimi plus agnoscant, quàm vnum indiuiduum.

Isthæc, quæ à nobis hactenus electuatia aromatica descripta sunt, aptè possunt corroborare viscera naturalia post factam purgationem, nunc afferenda sunt ea, quæ videntur facere pro thorace, inter quæ primò ponitur diapenidion.

Diapenidion Nicolai Alex. Antid. 97.

℞. Penidiorum drach. xvj. & semis.
Pinearum mundat.
Amygdal. mundat.
Sem. papau. albi ana scrupul. x.
Cinnamomi drach. iij.
Caryophyllorum,
Zingiberis,
Succi glycyrryhizæ,
Tragacanthæ,
Gummi arabici,
Amyli,
Sem. citrulli,
melonis,
cucumeris,
cucurbitæ ana drach. j. & semis.
Florum nenupharis albi gran. vij.
Syr. violati quantum sufficit, fiat electuarium.

Penidia cum syrupo lento igni aliquantulum bulliant, & inde puluere extracto temperentur, fiatque electuarium conseruandum per sex menses.

Valet aduersus omnem thoracis noxam, tussim à frigiditate contractam, & vocis iacturam, tabidis denique, & purulenta excreantibus succurrit.

Diapenidion sine specibus.

℞. Penidiorum vnc. ij.
Pinearum mundat.
Amygdal. mundat.
Sem. papaueris ana drach. iij. & scrup. j.
Tragacanthæ,
Gummi arabici,
Amyli,
Quatuor sem. commun. frigid. ana drach. j. & semis.
Flor. nymphęæ albæ scrupul. j.
Sacchari albissimi quantum sufficit.

Vltra sex menses non durat absque vitio, eoque fluens humor crassescit.

Diaires Nicol. Myrepſ. Ant. 394.

℞. Ireos vnc. j.
Hyssopi,
Pulegij,
Glycyrrhizæ,
Cinnamomi ana drach. vj.
Tragacanthæ,
Amygd. dulcium,
Nucleorum pinearum mundat.
Zingiberis,
Piperis communis ana drach. iij.
Carnis dactylorum,
Passularum,
Caricarum ana drach. iij. & semis.
Styracis calamitæ rubeæ drach. ij. & scrupul. j.
Mellis, aut sacchari quantum sufficit.

Asthmaticis, tussiculosis, difficulterque spirantibus auxiliatur, abscissæ vocis iacturam resarcit, quę refrigeratione contracta est.

Conseruatur per annum.

Dosis à drach. ij ad quatuor.

Diairios

Diairios simplex.

℞. Ireos vnc. semis.
Sacchari candidi,
Spec. diatragacanthi frigi. ana drach. ij.

Fiat confectio, aut dissoluto sacharo cum aqua hyssopi fiat electuarium.

Præstat idem, quod superius, sed imbecillius.

Eadem duratio, & dosis.

Diairios altera vsitata.

℞. Spec. diatragacanthi frigidi vnc. j.
Rad. ireos vnc. ij.
Gummi arabici,
Tragacanthæ ana vnc. semis.

Diatragacanthum frigidum Nicoli Ant. 98.

℞. Tragacanthæ candidæ vnc. ij.
Gummi arabici vnc. j. & drach. ij.
Amyli vnc. semis.
Glycyrrhizę drac. ij.
Penidiorum vnc. iij.
Sem. melonum,
cucumeris,
cucurbitæ,
citrulli ana dr. ij.
papaueris albi,
vrticæ ana drach. iij.
Flor. nymphęæ albæ scrupul. semis.
Sacchari, & aquæ quantum sufficit.

Sunt aliqui, qui nolunt apponere semina vrticæ, qui tamen non sunt audiendi, quia multum ea valent in huiusmodi compositione.

Valet omnibus pulmonum, & thoracis vitijs aridis, & maximè tabidis, macie confectis, inflammatione lateris laborantibus, omnibusque tussibus calidis, & siccis, exasperationi linguæ, & faucium, confert siti à pulmonum calore ortum ducenti.

Non conseruatur vltra sex menses sine labe.

Diatragacanthum frigidum cum bolo.

℞. Diatragacanthi frigid. suprascripti libr. j.
Boli orientalis pulueriz. s. vnc. j. & sem.

Formentur trochisci ad formam lupini facta bona mixtione.

Idem præstat, sed valentius, & confert sanguinem spuentibus.

Non excedat sex, vel octo menses.

Diacodion Actuarij.

℞. Capita papaueris magnitudine mediocri & humidorum, ac siccorum media numero xiij.
Rof. rubearum drach. ij. & semis.
Croci orientalis,
Acaciæ,
Glycyrrhizæ ana drach. j.
Boli armenæ vnc. semis.
Cinnamomi electi,
Rad. consolidæ maioris, aut symphiti petrei,
Hypocisthidis,
Balaustiorum ana drach. j.
Myrti,
Dauci ana vnc. j.
Corallij vtriusque
Summach.
Sanguinis draconis,
Flor. althęæ ana drach. ij.
Sem. portulacæ drach. semis.

Capita papaueris in aqua fontana duobus diebus macerato, postridie ad tertias coquito, & decoctum expressum cum suff. quant. sacchari decoquito, accipiendo lib. vnam sacchari.

Spec. ingredientium vnc. j.

Fiat confectio in rotulis.

Cæliacis, dysentericis, leuitati intestinorum, alui profluuio prodest.

Diacodion solidum.

℞. Capitum papau. mediocri magnitudine nec nimis viridium, nec supra modum maturorum num. xx.
Aque pluuiæ, aut fontanæ libr. iij.

Macerentur horis vigintiquatuor, deinde coquantur, donec contabuerint capita, & colentur, ad extremum adde.

Sacchari sufficientem quantitatem.

Et coquantur, vt est artis.

Fit etiam cum sapa, melle, vel vtroque, cum

cum sapa si catarrhus in asperam arteriam, pulmones, & thoracem impetum minatur, & insomnium; tunc enim mel, quia sua acri substantia tenuat materias, noxium est. Cùm verò materia largior in pulmone, vel thorace collecta tergenda est, tenuanda, & habilis ad expulsionem reddenda, mel miscendum, quod prædicta præstat, somnum conciliat. Si ambo scopi concurrant, mel, & sapa miscenda. Actuarij compositione vtantur in peruigilijs, fluxionibus è capite tenuibus, biliosis, & acribus secessibus, cholera laborantibus, & intemperie calida, sanguinis rectioni à visceribus, & thoraci medetur, hæc ex Fœsio.

Diatragacanthum calidum Nicolai.

℞. Tragacanthę vnc. iiij.
Hyssopi drach. vj.
Nucleor. pinear. mundat.
Amygdal. depilatarum,
Sem. lini ana drach. vj.
Cinnamomi vnc. j.
Fenu græci vnc. semis.
Glycyrrhizæ,
Succi eiusdem,
Zingiberis ana drach. ij.
Sacchari quantum sufficit, fiat confectio solida, vel electuarium.

Valet tussientibus ex frigido phlegmate, & non valentibus eijcere, asthmaticis, anhelosis, suspiriosis peripneumonicis, phthisicis, & ad omnem pectoris coarctationem, stomachum confortat, & digestionem procurat.

Seruatur per sex menses.

Diaprassion Nicolai.

℞. Marrubij viridis drach. v. & semis.
Tragacanthæ,
Nucleor. pinear. mundat.
Amygdal. dulcium,
Pistaciorum,
Carnis dactylorum,
Caricarum,
Vuarum passarum ana drach. iij. & semis.
Cinnamomi vnc. semis.
Garyophyllorum,
Nucis moschatæ,
Ligni aloes,
Galangæ,
Spicæ,
Zingiberis,
Zedoariæ,
Glycyrrhizæ,
Rhapontici,
Anacardi,
Styracis calamitæ,
Mastiches,
Myrrhæ,
Galbani,
Terebinthinæ claræ,
Ireos,
Aristolochię rotundę
Cort. capparis,
Rad. capparis,
Gentianæ,
Piperis nigri,
Anisi,
Fœniculi,
Anethi,
Sem. apij,
Sem. macedonici,
Saxifragiæ ana drach. ij.
Hermodactylorum,
Origani,
Paucedani,
Flor. iunci odorati,
Cardamomi,
Piperis albi,
Carui,
Ligustici,
Vincetoxici,
Pulegij,
Menthæ aquaticæ,
Dictami,
Abrotani,
Costi,
Pyrethri,
Satureię,
Ocymi,
Pœoniæ,
Piperis longi,
Amomi,
Sinoni,
Erui ana drach. j. scrup. j. & gran. ij.
Xylobalsami,
Cassiæ ligneæ,
Coralli rubei,
Rasuræ eboris,
Carpobalsami,

Dauci cretici ana dr. h. semis.
Moschi,
Ambræ ana gran. xiiij.
Ossis de corde cerui gran. xiiij.
Mellis despumati quantum sufficit, fiat electuarium.

Confert tabidis, tussientibus, & his, qui defluxionibus, ac destillationibus à capite obnoxij sunt, hebetudini oculorum, palati vitijs, oris putredinibus, & in vniuersum omnibus vitijs tussim afferentibus, calculos atterit, & ijs, qui difficulter mingunt, mirificè prodest.

Datur ad vnciam semis.

Seruatur per duos annos.

His confectionibus thoracem, & pulmones respicientibus, placet addere alteram confectionem, quam Rebecham appellat Ioannes Renodæus, eò quòd pulchrè, & eleganter medetur tussientibus, asthmaticis, empyicis, pleuriticis, linguę, & faucium asperitati, raucedini, & difficulter spirantibus, ita describitur à Renodæo.

Confectio de Rebecha.

℞. Pul. diaireos,
Diatragacanthi frigidi ana drach. ij.
Pul. glycyrrhizæ vnc. semis.
Sacchari candidi drach. iij.
Sacchari albissimi lib. j. & semis.

Cum gummi tragacantha in aqua ros. soluto fiat pasta, ex qua formentur bacilli, admodum lupinorum vsui reponendi.

Hæc confectio, licet sit Authoris incerti, est tamen (vt inquit Renodæus) vsitatissima, sapore gratissima, & effectu commẽdatissima: ipsam connumerare voluimus inter bechica, quòd ex ijsdem constet, & ad eadem vsurpetur: quidam putant hanc confectionem dici Rebecham, quasi bechicam. Optimè medetur tussientibus, asthmaticis, empyicis, pleuriticis, linguę, & faucium asperitati, raucedini, & difficulter respirantibus. Renodæus libro tertio Antidotarij sect. prima capite vigesimo.

Et quia hoc in loco mentionem sæpè habuimus penidiorum, quæ inter bechica, & arteriaca multùm commendantur, & semper versentur in ore medicorum, de ijs aliquid dicere expedit. Constat verò eiusmodi medicamentum ex saccharo, & aqua hordei tantùm, ea proportione, & arte coctis, vt exurgat massa quædam solida, & ita tractabilis, vt digitis non adhęreat, & facilè in fila ducatur, non secus atque obseruamus in melle, istis partibus lẽto appellato, quod tractabile adeo est, vt hinc inde trahi possit, & tandem agglutinatur, & induratur. Vt verò probè fiat penidium, massa adhuc calens vnico ferreo trabeculæ affixo adducitur, & reducitur, trahiturque denuò, quousque dealbetur, & ex filis dictis variæ figuræ formantur, non secus atque ex melle lento diximus.

Albucasis huius compositionis Author ex aqua pura saccharo, & melle parabat, cum tantillo olei amygdalarum amararum commisto, nunc verò aqua hordei melle relicto: sed marmor tantum, super quod medicamentum adhuc calens proijcitur, & manus, quæ id ipsum contrectant, ac subigunt, oleo liniuntur, vt minus adhærescat. Medicamentum hoc inter subigendum, & ducendum albedinem acquirit, & alphenicum ab aliquibus nominatur. Plurimùm confert tussi, raucedini, asperitati arteriæ, sputo mouendo, coquendo, excludendo, & omnibus affectibus pulmonum, & thoracis.

Pasta Regia, seu panis marcius.

℞. Amygd. dulc. contusarum libr. semis.
Sacchari tenuissimi pulueriz. libr. j.
Cum aqua ros. fiat pasta.

Pignoccata.

℞. Sacchari clarificati, & non perfectè cocti libr. j.
Id postquam optimè igne remoto agitatum fuerit, ac dealbatum adde,
Nucum pinearum vnc. iiij.
Rursus probè misceantur, postea perfectè coquantur, & in vocatos morsellos redigantur.

Species incisæ saccharo obducta.

℞. Glycyrrhizæ vnc. j.
Cinnamomi electi drach. vj.

Zingi-

Zingiberis drach. v. & ſcrupul. j.
Calami aromatici drach. iiij.
Macis,
Nucis moſchatæ ana drach. ij. ſcrupul. ij.
Galangæ,
Garyophyllor. ana drach. ij.
Cubebarum ſcrup. iiij.
Sem. aniſi vnc. iiij.
Carui,
Fœniculi,
Coriandr. præparat. ana vnc. ij.

Conficiantur omnia cum ſaccharo, vt eſt artis: xyloaloem, quæ prioribus exemplis addita erat omiſi nam propter eius duritiem mandi, & dentibus conteri difficulter poteſt.

Species inciſa, ſiue tragea craſſa, vt vocant.

℞. Glycyrrhizæ inciſæ,
Aniſi confecti ana lib. j.
Confect. ſem. fœniculi,
Carui,
Coriandr. præparat.
Zingiberis albi ana vnc. viij.
Cinnamomi electi vnc. ij.
Calami aromatici vnc. j.
Nucis moſchatæ vnc. ſemis.

Concidantur craſſo modo, & miſceantur.

Ciphoides Andromachi ex Gal. 8. de compoſ. medic. cap. 7.

℞. Carnis vuæ paſſæ drach. xxv.
Croci drach. j.
Calami aromatici drach. ij. & ſemis.
Bdellij drach. j. & ſemis.
Caſſiæ drach. j. & ſemis.
Cinnamomi drach. j.
Spicæ nardi drach. iij.
Floris iunci odorati drach. ij. & ſemis
Myrrhæ drach. iiij.
Terebinthinæ drach. iiij.
Ramentorum aſpalathi drach. iij.
Mellis vnc. ij.
Vini quod ſatis eſt.

Valet ad hepaticas, & omnia thoracis vitia.

Doſis ad drach. duas.

Non excedat biennium.

Huiuſmodi electuario cùm vſus eſſem pluries, obſeruaui potiùs pulmones, & caput nimium calefacere, idque propter multam copiam aromatum, quare diminuta eorum doſi, eo vſus ſum fœlici cum ſucceſſu, tam in hydropicis, quàm in aſthmaticis, atque ideo multis ab hinc annis non paucos ab hydrope, & à difficultate reſpirandi liberaui, & inter alios Don Balthaſſarem Cagliareſium, qui poſtea fuit euectus ad gradum Epiſcopatus Melitenſis, vbi nunc magno cum honore, & laude Eccleſiam illam regit, & gubernat, hocque modo ipſum electuarium correxi, & ſæpè ſæpius vtor.

℞. Carnis paſſularum libr. j. & ſemis.
Croci,
Cinnamomi ana ſcrupul. ij. & ſemis.
Calami aromatici,
Bdellij ana drach. j.
Caſſiæ drach. ij.
Flor. iunci odorati drach. j. & ſemis.
Myrrhæ ſcrupul. iiij.
Agrimonij s. p. drach. iij.
Ramentorum aſpalathi drach. ſemis.
Loco huius viticis ſemen,
Terebinthinæ,
Mellis ana vnc. ij.

Vini albi optimi generoſi, in quo vua paſſa ſimul cum bdellio, & myrrha infundantur per horas duodecim, deinde liquefiat terebinthina, eamque melli admiſce, omnia leuigata, & commixta conſerua in vaſe vitreato.

Doſis à drachmis duabus ad vnciam ſemis.

DE ECLEGMATIS.

CAPVT XV.

ATtulimus medicamenta quędam ad thoracem spectantia, quorum facultas est pulmones, & asperam arteriam expurgandi, materiasque in ijs contentas expectorandi, inter quæ omnium scriptorum consensu reponuntur etiam ea, quæ à Græcis ἐκλέγματα & ab Arabibus appellantur Loch, dicunturque arteriaca medicaměta (vt supra diximus) eò quòd affectibus asperę arteriæ, & circumstantium partium primariò destinantur; à Latinis eadem Linctus, & Illinctus dicuntur, maximè quia lambendo sumantur.

Quod attinet ad formam notandum est, vnam, & eandem ipsorum descriptionem posse reduci ad formam confectionis, electuarij, & loch, si præsertim fiat ex saccharo compositio; differunt tamen in modo substantiæ, & quodammodo in modo operationis; nam per vlteriorem, vel minorem decoctionem, & admixtionem quorundam viscosorum fit in eis variatio sensibilis, & manifesta. Ad confectionem enim construendam requiritur maior coctura, ad electuarium verò minor, ad loch verò multò minor omnibus, quamuis in ipso loch, vt plurimùm quædam viscosa ingrediuntur, vt adhærere possint œsophago.

Mesues inter eclegmata ponit diacodion ex Galeno, quod appellatur confectio de Iacur, ponit etiam loch de pino, diamoron, diacarion, loch de scylla, de radice bryoniæ, loch sanum, & expertum, loch ad gutturis intemperiem calidam, loch pro phthisicis saluberrimum, eclegma, seu loch ad tussim antiquam, loch de amygdalis, quorum quædam sunt vsitata, quædam minimè. Inter ea, quæ vsitata sunt, quatuor describuntur à Ioanne Renodæo, nempe eclegma scyliticum, eclegma de caulibus, de pulmone vulpis, eclegma sanum, & expertum, & eclegma de pineis. At Antidotarium Bononiense, multa alia proponit, quæ in praxi mirifica sunt, inter quæ primò illud eclegma est, quod saponea appellatur.

Loch, siue eclegma saponea.

℞. Amygdal. dulc. mundat. drach. xvj.
Amyli purissimi, & noui drach. iiij.
Sacchari albi cum aqua farfaræ clarificati vnc. viiij.

Contundantur amygdalæ cum saccharo, deinde per densum setaceum percolentur, atque cum amylo igni admoueantur, cumque spissari cœperit amylum, adde.

Sacchari vnc. iij.

Sique in forma liquida efficere velis, parum coque: si in forma solida, perfectè coque secundùm artem.

Potest etiam cum ol. amygdal. dulcium parari hoc modo.

℞. Sacchari albissimi in subtilis. pulu. redacti lib. j.
Amyli cum aqua violarũ dissoluti vnc. ij.
Ol. amygdal. dulcium recentis vnc. j. & semis.

Misce, & ad ignem lentum fiat saponea, vel mollis, vel solida secundùm artem.

Tenues destillationes à capite ad subiectas partes descendentes incrassat, tussim sedat, pectus mundat, ac roborat.

Potest ad summum per sex menses conseruari, quò tamen recentior, eò præstantior: vnde Medici, cum eam ægris praescribunt, semper recentem fieri iubent.

Huiusmodi medicamentum egregium est, gustui suauissimum, prompteque ea, quæ pollicetur, exequitur.

Loch sanum, & expertum.

℞. Cinnamomi,
Hyssopi sicci.

Glycyrrhizæ ana vnc. ſemis.
Ziziphę,
Sebeſten ana num. xxx.
Vuarum paſſarum purgatarum,
Ficuum paſſarum ſiccarum,
Dactylorum pinguium ana vnc. ij.
Fœnugræci drach. v.
Adianthi albi manip. j.
Sem. aniſi,
Fœniculi
Lini,
Ireos,
Calaminthæ ana drach. iiij.

Coque omnia in aquæ libris quatuor ad medietatis conſumptionem, colatum coque cum penidiorum libris duabus ad mellis craſsitudinem, tum adde.

Nucleorum pineorum depilatorum drach. v.
Amygdal. dulc. mundat.
Succi glycyrrhizæ,
Tragacanthæ,
Gummi arabici,
Amyli ana drach. iij.
Ireos drach. ij.

Miſce omnia probè, donec album fiat medicamentum.

Valet ad tuſsim, raucedinem à frigore, vel pituita craſſa, thorace, aut pulmone comprehenſa.

Eius ętas extenditur vſque ad ſex menſes.

Nullum eſt, quod huiuſmodi loch ſit magis in vſu, vnde meritò appellatur ſanum, & expertum, eò quòd ſanitatem ſæpè afferat, & eo Medici practicantes frequentiſsimè vtuntur.

Loch de Pino Meſuæ.

℞. Nucleorum pinearum mundat. drach. xxx.
Amygdal. dulc.
Auellanarum aſſatarum,
Tragacanthæ,
Gummi arabici,
Succi glycyrrhizæ,
Amyli,
Capill. vener.
Rad. lilij cæleſtis, ideſt ireos ana drach. iiij.
Carnium dactylorum fuluorum drach. xxxv.
Amygdal. amar. drach. iij.
Sapæ,
Sacchari taberzet ana vnc. iiij.
Mellis quantum ſufficit.

Butyrum non apponatur, niſi quando à Medicis præſcribitur ægris, & tunc pro ſingula vncia electuarij addantur ſcrup. quatuor, & gran. ſexdecim butyri.

Tuſsim antiquam, ſputum glutinoſum, aſthma, & ſpirandi, ex partium ſpiritalium anguſtia, difficultatem iuuat.

Vix poteſt ſeruari ad ſex menſes.

Loch de pino multum eſt in vſu, & vbique præparatum reperitur; confert ſenibus, & antiquis tuſsientibus, & alijs, in quibus materia phlegmatica continetur in pectore, & pulmone. Scribit Syluius hoc in loco, quòd hæc eclegmata, quæ etiam inuicem miſceri poſſunt pro ſcopis varijs medici, hodie magna ea parte interciderunt, & ex hypoglottide alba, ſaccharo candido, electuario diatragacanthi, & ſyrupis pulmonicis, & thoracicis eclegmata fiunt à Medicis, & huius rei duplicem reddit rationem, vna eſt, quòd eclegmata antiquata vires ſuas, & saporis gratiam amittunt, vel quòd compoſitis non confidunt.

Loch de Papauere Gal.

℞. Sem. papau. albi vnc. j.

Fiat emulſio cum aqua violarum, vel farfarę quantum ſufficit.

Deinde cum libra vna ſacchari albiſsimi, fiat loch ſecundùm artem.

Gutturis inflammationem tollit, & ſubtilem, calidamque deſtillationem refrigerando iuuat.

Quò recentius, eò melius, non tamen excedat ſex menſes.

Loch de Papauere Meſuæ, & dicitur Diapapauer.

℞. Papaueris albi drach. xxv.
Amygdal. dulc.
Pinearum,
Gummi arabici,
Tragacanthæ,

Succi

Succi glycyrrhizæ ana drach. x.
Amyli,
Sem. portulacæ,
lactucæ,
cotoneorum ana vnc. semis.
Croci drach. j.
Penidiarum albarum vnc. iiij.
Syr. de papauere libr. iij.

Omnia contundantur, & incidantur, atque cum syrupo excipiantur secundùm artem. Porrò iste syr. de papauere sic fieri debet.

℞. Cap. papau. albi recent.
Cap. papau. nigri recent. ana vnc. vj.
Sem. lactucæ,
Fol. violarum ana vnc. j.
Aquæ quantum sufficit, aut libr. viij.

Coquantur, & colaturæ adde,
Sacchari libr. iiij.

Iuuat tussim, & gutturis asperitatem à catarrho calido tenui; eum enim concoquit, & incrassat. Confert etiam febribus ardentibus, dolenti thoraci, & pleuritidi.

Sed nullo pacto excedat spatium sex mensium.

Papaueris vsus simplicissimus est; eius enim esus æstiuis caloribus varijs regionibus frequens, quin & ex eius semine ad dimidiam circiter vnciam contuso, & ex lactucæ aqua, liquoreuè alio expressa lactea substantia ad somnũ febres, & destillationes sæpè vsurpatur. Nigri papaueris vsus ad acriorem destillationem magis, quàm album iuuat, sed non æquè tutus est vsus illius; nam ex eo opium inter narcotica valentissimum sufficitur, & qui drachmarum duarum pondere eius semina assumpsere stupore corripi quandoque accidit: Hæc Costæus in annotatione huius electuarij de papauere.

Loch de Portulaca.

℞. Succi portulacæ libr. ij.
Trochisc. de terra lemnia drach. ij.
de carabe,
Gummi arab.
Sanguinis draconis ana drach. j.
Lapidis hæmatitis,
Pilorum leporis vstorum ana scrup. ij.
Sacchari albi libr. j.
Fiat loch secundùm artem.

Commendatur in sputo sanguinis, & alijs eiusdem, vel supra, vel infra effusionibus.

Conseruatur ad annum.

Loch de pulmone vulpis Mesuæ cap. de phthisi.

℞. Pulmonis vulpini exiccati,
Succi glycyrrhizæ,
Sem. fœniculi,
Adianti albi ana vnc. j.
Sacchari clarificati vnc. xv.

Trita omnia tenuissimè saccharo excipiantur, vel melle, si magis extergere cupis.

Abstergit, & consolidat vlcera pectoris, & pulmonis, & præferendum est alijs remedijs in phthisi.

Et conseruatur per biennium.

Loch de scylla simplex.

℞. Succi scyllæ,
Mellis despumati ana libr. j.
Coquantur ad consistentiam loch.

Scyllas crudas tres, aut quatuor in partes eburneo cultello seca. Dehinc in pila marmorea tere cum pistillo è ligno guaiaco constructo, & dehinc succum linteo raro eas comprimendo excipe.

Materiam crassam, lentam, coctu difficilem in partibus respirationis expulsioni facilem reddit, & natam inde spirandi difficultatem, & thoracis dolorem leuat.

Duratio ad annum, & etiam vltra.

Loch de scylla Mesuæ, compos. quod ad asthma dicitur.

℞. Scyllæ assatæ drach. iiij.
Rad. ireos drach. ij.
Hyssopi,
Prassij ana drach. j.
Croci,
Myrrhæ ana drach. semis.
Excipe melle despumato.

Valet ad asthma, & tussim antiquam; humorem enim crassum tenuat.

Duratio ad annum, & etiam vltra.

Loch

Notat hoc in loco Christophorus de Honestis huiusmodi loch esse multum in vsu, & eius iuuamenta maximè vtilia esse senibus, & decrepitis, in quibus abundat materia crassa, & viscosa contenta in pectore, & Manardus scribit esse valde efficax ad crassam materiam, & tenacem. Notat Costæus scyllam esse duplicem, esculentam vnam, alteram medicam, & vtramque acrē, sed esculenta nostrati cepę acrimonia inferior ex Galeni obseruatione, si eius nobis esset copia, & eclegma paratur, mollioribus pueris: illo oportunius parabis, quòd ex modica fit scylla acerrima, & amarissima, medio loco stabit, si ex cepa nostrate conficiatur, quam qui asthmaticis coctam non temerè exhibent.

Loch de caulibus.

℞. Succi caulium rubrorum despumati libr. iij.
Sacchari rubri,
Mellis puri cocti ana libr. j. & semis.

Pro more apparatur, spatha continuè agitando, ne comburatur, donec crassescere cæperit, ad finem misce,
Croci drach. vj.

Valet ad mediocres in thorace destillationes, tussim infantium humidam, & vocis raucedinem.

Conseruatur ad annum vnum.

Loch de tussilagine simplex.

℞. Rad. tussilaginis libr. j.

Coquantur in aqua, donec dissolutæ sint, contundantur, & colentur. Deinde additis mellis libris duabus coquantur in iustam consistentiam.

Valet in omnibus passionibus, & vitijs pectoris.

Conseruatur ad annum.

Loch de tussilagine compos.

℞. Rad. tussilaginis libr. semis.

Probè munda, & laua, coque vsque ad mollitiem, contere exquisitè. Rursus coque easdem in aqua, in qua prius dissolnatur.

Sacchari libr. j. & semis. adde.
Nucleorum pini depilatorum vnc. j. & semis.
Passularum vnc. ij.

Prius tritarum vase lapideo postea inijce.
Croci,
Garyophyllorum ana scrupul. semis.
Succi glycyrrhizæ vnc. j. & gran. xv.
Cinnamomi,
Macis ana scrupul. j.

Et fiat loch secundùm artem.

Per annum duraturum.

Idem valet, sed præstantius.

Loch de althæa.

℞. Rad. althææ diligenter à meditullio mundatarum, abrasaque extrema pellicula tenui probè lotarum, coctarumque in aqua pluuiali, donec emollescant libr. ij.

Quibus misce.
Mellis despumati cocti libr. j.

Ista in duplici vase assiduè coquantur, donec spissata, mellis crassitudinem fuerint assecuta.

Confert mirabiliter in pleuritide, facilitando sputum, abstergendo, & rescindendo materias crassas, & prohibendo ab apostemate.

Conseruatur ad annum.

Loch de psyllio, aliàs de mucilaginibus.

℞. Mucilaginis psyllij secundùm artem extractæ vnc. ij.
Sacchari clarificati libr. j.

Coquatur saccharum sufficienter, donec candidum fiat. Deinde admisceatur mucilago, & tandiù agitetur, donec probè vnita sint, & dealbescant.

Tenues, & acres humores in pectus defluentes inspissat, mitigatque, & excretioni præparat.

Seruatur ad annum.

Fit in hanc modum loch de semine lini, & alia eclegmata, quæ mucilagines recipiunt.

Loch ad asthma.

℞. Scyllæ assatæ vnc. semis.
Rad. ireos drach. ij.
Hyssopi,
Prassij ana drach. j.
Myrrhæ, rubeæ,
Croci ana drach. j. & semis.

Cum mellis quantitate sufficienti, fiat loch.

Ad asthma, & tussim antiquam valet; humorem enim crassum tenuat.

Potest conseruari vsque ad duos annos integros.

Loch de allijs Mesuæ in cap. de tussi humida.

℞. Alliorum mundatorum libr. semis.

Coquantur in decoctione cicerum, & hyssopi siccę ad perfectam coctionem, deinde contundantur, addendo.

Mellis,
Butyri recentis ana libr. semis.
Misce, & bulliant lento igne.

Fiat loch secundùm artem.

Tussi ex materia pituitosa plurimùm confert.

Conseruatur per annum, sed non apponatur butyrum, nisi quando ordinatur à Medicis, & tunc pro singula vncia electuarij ponatur butyri vnc. semis.

Loch bonum conferens hecticis consumptis.

℞. Papau. albi,
Spodij,
Sem. lini torrefacti,
Croci,
Amygd. dulc. ana drach. iij.
Amyli,
Tragacanthæ,
Gummi arab.
Sem. cotoneorum,
Sem. citrulli ana drach. vj.
Coti, idest bambacij,
Fabarum ana drach. j. & semis.
Penidiorum drach. xxxxxx.

Dissoluantur penidia in aqua fontium, & conficiantur cum eis cætera.

Dosis est drach. ij cum aqua mellis.

Non seruatur vltra sex menses.

Valet, phthisicis hecticis, & aliter consumptis, à pure, & sanie, pulmones purgat, & tussim lenit.

Loch passularum.

℞. Rad. pæoniæ drach. iiij.
Hyssopi,
Melissæ,
Scolopendrij, seu cetrach ana manipul. semis.
Glycyrrhizæ vnc. semis.

Fiat omnium decoctio in sufficienti quantitate aquæ pluuiæ, facta colatura cum forti expressione, Adde passularum sine arillis contusarum libr. j. decoquantur, & per pannum lineum fortiter exprimantur expressioni adde. Sacchari libr. j.

Fiat loch, vt est artis.

Huiusmodi loch apponere volui hoc in loco propter vtilitatem, quam pueris afferre solet; nam basis ipsius est pæonia, ideo puerulis epilepticis maximè confert.

Hanc compositionem descripsit Pharmacopœa Augustana.

Vltimo loco sunt duæ confectiones, quæ papales dicuntur. Prima ad hunc modum fit.

Confectio Papalis.

℞. Decoctionis althææ factæ secundùm artem libr. j.
Sacchari albi libr. ij.
Coquantur secundùm artem, & fiat confectio in tabellis.

Altera est, quæ fit ad hunc modum.

Alia Confectio Papalis.

℞. Pulpæ rad. altheæ vnc. iiij.
Sacchari albi libr. j.

Misce, & fiat confectio in tabellis secundùm artem.

Vtriusque facultas est lenire thoracem, & materiam destillantem crassefacere, secundùm magis, & minus.

Conseruatur per sex menses.

Et hæc dicta sufficiant de loch, nunc ad alia transeundum.

DE MEDICAMENTIS particulariter euacuantibus.

CAPVT XVI.

PRodeunt in examen, quæ ex locis peculiaribus noxiam educunt materiam, cuiusmodi ea habentur, quorum munus est è ventriculo ad os propellere, & vomitoria nuncupantur; quæue apophlegmatismata dicuntur, seu masticatoria, gargarismata quoque, quibus fauces vna cum alijs præsidijs quouis morbo affectas curamus, denique, & errhina, à quorum vi è cerebro in nares, si quid noxium in capite reperiatur, attrahi consueuit. De quibus omnibus breuiter dicendum est, & primò.

DE VOMITORIIS.

DE vomitorijs Mercurialis statuit ea habere facultatem, vt virtutem expultricem excitare possint, & retentricem infirmare, quæ verò excitant expultricem, sunt ea, quæ acria dicuntur, sed modicè; quæ autem hebetant retentricē, sunt emplastica vocata. Eorum igitur, quæ ad vomitum vsurpare solemus, tria sunt genera, vnum lenium, secundum mediocrium, tertium vehementiorū; lenia sunt penna oleo intincta, & in os immissa, vsque ad principium œsophagi, seu, vt appellant Arabes, meri. Est & oxymel simplex, aqua hordei cum oxymelli, & aqua tepida; horumque quantitas debet esse multa, ab vna scilicet libra, vsque ad duas, & tres.

Mediocria verò vomitoria fiunt ex floribus anethi, genistæ, ex atriplice, semine rapi, radice bettonicæ, quæ coquuntur modò in aqua, & oleo, modò in aqua sola, & offeruntur ad mensuram scilicet ad minus libræ vnius, aliquando oxymel quoque apponitur hisce decoctionibus ad vncias duas, & tres.

Vehementiora denique vomitoria fiunt ex bulbo vomitorio vocato, ex succo raphani, & semine genistæ, ex helleboro albo, quæ dantur vel in substantia, vel in decocto. Si ex decocto, modus componendi est, vt accipiatur medicamenti vomitorij ad summum vncia semis, aquæ vnciæ quatuor, vel quinque, sicque bulliant ad consumptionem quartæ partis, deinde propinetur; si autem succi exhibeantur, ad vnciam semis, vel ad vnciam vnam offerimus. At ponamus hoc loco aliquot exempla eorum potissimùm, quę dicuntur leuia.

Vomitorium leue.

℞. Aquæ flor. chamomillæ, vel flor. aurantiorum, vel etiam flor. sambuci libr. j.
Atque capiatur huiusmodi vomitorium, ita vt tepidum sit.

Vomitorium verò mediocre potest parari ad hunc modum.

Vomitorium mediocre.

℞. Rad. assari infusi in hydromelli per horas sex, deinde vbi leuiter ebullitum fuerit, accipiatur huius decocti libra vna, cui colaturæ adde oxymellis simplicis vncias tres, vel vncias tres, & semis ad summum, tepideque hauriatur, fiunt, & huius generis quamplura alia.

Inter vehementiora verò in primis est vomitorium illud, quod ab Arnaldo adscribitur Patriarchæ, quodque etiam dicitur esse Nicolai.

Vomitorium vehemens.

℞. Decoctionis rad. cucumeris syluestris vnc. iij.

Olei communis vnc. ij.
Anethi, vel napi drach. ij.
Et fiat vomitorium validum.

DE ERRHINIS.

Nasalia purgant per nares, & à communi hominum consensu errhina dicuntur, quę sunt duplicia, alia componuntur forma solida, alia in forma liquida. Priora fiunt ex maiorana, saluia, rosmarino, nigella, pyrethro, & vtroque helleboro. Modus administrandi est, vt prædicta medicamenta redigantur in puluerem, & commisceantur resinæ, vel ceræ, vel butyro: proportio est, vt sint pulueres ad sextam partem. Possumus itaque parare nasale solidum ad hunc modum.

Errhinum solidum.

℞. Maioranæ,
Saluiæ ana scrup. j. & semis.
Nigellæ scrup. semis.
Hellebori nigri,
Castorei ana gran. v.
Butyri,
Vitelli vnius oui assati,
Ceræ ana drach. ij.
Misce, & fiat pasta.

Liquida verò nasalia fiunt ex varijs succis, vt est succus cyclaminis, brassicæ, maioranæ, anagallidis, & betæ, sed præsertim, ex eius radicibus. Infinita reperiuntur apud scriptores nasalia, quæ etiam ex prædictis rebus ad libitum componi possunt.

DE STERNVTATORIIS.

Sternutatoria, quæ à Græcis πταρμικὰ dicuntur, non semper vnius sunt formæ, licet frequentissimè in puluerem redigantur. Modus autem ea applicandi neque est vnicus; nam alij reducta materia in subtillimum puluerem, apponunt intra nares ad latera, atque eum inspirando, sursum ad caput trahunt; aliqui verò accipientes calamum, vel arundinem, ponunt intus puluerem, & intra nares fistulam eo repletam intrudunt, alij verò accipiunt pulueres, & inuoluunt in linteolis, eosque vel in vinum generosum, vel in aqua vitæ immergunt, & applicant naribus.

DE APOPHLEGMATISMIS.

Apophlegmatismata, quæ à vulgaribus masticatoria dicuntur, sunt medicamenta varij vsus, quæ vel trita, vel nodulo quodam lineo interiecta masticantur, dentibusque deducuntur per os, vel integra, aut contusa, aut succo, vel liquore, vel cera, vel passulis excepta, diuq; commansa citra deglutionem saliuam proliciunt. Horum quædam sunt simplicia, quędam verò composita vtendi tempus est summo mane expurgato corpore, post verò abluendum est os, vel vino, vel decocto, in quo ebullierit modicum saluię, vel etiam ebullierit coriandrum præparatum. Multa reperiuntur apud scriptores exemplaria horum apophlegmatismotum.

DE GARGARISMATIS.

Huiusmodi medicamenta sub forma fluxibili offeruntur, oreque accepta ad oris totius, gingiuarum, palati, pharingisque vitia instituuntur: hanc vim habent docente Celso, vel leuandi, vel reprimendi, vel euocandi: leuant lac, & cremor hordei, reprimit aqua, in qua aliquid ebullitum fuerit, vt est rosa, rubus, vel malum cotoneum, vel etiam palmulę, hoc est dactyli, euocant sinapi, piper, & quęcunque acria sunt, in quibus conficiendis animaduertendum est, vt semel cum illis admisceantur, quæ dulcia sunt, quare omninò acria euitanda veniunt in gargarismatis faciendis, & hæc de nasalibus, sternutatorijs, & gargarismatis, quę, vt diximus, euacuant materiam per os & à partibus propinquioribus, vt à palato, gingiuis, faucibus, vuea, & paristhmijs.

DE ELECTVARIIS Opiatis.

CAPVT XVII.

SEd quoniam in proximè dictis actionibus perficiendis, nempe in educendis materijs à thorace, pulmonibus, & alijs partibus circumuicinis non solet semper res succedere absque dolore, quia sæpè ab acribus mordacibusque induci solet acrimonia à qua fit dolor, licet ab alijs etiã causis fieri solet, ideo operæpretium est in promptu habere ea medicamenta, quæ verè opiata sunt, & narcotica dicuntur de quibus præsenti capite agemus. Inter hæc Medicamenta primò est illud, quod philonium appellatur, in triplicique existens differentia, nempè Philonium Romanum, quod ad hunc modum componitur.

Philonium Romanum Mesuæ.

℞. Piperis albi,
Sem. hyoscyami albi ana drach. xx.
Opij drach. x.
Croci drach. v.
Spicæ,
Pyrethri,
Castorei ana drac. j.
Misce cum mellis despumati quadruplo.
Dosis ad drach. j.

Suam habet efficaciam vsque ad sex annos, & etiam vlterius, modò ex arte sit confectum, & studiosè repositum. Non imperetur tamen à Medicis ante sex menses.

Efficacissimum est ad sedandum vehementes dolores ventriculi, coli, hypochondriorum, hepatis, lienis, renum, vteri, excitatos à crudis humoribus, aut flatu crasso. Valet etiam ad suffocationis periculum, singultum vehementem, vrinæ difficultatem; atque ob hæc à morte impendente vindicat.

Philonium maius, siue Romanum Nicolai Præpositi.

℞. Piperis albi,
Sem. hyoscyami ana drach. v.
Opij drach. ij. & semis.
Cassiæ ligneæ drach. j. & semis.
Sem. apij drach. j.
Sem. petroselini,
Fœniculi,
Dauci cretici ana scrup. ij. & gran. v.
Croci scrup. semis.
Spicæ nardi,
Rad. pyrethri,
Zedoariæ ana gran. xv.
Cinnamomi drach. iij.
Euphorbij,
Castorij ana drach. j.
Mellis optimi quantum sufficit.
Eadem virtus, & dosis, & duratio.

Philonium Romanum ex Galeno ix. de comp. medic. secund. loc. cap. 4.

℞. Croci drach. v.
Pyrethri,
Euphorbij,
Spicæ nardi ana drach. j.
Piperis albi,
Hyoscyami ana drach. xx.
Opij drach. x.
Omnia leuigata melle excipiantur,
Virtus eadem, & dosis, & duratio.

Ioannes Renodæus hoc in loco nihil tam anceps, & varium in medicamentorum familia occurrere scribit, atque Philonis philosophi antidotum, cui accidere inquit simile, atque vino, quod è vase in vas transfusum non paruam prioris cõditionis iacturam facit, quotquot enim

(addit) pharmacariæ artis Authores fuerunt, nomen quidem philonij retinuerunt, sed nihil ferè præterea, nihilominus, quãuis à Philone Tarsensi Medico ex Gal. & Mes. sententia, alij plures fuerint, qui ei aliquid addiderint, idque vocarint Romanum, eò quòd Romæ erat maximè in vsu, nihilominus plures etiam fuerunt Authores, qui ipsum pluries, atque pluries comprobarunt, in his potissimùm affectibus, in quibus diximus excitari posse dolores, vt pote, ventriculi, coli, hyppochondriorum, hepatis, lienis, vteri, etiamsi à frigida intemperie excitentur in calidis verò indispositionibus, dolores tutiùs sedare experientia quotidiana demonstrat, & horum sæpè causas vna abigit, valet quoque ad suffocationis periculum, cum scilicet à cordis, aut pulmonis incendio prodit.

Dosis ipsius non ponitur à Galeno, sed Manardus, & Syluius, & alij plerique dicunt, vt sit quantitatis, vt cicer in pueris, debilibus verò sit, vt faba parua; prouectioribus autem, & alijs sit, vt auellana.

Admonet Manardus peculiariter, vt hoc philonio vtamur in doloribus, alijs spretis.

Admonet etiam Christophorus duplicem tantum dari famosissimam philonij descriptionem, vnam, quam appellant philonium Romanum, & fuit inuentum à Philone Medico Romæ, à Nicolao descriptum: alia verò descriptio est Persici, seu philonium Persicum, eò quòd inuentum fuerit à Persis, quod est ingentis virtutis, & vtilitatis ad omnem fluxum sanguinis à quacunque parte fluxerit, & somnum conciliat, tempus vtendi est post sex menses à sua compositione, & horis quinque ante sumptionem cibi.

Dosis omnium opiatorum non omnibus eadem est; nam varia esse solet secundùm maiorem, minoremuè refrigerantium, & stupefacientium quantitatem, quam admittunt, alia enim à scrupulo vno ad drach. tres dantur, vt requies, philonium verò à drachma vna vsque ad drachmas duas ad summum.

Est tamen hoc loci animaduertendum, quòd narcotica vsurpanda minimè veniunt, nisi magna vrgente necessitate, & vbi dolor non cedat veris anodinis. Ad vehementes fluxiones cohibendas, ad validas tusses, quæ ægris vigiliam inducunt, vel etiam, quibus sanguis expuitur, vtimur facillimè.

Vsus horum opiatorum non solùm in his est, quæ deuorantur, verùm etiam in ijs, quæ adhibentur. Et quamuis hoc loci Renodæus videatur refellere huius generis medicamentum, ipsumque suo castigare modo, Antidotarium tamen Bononiense, & Pharmacopœa Augustana, ipsum philonium quemadmodum nos descripsimus, probant, & nos experientia ducti multoties comprobauimus, illudque habere has prærogatiuas, quæ à Mesue, & Nicolao promittũtur, testamur.

Philonium Persicum Mesuæ tract. de fluxu sanguinis ab ore in fine.

℞. Piperis albi,
Sem. hyoscyami albi ana drach. xx.
Opij,
Terræ sigillatæ ana drach. x.
Lapidis hæmatites,
Croci ana drach. v.
Castorij,
Nardi indicæ,
Euphorbij recentis,
Rad. pyrethri,
Margarit. non perforat. præparat.
Carabæ,
Doronici,
Zedoariæ,
Trochisc. ramich ana drach. j.
Camphoræ scrup. j.
Mellis rof. quantùm sufficit.

Menstrua sistit, hæmorrhoidas, fluxum ventris, vomitum, sputum sanguineum, si cum succo plantaginis bibatur, & in vuluam inijciatur, & clysterizetur: ab abortu etiam prægnantem præseruat.

Datur, & conseruatur vt supra.

Castoreum comunis opinio tenet, quod sint testes illius animalis ancipitis vitæ, quod fibrum appellant, & quod magis est, dicunt ipsius esse testes, quos etiam sibi abscindere cum à venatoribus agitur; quod falsum esse pluribus probat Costæus super hunc Mesue locum; sed sunt

sunt folliculi duo æquantes libram vnam, & semis pro vnoquoque.

Requies Nicolai Myrepsij.

℞. Rof. rubear.
Violarum,
Opij,
Sem. hyoscyami albi,
Sem. papau. albi,
Cort. rad. mandragoræ,
Sem. intubi,
Lactucæ,
Portulacæ,
Psyllij,
Nucis moschatæ,
Zingiberis ana drach. j. & semis.
Cinnamomi drach. iij.
Sandali albi, & rubei,
Spodij,
Tragacanthæ ana scrup. ij. & gran. v.
Sacchari candi drach. j.
Mellis despumati quantùm sufficit.

Requiem præstat accipientibus, maximè febrientibus.

Durat ad decennium, & datur post sex menses.

Inter alia, quæ narcotica dicuntur, & quæ ad somnum prouocandum faciunt, nullum est magis vsitatum, nullum præstantius, aut delicatius, quàm requies Nicolai. Notat Mercurialis in huiusmodi narcoticis componendis, Antiquos non modò stupefacientia adhibuisse, verùm hisce stupefacientibus commiscuisse aromata, ac alia medicamenta concoquentia, calefacientia, & exiccantia.

Dosis requiei est à drachma vna ad drachmas duas ad summum.

Verùm cùm hoc in loco in sermonem inciderimus narcoticorum medicamentorum, antequam deueniam ad antidotos pretiosas, decreui hoc loco apponere theriacam, eò quòd & ipsa narcoticam habeat facultatem, præsertim à primo mense vsque ad sex, & vltra. Voco autem pretiosas antidotos, eas, quæ in se, & in sui compositionem recipiunt moschum, & ambram, & res pretiosas, vt margaritæ sunt, & fragmenta pretiosa, & id genus, vt paulò post. Sed cùm duplex sit theriaca, altera, quæ dicitur diatesseron, altera verò theriaca Andromachi, primò de theriaca Andromachi tractabo, deinde, de theriaca diatesseron appellata.

Descriptio Theriacæ
Prima Classis.

℞. Trochisc. scylliticorum libr. semis.

Secundæ Classis.

Trochisc. de vipera,
Trochisc. hedycroi,
Piperis longi,
Opij Thebaici,
Cinnamomi ana vnc. iij.

Tertiæ Classis.

Iridis,
Rof. siccarum,
Succi glycyrrhizæ,
Sem. napi,
Scordij,
Succi balsami,
Agarici ana vnc. j. & semis.

Quartæ Classis.

Myrrhæ,
Costi,
Croci,
Cassiæ ligneæ,
Spicæ nardi,
Schœnanthi,
Piperis nigri,
Thuris,
Dictami,
Rhapontici,
Stœchados,
Marrubij,
Sem. petroselini Macedonici,
Calaminthæ montanæ,
Terebinthi,
Rad. quinque folij,
Zingiberis ana drach. vj.

Quintæ Classis.

Polij montani,
Chamæpytios,
Nardi celticæ,

Amomi,

Amomi,
Styracis,
Mei,
Athamantici,
Chamædryos,
Phù pontici,
Terræ lemniæ,
Malabathri,
Chalcitidis vstæ,
Rad. gentianæ,
Gummi arabici,
Hypocisthidos,
Sem. balsami,
Anisi,
Seseleos,
Cardamomi,
Sem. fœniculi,
Acaciæ,
Sem. thlaspeos,
Hyperici,
Amios,
Sagapeni ana vnc. semis.

Sesta Classis.

Aristolochiæ tenuis,
Castorei,
Bituminis Iudaici,
Sem. dauci,
Opoponacis,
Centaurij minoris,
Galbani ana drac. ij.

Vini antiqui quantùm sufficit pro liquoribus, & gummi dissoluendis.

Mellis optimi libr. x.

Morsibus ferarum, & viperarum medetur, venenis aduersatur, capitis doloribus, vertiginibus, aurium grauitati, comitialibus, attonitis, resolutis, oculorum hebetudinibus, voci amissæ, asthmaticis, tussi antiquæ, & recenti, sanguinem spuentibus, ægrè excreantibus, ventriculi imbecillitatibus, & inflationibus, doloribus colicis, ileosis, colericis, cęliacis, hystericis opitulatur. Induratum lienem liquefacit, calculos in renibus comminuit, vrinæ difficultati, & vesicæ vlceribus medetur. Febrium horroribus, & rigoribus, hydropicis, & elephantia laborantibus auxiliatur. Menstrua cit, fœtum mortuum excutit, dolores arthriticos sedat, corporis non modò, sed & animi morbos persanat. Melancholicis itaque lymphaticis, & id genus alijs malis iugiter data succurrit. In pestifera lue nihil ea præstantius inueniri potest.

Siquis optat videre ea omnia, quæ dici possunt de theriaca adeat librum nostrum Miscellaneorum decade 8. tract. 9. Hoc tamen vnum hoc loci addo, quòd est de ætate ipsius theriacæ, de qua Auicennas libr. 5. summa 1. tract. 1. de theriaca, vbi illius ætates distinctè scripsit, ad hunc modùm loquutus est.

Theriacæ quidem adsunt infantia, & pubertas, & adolescentia, & senectus, & mors, & fit infans post sex menses, deinde incipit in pubertate, & augmento, vsque ad tempus, in quo stat per decem annos in regionibus calidis, & viginti annos in regionibus frigidis, deinde stat, aut decem annis, aut viginti, deinde declinat, aut post viginti annos, aut post quadraginta annos; deinde spoliatur virtute theriacæ, aut post quadraginta annos, aut post sexaginta, & fit vna confectionum declinata à gradu theriacæ: hæc Auicennas.

Siquis robur, & validitatem theriacæ cognoscere velit ex Galeni sententia, opus est medicamentum aliquod purgans cuipiam porrigere, deinde statim theriacam exhibere; nam si valida, vigensque adhuc fuerit, nullatenus ventrem purgare sinit, siquidem medicamenti soluentis facultas ab antidoti potentia eneruatur.

Non omnibus eadé offertur quantitas, nec eodem semper liquore dissoluitur; verũ antidoto, & liquore differenter vtimur, eius vt alterius pondus, & conuenientiam ex affectuum diuersitate metientes. Solet tamen communiter exhiberi à scrup. vno vsque ad drach. tres: non debet propinari intra sex menses, nisi Medicus imperauerit. Hæc de pulcherrima, & non satis laudata antidoto theriacæ Andromachi viri excellentissimi in componendis medicamentis, & cui vniuersa Medicorum schola magnam gratiam referre debet. Venio ad aliam theriacam.

Theriaca diatesseron.

℞. Gentianæ,

Bacca-

Baccarum lauri,
Myrrhæ,
Aristolochiæ rotundæ ana vnc. ij.
Mellis despumati quadruplum.

Valet ad affectus frigidos cerebri, epilepsiam, paralysim, spasmum cynicum, ventriculi inflationem, tardamque coctionem, hepatis quoque obstructionem, hydropem, & cachexiam, præterea confert ictibus scorpionis, & potioni veneni.

Dosis datur à scrupulis duobus, & granis sex ad scrupulos quatuor, & semis.

Potest seruari ad duos annos, & etiam vlterius.

Hac antidoto multoties in epilepsia, & paralysi vsus sum, & valdè profeci; memini annis præteritis ea vsum fuisse in iuuene quodam de Barresiis, qui postea doctoris insignia adeptus est: is dum vulneratus ingenti pugione fuisset in regione cubiti sinistræ manus, incidit post vulnus acceptum in paralysim vtriusque cruris, & ita permansit per multos dies, ac hoc medicamento recuperauit sensum, & motum, & nunc etiam benè valet, eius porrigebam drachmam vnam singulo mane, & quandoque drachmam vnam, & semis, deinde iubebam ipsum superbibere sex vncias decocti ex ligno sancto facti, & Deo dante, fuit liberatus.

Mithridatium Democratis ex Gal. 2. de Antid. cap. xi.

℞. Cinnamomi vnc. ij. & semis.
Myrrhæ,
Croci,
Agarici,
Zingiberis,
Thuris,
Thlaspios,
Spicæ nardi ana drach. x.
Seseleos,
Succi balsami,
Iunci odorati,
Costi,
Galbani,
Stœchados,
Terebinthinæ,
Piperis longi,
Castorei,
Hypocysthidos,
Styracis,
Opoponacis,
Folij balabathri ana vnc. j.
Cassiæ,
Polij montani,
Piperis albi,
Scordij,
Sem. dauci,
Fructus balsami,
Trocisc. cypheos
Bdellij ana drach. vij.
Nardi celticæ,
Gummi,
Sem. petrosl. maced.
Opij,
Cardamomi,
Sem. fœniculi,
Gentianæ,
Rosl. rubearum,
Dictami cretici ana drach. v. ponderis boni.
Anisi,
Assari,
Succi glycyrrhizæ,
Acori,
Phù pontici,
Sagapeni ana drac. iij.
Mei athamantici,
Acaciæ,
Ventris scinci,
Sem. hyperici ana drach. ij. & semis.
Vini optimi quantùm sufficit, succis & liquoribus dissoluendis.

Mellis mensuram conuenientem.

Valet ad eadem, atque theriaca.

Atque idem est durationis tempus.

Datur auellanæ nucis quantitate ex vino tepido, cui saluia sit incocta. Non tamen ante sex menses, vti nec theriaca exhibeatur.

Attamen non me latet nullum esse nostris hisce partibus Pharmacopœum tam diligentem, qui vel audeat, vel possit hasce antidotos, nempè theriacam à nobis dictam, & mithridatium, quod nũc descripsimus, conficere, nisi eruditissimus, diligentissimusque sit, bonisque fortunæ satis commodus, quod in Miscellaneis

neis satis fusè declaraui. Auicennas scriptum reliquit Andromachum scripsisse quidem theriacam propositam, ante tamen Andromachum mithridatium compositum fuisse testatur, & loco theriacæ magnæ antidotum fuit, & acceptum, & celebre. In his enim duobus, quæ olim vnum erant, tot, tantæque virtutes, tot vtilitates, tot sanitatis fomites, tot defensiones, protectionesque ad res maximè contrarias conspiciebantur, vt non humanum inuentum esse viderentur. At theriaca paulò calidior mithridatio est, attamen in virtutibus ferè cũ ipso concordat; excellit tamen theriaca in vno dumtaxat; fugat enim tutiùs mithridatio serpentum venena, alijs verò in rebus, vt consentit Auicen. mithridatium theriacæ antefertur, quod in Miscellaneis meis etiam animaduersum est.

DE ANTIDOTIS pretiosioribus.

CAPVT XVIII.

Descendendum iam est ad antidotos, quas pretiosiores, seu sumptuosas esse diximus, non solùm, quòd in se contineant res pretiosas, sed quia ipsarum virtutes preciosissimæ, atque præstantissimæ sint, tam in fugandis deterrimæ qualitatis morbis, quàm in refocillandis, & instaurandis spiritibus vitalibus, & animalibus ab sæua causarum, morborumque illuuie, & à pestifera aeris conditione oppressis, conculcatisque. Inter has verò eam, quam vagante paucis ab hinc annis per aliquot Siciliæ vrbes, & oppida pestifera lue descripsi, in primo loco reponere non erubescam; adeo enim egregiè, celeriterque febrium malignarum, ac pestilentium resistit venenatę qualitati, ac ipsarum lethiferis symptomatibus occurrit, vt iure meritò primas sibi partes vendicasse, reliquasque sumptuosas antidotos longis interuallis anteisse censeatur. Complurimos testes in medium omni exceptione maiores afferre possem, qui indubitatam fidem præcellentię huius confectionis facerent, at ne nimius videar in meis inuentis laudibus efferendis, ad experientiam prouoco ambigentes, quæ plura antidotum præstare posse docebit, quàm vt à quopiam paucis enarrari queant, aut satis longa oratione comprehendi.

Antidotus, seu Electuarium D. Ioannis Baptistæ Cortesij.

℞. Lapidis bezaar opt.
Rad. contraherbæ ana vnc. j.
Margarit. præparat. vnc. semis.
Boli armeniæ orientalis,
Terræ sigillatæ magni Ducis Hetruriæ,
Terræ Melitensis ana drach. j.
Rad. aristolochiæ rotundæ,
Aristolochiæ longæ,
Dictami albi ana drach. & semis.
Rad. chelidoniæ maioris.
Saluiæ,
Rutæ,
Menthæ siccæ,
Balsaminæ ana drach. j.
Granor. iuniperi,
Zedoariæ,
Zingiberis,
Nucis myristicæ,
Macis,
Garyophyllorum ana drach. ij.
Baccarum lauri,
Doronici,
Croci,
Acetosæ,
Citri,
Ocymi,
Mastiches,
Thuris ana drach. semis.
Scordij præparati,

Rasuræ

Rasuræ eboris,
Corall. rubeor.
Sapphiri pręparati,
Smaragdi,
Ligni aloes,
Sandal. rubeor.
alborum ana drach. semis.
Conseruę rosarum,
Buglossi,
Violarum,
Theriacę optimę,
Mithridatij ana vnc. j.
Conseruæ de agred. citri vnc. iiij.
Sacchari optimi libr. iij.

Dissolue saccharum cum aq. rosf. & scabiosę quantùm sufficit addendo camphoræ drach. j.

Fiat electuarium secundùm artem.

Nostrates Medici multis experientijs edocti feliciter medicamentum hoc ijs omnibus satisfacere, quę abundè pollicetur, ac prę cęteris ijs, qui mali moris, vt aiunt, febre correpti in maximum pedum, ac manuum refrigerationem incidunt, ita vt semimortui habeantur, illicò opitulari, quippè quos continuò in naturalem qualitatum attemperationem adducit, ac si à morte (vt ita dicam) ad vitam reuocaret, non citra omnium, qui tam egregiam rem viderunt, admirationem. Verùm, quia retulerunt postea mihi ipsimet Pharmacopœi, nec non & complures Medici satis amaram ægrotantium gustui esse hanc antidotum, id quod deinde, & ipse expertus sum, ea propter ad amaritiem minuendam, & quoquo pacto gratiam apud ægros medicamento conciliandam, eam pro vt sequitur descripta correxi.

℞. Lapidis bezaar opt.
Rad. contraherbę ana vnc. j.
Margarit. pręparat. vnc. semis.
Boli armenię orient.
Terrę sigillatæ magni Ducis Hetrurię,
Terrę Melitensis ana drach. j.
Dictami albi,
Saluię,
Rutæ,
Menthæ crispæ,
Balsaminæ ana scrup. j.
Gran. iuniperi,
Zedoariæ,
Zingiberis,
Nucis moschatæ,
Macis,
Garyophyllorum ana drach. j. & semis.
Baccarum lauri,
Croci,
Acetosæ,
Citri,
Ocymi,
Mastiches,
Thuris ana scrup. semis.
Scordij pręparati,
Pul. rosarum,
Corall. rubeor.
Saphiri præpparati,
Smaragdi,
Sadal. rub.
albor. ana drach. semis.
Conser. rosf.
Buglossi,
Violarum ana vnc. ij.
Theriacæ,
Mithridatij ana vnc. semis.
Conseruæ de agred. citri vnc. vj.
Sacchari optimi libr. iij.
Dissolue saccharum cum aq. rosf. & scabiosæ quantùm sufficit, fiat electuarium secundùm artem.

Dosis à drach. vna ad ij.
Conseruatur per duos annos.

Confectio de Hyacintho incerti authoris.

℞. Hyacinthorum,
Corallij rubri,
Terræ lemniæ,
Boli armeniæ ana vnc. sem.
Granorum kermes,
Rad. tormentillæ,
Dictami,
Sem. citri mund.
Croci,
Myrrhæ,
Rosf. rubear.
Sandal. omnium,
Ossis de corde cerui,
Cornu cerui vsti,
Rasuræ eboris,
Sem. acetosæ,
Portulacę ana drach. j.
Sapphiri,

Smaragdorum,
Lapidis topatij,
Margarit.
Serici crudi,
Bracteolarum auri, &
argenti ana scrup. ij.
Camphoræ,
Moschi,
Ambræ griseæ ana gran. v.
Cum syr. limonum fiat confectio.

Inter multas descriptiones, quas apud Authores reperio confectionis diahyacinthi, vnam præ cæteris magis probandam esse censeo, quæ ab Antidotario Bononiensi adhunc modum descripta est.

Confectio de Hyacintho ex Antidotario Bononiensi.

℞. Hyacinthor. orient. drach. j. & semis.
Smaragdorum,
Sapphirorum,
Topatiorum,
Rubinorum,
Margarit. perforat.
Margarit. non perforat. ana scrup. ij.
Corallor. alborum,
Corallor. rubeor.
Xyloaloes ana dr. semis.
Rosarum rubear. drach. j.
Ossium de cornu cerui nu. x.
Serici crudi,
Cornu cerui vsti cum aq. rof. loti,
Sem. portulacæ,
Sem. coriandr. præparat.
Sem. acetosę ana scrup. j.
Santalorum omnium ana drach. j.
Been albi, & rubri,
Cort. rad. dictamni,
Rad. tormentillæ,
Terræ lemniæ præparatæ,
Boli armeniæ luteæ,
Rof. rubr. incomplet. ana scrup. ij.
Sem. citri recentis decorticati scrup. iiij.
Fol. auri num. xxxx.
Ambræ griseæ,
Moschi orient. ana gr. viij.

Terantur omnia subtilissimè secundùm arten, & cum saccharo albissimo dissoluto in sufficiente quantitate succi citri depurati fiat confectio solida, vel etiam mollis in forma opiatæ. Sed cupio auferri spodium, & rasuram eboris, quę vnum, & idē sunt, & vtriusque loco ponantur rosæ.

Cor mirabiliter roborat, vires deperditas reparat, putredinem præsentem corrigit, & futuram præcauet, ob id febribus pestilentibus summum est præsidium.

Dosis à drach. vna ad duas.

Virtus eius valida potest ad quatuor annos perdurare.

De hac confectione hyacinthina plures scribunt, sed inter alios Ludouicus Bertaldus, qui integrum tractatum edidit, in quo ad satietatem scribit, quamuis Authorem proprium ignorare fateatur, nos relictis longis scriptorum disceptationibus eam trascripsimus à Collegio Bononiensi, tamquam cæteris omnibus elegantiorem, & multoties probatam, licet existimemus nostram suprascriptam longè validiorem, & efficaciorem esse in malignis febribus.

Confectio Liberans.

℞. Rad. tormentillæ,
Sem. acetosæ,
Endiuiæ,
Coriandr. præparat.
Citrei mali ana drach. j. & semis.
Santalorum omnium,
Dictamni albi ana drach. j.
Boli armeniæ præparat.
Terræ sigillatæ ana drach. iij.
Cinnamomi drach. j.
Margaritarum,
Corallij albi,
rubei,
Carabæ,
Rosarum rubearum,
Ossium de corde cerui,
Been albi,
rubei,
Cardamomi,
Macis,
Ligni aloes,
Cassię ligneæ,
Croci,
Zedoariæ ana dr. semis.
Smaragdi,
Hyacinthi,
Granati,
Serici crudi torrefacti, & incisi an. scrup. j.
Penidij,

Penidij,
Sacchari candidi ana ſcrup. ij.
Flor. nenupharis,
Flor. bugloſsi,
Roſ. ana ſcrup. j.
Camphorę gran. vij.
Moſchi,
Ambrę ana gran. iij.
Sacchari albiſſimi quantùm ſufficit, fiat electuarium.

Doſis à drachmis duabus ad quatuor.

Duratio ad biennium extendatur.

Contra peſtem plurimùm valet, tutatur corpus, nè lędatur à peſtifero aere, & pręſeruat humores à corruptione.

In pauciſſimis Antidotarijs huiuſmodi medicamentum ſcriptum reperio, nempe in Bononienſi, Auguſtano, & à Proſpero Burgarucio, inde eſt, quòd exiſtimem ſimul cum Auguſtana Pharmacopœa ipſius Authorem eſſe incertum, & iurarem fuiſſe aliquem ex Arabum familia; quandoquidem ſpodium admittit non Gręcorum, cùm ſupra dictum ſit illud eſſe pompholygem, quę non ingreditur medicata interna, ſed tantummodo externa: ſpodium verò Arabum medicamentum eſt hactenus ignotum, quod dictum fuit non poſſe eſſe ebur. Hoc in loco non modò ſcribitur ſpodium ex ebore, verùm additur pręter ſpodium raſura eboris, ſed ſiue accipiatur raſura eboris, ſiue ſpodium ex ebore, ſemper vnam, & eandem rem habemus, nempe elephantis dentem, id quod diximus ſupra ex authoritate Monardes eſſe inutile medicamentum, & potiùs loco ſpodij conuenirent roſę in dupli cata doſi, quod Ingraſſias etiam probat.

Confectio alkermes Meſuæ alias de lapide cyaneo, vel ſtellato, vel lazuli.

℞. Serici kermes nuper infecti libr. j.

Mergatur in ſucco pomorum dulcium, & aquę roſarum ana libr. j. & ſemis, & dimitte per ſpatium horarum vigintiquatuor, deinde coque lento igne, donec liquores iſti rubeant, deinde extrahe ſericum, atque inſuper exprime diligenter, mox infunde.

Sacchari albiſſimi libr. j. & ſem. & dr. vj. ad melliſque craſſitiem coque; amoue ab igne, atque miſce.

Ambrę crudę ſyncerę minutatim conciſę drach. iiij. qua liquata inijce puluueres hos, videlicet.

Ligni aloes,
Cinnamomi ana drach. vj.
Lapidis lazuli loti, & pręparati vnc. j. & ſemis.
Margarit. albar. drach. ij.
Fol. lauri drach. j.
Moſchi boni ſcrup. j.

Miſce.

Eſt maximi iuuamenti ad cordis palpitationem, ſyncopem, & triſtitiam ſine cauſa, & eſt ex rebus confortantibus animam mirum in modum.

Doſis à drach. vna, & ſemis ad tres.

Ad quatuor annos ſeruatur.

De hac confectione alkermes omnes ſcriptores, & Antidotaria tractāt, quamuis in meis Miſcellaneis demoſtrauerim deſcriptionem huius eſſe in duplici differentia, vna eſt, quæ recipit in ſua compoſitione lapidis lazuli drachmas duas, alia verò, quæ recipit drachmas duodecim; præſtantiorem eam eſſe oſtendi, quæ drachmas duodecim recipit lapidis lazuli, illumque eſſe baſim, vbi perfectè lotus fuerit, vt infra apparebit, neque habere facultatem aluum deijciendi, nec per inferiora, nec per ſuperiora, vt Ioannes Manardus, & alij putarunt, quod experientia ſepiſſimè expertus ſum; & præſertim in illa compoſitione, quam feci pro Illuſtriſſimo, & Reuerendiſſimo Villancurt, Magno Magiſtro Ordinis Equeſtris Hieroſolymitani, eamque ſemper componere feci cum proportione lapidis lazuli ad vnciam vnam, & ſemis, non ſecus atque Antidotarium Bononienſe reformatum anno 1614.

Hac ratione compoſita hæc pretioſiſſima antidotus maximè valet mirificeque ſuccurrit affectibus cordis iam dictis: nec ſatis mirari poſſum Manardum virum alioquin doctiſſimum, quòd ſcribat ſe nūquam velle pecunias in hac emenda antidoto impendere, quòd neque in ſerico, neque in cocco, vel baphico, vel kermes nuncupato agnoſcit, niſi vim conſtringentē, & quod magis eſt, addit coloris rubri

ris rubri ratione lædere potiùs cor, quàm iuuare, spiritus, & sanguinem trahendo propter similitudinem. Scribit tamē Sylnius aduersus Manardum efficacissimam multorum etiam Regum, ac Reginarum in Gallia testimonio esse probatam maximè, in quibus vel longo morbo fessis, & iam moribundis, vel ab eo reualescentibus. Quod attinet primò ad astringentia, vt est sericum, valent etiam in corroborando corde, quod verò sanguis sua rubedine ab hac cōfectione trahatur ridiculum videtur, & tanto viro indignum, quasi sanguini, & spiritibus adsit videndi sensus; probatissima igitur est huiusmodi confectio, & ab omnibus scriptoribus admissa, quæ præsertim recipit duodecim drachmas lapidis lazuli præparati, & cōsulo Pharmacopœum ad illam præparandam, & apud se conseruandam.

Confectio lætificans Conciliatoris differentia 296.

℞. Succi pomorum dulcium,
Succi buglossi despumati ana drach. v.
Doronici,
Cort. citri,
Flor. borraginis,
Rosi.
Been albi,
rubei,
Coralliorum,
Eboris,
Myrobalanorum omnium ana vnc. semis
Spodij,
Macis,
Galliæ moschatæ,
Succini,
Ossis de corde cerui,
Santalorum rubrorum,
Margarit. albarum ana drach. iij.
Cinnamomi vnc. semis.
Sem. ocymi,
Folij,
Myrtillorum,
Melissæ,
Coriandri præparati,
Cinnamomi,
Galangæ,
Zedoariæ,
Spicæ nardi,
Ligni aloes,
Serici crudi minutim incisi, aut modicum combusti,
Croci,
Berillorum,
Smaragdorum,
Hyacinthorum,
Sardonij,
Saphyrorum,
Granatorum ana drach. j.
Auri,
Argenti ana drach. ij. & semis.
Ambræ,
Camphoræ ana scrup. semis.
Moschi drach. j.
Fiat electuarium secundùm artem.

Efficax est in omni cordis passione, ita vt reddat homines rediuiuos.

Dosis vt præcedens, & conseruatio.

Confectio Anacardina ex Mesue.

℞. Piperis nigri,
longi,
Myrobalanorum chebulor.
emblicorum,
belliricorum,
indorum,
Castorei ana drach. ij.
Costi,
Anacardij,
Cubebæ,
Sacchari albi,
Baccarum lauri ana drach. vj.
Cyperi drach. iiij.

Anacardia per se terantur, deinde alia excipe butyro vaccino, & melle despumato ana simul coctis.

Acuit intellectum, subtiliat sensum, memoriam reparat, & confert dolori stomachi, & ventris à frigiditate facto, & clarificat sanguinem, coloremque bonum facit.

Datur post sex menses à drachma semis ad drachmas duas cum aqua fœniculi, & apij.

Potest studiosè reposita quatuor annis seruari.

Alia confectio anacardina describitur à Prospero Burgaruccio distinct. 5. suæ fabricæ pharmacopœæ ad hunc modum.

Conse-

Confectio Anacardina ex Burgaruccio.

℞. Aloes,
Ireos,
Cassiæ ana drach. vij.
Zingiberis,
Anacardij,
Carpobalsami ana drach. iiij. & semis.
Folij,
Nardi indicæ,
Myrobalanorum citrinorum,
chebulorum,
indorum,
belliricorum,
Mei ana drach. iij. & scrup. j.
Garyophyllorum,
Squinanthi,
Rhapontici,
Mastiches ana drach. ij.
Corticis rad. fœnicul. libr. j.
Aceti optimi libr. ij.

Contundantur, & infundantur omnia in dicto aceto per spatium septem dierum. Deinde coquantur, & colentur, & colaturæ benè expressæ adde.

Mellis despumati libr. ij.

Fiat Electuarium secundùm artem.

Et quoniam in prima confectione anacardina opus est ad ipsam conficiendam vti butyro recenti vaccino, & in istis partibus, nempè Messanæ raro, aut numquam haberi potest recens butyrum, nam huc affertur ex Belgio, vel Anglia, idcirco meliùs est hanc secundam compositionem parare, quandoquidem videtur habere eandem intentionem, quam habet, & prima.

Electuarium de ouo Maximiliani Imperatoris.

℞. Ouum gallinæ recens, & educto per apicem albumine, id quod vacuum est croco orientali non puluerizato imple, vitellum non auferendo, postea cum alio putamine iterum occlude, ne quid transpiret, & lento igne, vel post fornacem tandiù assa in ollula, donec tota oui testa nigrescere incipiat, diligenter cauendo ne crocus comburatur. Exempta è testa materia exiccetur, vt in mortario exquisitissimè contundi, & in puluerem redigi queat, addendo pulueris erucæ, seu sinapi albi quantum prædicta omnia ponderant, postea.

℞. Pulu. rad. dictamni albi,
Tormentillæ ana drach. ij.
Myrrhæ,
Cornu cerui,
Nucis vomicæ ana drach. j.
Rad. angelicæ,
Pimpinellæ,
Granorum iuniperi,
Zedoariæ,
Camphoræ ana vnc. semis.

Misce omnia simul in mortario, & tandem appone theriaces optimę ad pondus omnium, & iterum pistillo fortiter contunde, & commisce per tres quasi integras horas agitando, fiat electuarium, vt est artis.

Eius vsus maximè est in peste, & in præseruatione à venenis deleterijs.

De Authore, & nomine huius medicamenti cognitio minimè habetur, est tamen diuulgatum medicamentum, tam in Gallia, quàm in Germania aduersus pestem, & famam accepit à Maximiliano Imperatore, qui vt aiunt, tempore pestis ipso sæpissimè vtebatur.

Hoc loci Renodæus non probat tantã camphoræ copiam, nec vult, vt ad pondus croci, & vitelli oui, sinapi apponatur, & reddit rationem, quia sinapi non est cordiale, deinde quia calidissimum est: camphora verò grauis odoris, sed cardiaca, vbi sit accepta in paucissima quantitate; sed quoniam huiusmodi electuarium descriptum est ab omnibus Medicis Augustanis, ideò cæteris paribus, mihi probatur ea ratione, & sine vlla castigatione, quemadmodum ab ipsis Augustanis describitur. Et hæc quoad medicamenta, seu antidota pretiosa, quæ sunt pro maiori parte à doctissimis viris, & præsertim ab Illustrisimo Collegio Bononiensi confirmata.

DE CONSERVIS.

CAPVT XIX.

Conseruas, quibus & sacchari nomen ab aliquibus inditum fuit, superiùs dicebamus à Medicis huic vsui potissimùm destinatas fuisse, vt palato gratificarentur, licet præterea visceribus malè affectis maximo sint adiumento, tum alterando, tum etiam eadem, cæterasque internas partes corroborando. Componuntur eę ex herbarum plerumque floribus, & saccharo, ea ratione vt eorundem vires, seu facultates integrè, si fieri potest, per aliquod temporis spatium conseruari queant. Parantur etiam ex floribus, radicibusque simul commistis, tametsi, vbi radices apponi consueuerint, conditorum potiùs nomine donẽtur, licet conseruæ naturam retineant, quemadmodum est conserua radicis enulæ campanæ, vel eryngij.

Actuarius quoque Græcorum postremus saccharum violaceum, ex violarum succo factitatum memoriæ nostræ prodidit, quem imitatus Quercetanus rei pharmaceuticæ solertissimus complures tum syrupos, tum conseruas, & condita eadẽ ratione componendã esse docet. Vnde manifestum nobis fit conseruarum, atque conditorum vsum, vnum ferè, eundemque esse. Verùm quod attinet ad conseruas, solent Medici eas exhibere vel seorsim, vel alijs medicamentis admistas. Porrò earum aliæ in solutiuorum censu reponuntur, de quibus in fine electuariorum soluentium, vbi ecoprotica adduximus, aliquid tetigimus; aliæ verò alterantes, seu corroborantes existunt, quarum dosis vnciam non excedit. Hoc igitur capite has tantùm comprehendere decreuimus.

Conserua violarum.

℞. Flor. viol. nigrar. recentium cauda, pediculoue, & viridi purgatarum, in mortario lapideo tritatarũ quantum volueris.

Duplo saccharo miscentur, & in vase vitreo reponuntur.

Feruorem bilis mitigat, sitim exstinguit, aluum lenit, thoracis vitijs calidis, faucium, & gutturis asperitati, ac siccitati auxiliatur, somnumque conciliat.

Vltra annum non conseruatur.

Conserua rosarum.

℞. Fol. ros. rubr. recent. nondum perfectarum exunguatorum in mortario lapideo libr. j.

Duplo saccharo permiscentur, & in vase vitreo, non tamen omninò repleto reconduntur, solique exponuntur per tres menses, quotidie miscendo.

Ventriculum, & cor, reliquaque viscera refrigerat, ac vapores reprimit, tabidis, & sanguinem reijcientibus, si sit vetus, plurimùm confert: sic & dysentericis assumpta, & iniecta. Recens verò lenit aluum, & abstergit.

Conseruatur ad multos annos, quousque scilicet eius superficies, veluti vermiculis corrosa conspiciatur; tunc enim vetustissimam esse, & penitus inutilem existimant.

Conserua buglossi.

℞. Flor. buglossi libr. j.
Sacchari libr. iij.

Terantur in vase lapideo cum pistillo ligneo, fiatque conserua in modum opiatæ, insoletur, & seruetur per annum.

Cor roborat, eiusque tremorem, & syncopem sanat, maniacos, & melancholicos iuuat.

Conserua flor. nenupharis.

℞. Flor. nymphææ luteorum recentium libr. semis.

Saccha-

Sacchari albi libr. j.

Tere in vase lapideo, ac in forma opiatæ confice, insola, & in vase fictili vitreato conserua ad annum.

Febricitantibus, hecticis, pleuriticisque confert, cerebrum refrigerat, & somnum inducit.

Conserua ex floribus Cichorij.

℞. Flor. cichorij libr. semis.
Sacchari albi libr. j.

Tere in vase lapideo, ac in forma opiatæ confice, insola, & in vase fictili vitreato conserua ad annum.

Valet aduersus calorem iecoris, & obstructionem viscerum.

Conserua flor. Borraginis.

℞. Flor. borraginis recentium à capitello, cui inseruntur purgatorum vnc. iiij.
Sacchari albi vnc. xij.

Contundantur simul benè in vase lapideo pistillo ligneo, fiatque conserua. Insoletur, & in vase vitreato seruetur ad annum.

Datur in tremore cordis, & in syncope; gaudium enim generat, & confert melancholiæ.

Conserua Rosmarini, siue florum anthos.

℞. Flor. anthos recentium libr. semis.
Sacchari albissimi libr. j. & semis.

Terantur simul in mortario marmoreo pistillo ligneo: fiatque conserua in vase vitreo, vel vitreato fictili, vel lapideo denso, aliquandiù ad solem; deinde ad annum, vel biennium seruanda.

Cor ventriculum, & cerebrum refrigerat, refrigerata, & humectata firmat, ac omnes corporis partes neruosas, flatus denique dissipat.

Conserua Acori.

℞. Rad. acori veri libr. j.
Bulliant in aqua, quoad cocta fuerint, postea pistentur, & passentur per setaceum, deinde parantur supra ignem addendo sacchari libr. iij.

Fiat conserua in modum opiatæ. Insoletur, & seruetur per annum.

Valet ægritudinibus cerebri, & neruorum: ac etiam in affectibus phlegmaticis.

Conserua Bettonicæ.

℞. Bettonicæ recentis, & teneręlibr. j.
Sacchari optimi libr. iij.

Folia in mortario lapideo terantur minutissimè: saccharum verò coquendum est cum aquę bettonicæ libris duabus vltra syrupi consistentiam. Deinde simul aliquandiu misceantur supra prunas, fiatque conserua, quæ per annum in vase vitreato conseruanda.

Confert frigidis capitis malis, purgat ventriculum, & vterum, calculosis renibus auxiliatur, conceptionemque iuuat.

Conserua Eufragiæ.

℞. Mense Iulio, vel Iunio eufragiæ vna cum floribus libr. semis.
Sacchari libr. j. & semis.
Contundantur simul in mortario lapideo minutissimè, deinde ponantur in vase vitreato aliquandiu ad solem, quotidie agitando: postea seruetur ad annum, vel biennium.

Cerebrum confortat, siccatque; visum acuit, ac clarificat.

Conserua flor. Stœchados.

Conserua stœchados eodem modo, quo anthos, vel bettonicæ paratur.

Conserua flor. Saluiæ.

℞. Flor. saluiæ recentis libr. semis.
Sacchari libr. j. & semis.

Pistentur simul in mortario marmoreo minutissimè: deinde ponantur in vase fictili vitreato ad solem, aliquandiu quotidie agitando, postea seruetur ad annum.

Ad omnia cerebri vitia ex frigida causa valet, ventriculum corroborat: obstructiones aperit, ventriculi superfluos, & no-

& noxios humores absumit.

Conserua flor. lauendulæ.

Conserua flor. lauendulæ, vel spicæ, fit floribus recentibus contritis cum saccharo, eodem modo, quo conserua florum anthos. Insolatur, & conseruatur per annum.

Cerebrum, ventriculum, hepar, splenem, & vterum excalfacit. Ad suffocationes vteri, ad splenem induratum, & apoplexiam conducit.

Conserua maioranæ.

Conserua maioranæ paratur, vt conserua anthos, vel bettonicæ. Insolatur, & conseruatur per annum.

Valet ad omnes frigidos, & humidos cerebri, capitis, & ventriculi affectus: iecinoris obstructiones reserat: vitalesque spiritus fortificat.

Conserua pæoniæ.

℞. In Vere flor. pæoniæ recentium lib. sem.

Pistentur simul in mortario lapideo optimè: deinde ponantur ad solem in vase vitreato per menses tres quotidiè agitando spathula lignea: postea conseruetur ad annum.

Ad epilepsiam, & vertiginem valet: menstrua prouocat, renum, & vesicæ calculos expellit, terrores nocturnos sedat, &c.

Conserua primulæ veris.

Conficitur eodem modo, quo conserua pæoniæ tempore Veris.

Capiti, & cerebro frigido conducit, hominem ab apoplexia tutum reddit. Qui vult plures alias conseruas adeat Vuecherum libr. 2. Antid. specialis.

DE CONDITIS.

CAPVT XX.

Condita sunt in duplici differentia, alia liquida, alia solida. Rursus diuiduntur, eò quòd alia sunt propriè liquida, alia impropriè, quæ cùm priùs essent liquida, duriora fiunt, vel tempore, vel arte, & vulgò condita vocantur, quorum compositio varia, & multiplex est, & in quibusdam ciuitatibus, vt Neapoli, vel Genua ad delitias potiùs, quàm ad vsum medicum parantur, quæ licet parum medicamentosa sint, quia virtus fructuum, & aliorum ferè tota in lixiuio, vel alia præparandi ratione absumitur; admitti tamen possunt in bellarijs, quemadmodum hic Messanæ vbi loco bellariorum, & alimentorum ægrotantibus porrigi consueuerunt, vt sunt radices borraginis, quæ Genua huc afferuntur, & sunt longæ, albæ, & gratissimæ gustui, vel etiam alij fructus, vt sunt pruna, azarolæ, lactuca, cucurbitæ, & huiusmodi, incommuni vsu habitæ. Liquida verò, non solùm per se, verùm etiam antidotorum compositionibus inseruiunt, presertim serapia, quæ eis admixta sunt pro custodia eorundem, & quamuis ipsorum quantitas nequeat determinatè describi, nihilominus ab vncia vna ad vncias duas, & tres præscribi potest.

DE CONDITIS CALEFAcientibus, & corroborantibus cor.

Nux moschata Indica condita.

Nuces moschatæ Indicæ recentes conditæ ad nos Lusitanorum nauigationibus ex India conuehuntur, nostris iuglandibus amplioribus persimiles, cortice viridi, carnoso, & alio lignoso, inter quos est macis, & sub lignoso ipsa

nux moschata.

Valet ad cordis, & ventriculi robur, & intemperiem frigidam. Sylvius.

Aurantia condita.

Cortices aurantiorum aqua frigida aliquoties mutata macerentur ad deponendum amarorem plus minus, pro intentione vsurpare volentis. Et deinde modicè rexiccati condiantur syrupo simplici, vel mellis, vel sacchari coniunctim, vel diuisim ad iustam crassitiem. Quidam à prædictis corticibus accuratè auferunt album illud, quod sub flauo subest, veluti fungosum inter medium, vsque ad succum, siue chylum ipsius fructus: alij contra reliquunt, & pariter condiunt.

Ventriculum, & cor roborant. Colonienses.

Citria condita.

Cortices citrorum, tam magnorum, quàm vola manus capere potest, carne purgati, lixiuio claro mergantur ad dies nouem mutato ad diem quintum: post merge aqua clara, donec amaritudine deposita, dulcescant; tunc vase mundo, aqua fontis plurima coquantur, donec tenerescant: aquosa deinde substantia ab his expressa, in vase lapideo mergantur, vigintiquatuor horas, iulepo sufficienti ex saccharo albo, & aqua tripla costante; post coquantur igni lento ad penidiorum consistentiam. Extracti ex iulepo cortices vase vitreo reponantur super fuso singulis, vicissim velut incrustandis iulepo rosato, ad mediocrem, seu sacchari candefacti crassitiē cocto. Sunt qui ambra, & moscho aromatizant. Datur post mensē.

Stomachum, & cor confortant, coctionem iuuant, oris halitum commendant. Eodem etiam modo condiuntur cortices aurantiorum, & limonum. Mesues.

Myrobalani chebulæ condita.

Myrobalani chebulæ accipiendæ sunt quotlibet, humidæ, recentes, si harum est potestas, vel saltem arte, & industria idoneè humectatæ, quæ stilo passim conpunctæ coquantur ex aqua igne lento, donec tenerescant. His in asserem immissis aqua exprimatur. Deinde biduò hydromelite, vel syrupo sacchari mergantur. Deinde igni lento clementer coquantur, vase vitreo recondantur, ac melle, cui incoctæ fuerint mergantur. Hodie ex Aegypto conditæ in Italiam afferitur.

Dantur post sex menses.

Dosis est vna de mane stomacho ieiuno

Stomachum, cor, & ventriculum firmant, appetentiam inuitant, coctionem promouent, rationalem animæ partem vegetam reddunt, & sensificam: quapropter visum quoque clariorem, & vsu crebro iuuentutem diù tuentur. Mesues.

Multa alia condita reperiuntur eiusdem facultatis apud Vuecherum loco præcitato.

DE CONDITIS REFRIgerantibus.

Myrobalani emblicæ condita.

Myrobalani emblicæ aqua affusa soli exponendæ, donec tenerescant, & humectentur: tunc expressæ hydromelite biduò macerantur post igni lento coquũtur, coctæ vbi parum refrixerint, mellis albi quarta parte, vel sacchari adiecta reconduntur. Sunt qui aromatibus condiant cynnamomo, xyloaloe, cardamomo, croco, moscho, gallia, & similibus.

Datur vna semel tota diebus aliquot.

Ventriculum roborant, eius substantiam, & facultatem contrahendo, & intemperiem humidam corrigendo.

Conditum ex Prunis.

℞. Carnium prunorum nigrorum oblongorum, mediorum, subdulcium, elixatorum in aqua, cui portulaca incocta fuerit libr. j.
Sacchari albi libr. j.
Aq. violarum libr. ij.

Coque igni lento ad crassitudinem. Reconde vase vitreo, da ab vncijs quatuor ad sex.

Ventriculi ardorem, & inde natam si-

tim extinguit, febres mitigat, alvum soluit. Mesues.

Conditum ex Sorbis.

℞. Carnis sorborum propemodum maturorum, coctorũ in aqua, cui rosæ primùm incoctæ fuerint, & cortices granat. libr. iiij. Mellis, aut sacchari libr. ij. & semis.

Coq; ad crassitudinẽ, & recõde in vase.

Datur vncia vna

Ventriculum roborat, immodicam purgationem sistit. Mesues.

Cerasa condita.

Cerasa acida recentia, antequam ad perfectam maturitatẽ peruenerint, euellantur, & saccharo ad iustam spissitudinem cocto, atque clarificato, perfundantur, reponanturque. Colonienses.

Mespila condita.

Mespila matura colliguntur, atq; saccharo ad syrupi consistentiam cocto condiuntur, & in vase vitreato reponuntur.

Radices Cichorij conditæ.

Radices cichorij recentes, & virides primùm terra, & cortice exteriore, atque matrice purgatę, deinde in parte sectæ, priusquam condiuntur, coquantur, donec mediocriter mollescant, ita tamen, vt nec obscurus remaneat amaror. Coctæ leuiter resiccentur in aere, à se mutuò seiunctæ: deinde saccharo ad iustam spissitudinem cocto condiantur, & reponantur. Colonienses. Atque hæc de conditis apud scriptores, quibus nihil aliud frequentius.

DE EXTRACTIS.

CAPVT XXI.

Hviusmodi medicamenta videntur potiùs spectare ad Chimicam artem; nam nihil aliud sunt nisi extractio virtutis, seu facultatis alicuius simplicis facta ab humore calefacto, in quo infusa sit illa materia, cuius virtus extrahi debet, & remanere in aqua, estque veluti infusio quædam. Hæc autem extractio videtur duplex, vna, quæ fit à Pharmacopœis; altera à Chimicis, prior ad hunc modum fieri videtur ab ipsis; nam liquorem tantùm quendam, vt lachrymam, resinam, & gummi, vel quid simile, ac fluidum extrahunt secernuntque à substantia crassiore, ac solidiore; Chimici verò, non modò corpus illud crassum relinquunt, sed & tenuiorem substantiam exhalare permittunt, relicta eius portione crassiuscula, ac paucula, cui vt subiecto virtus vnita adhæret, vnde extractum ex Renodæo aliqui quasi essentiam à corpore separatam appellant; huiusmodi enim extractum parua mole vires habet eximias, illiusque drachma, non minoris est efficaciæ, quàm vncia medicamenti tota, cum sua substãtia crassiori exhibita, quamuis vt plurimùm extracta fiant per aquam vitæ; solet tamẽ fieri per herbarũ decocta, aquas stillatitias, & aliquando etiã per aquã pluuialẽ, vel fontanam, & alias res humidas.

Præteritis diebus vidimus Pharmacopœũ Scipionẽ Saccũ accepisse nostri electuarij vnc. j. atq immersisse in lib. j. aq. vitæ in vase vitreo, illudque apposuisse igni moderato per iiij. dies, post cuius calefactionẽ apparuit substãtia quędã tenuis instar vini albi, vnde in ipsa aq. vitę remãsit tota facultas, & virtus electuarij; erat enim veluti, vt Chimici dicunt, elixir quoddã. Videamus modò aliquod extractum, & primò illud rhabarbari à Chimicis inuentũ.

Extractum Rhabarbari Paracelsi.

℞. Rhabarb. electi, crassiusculè triti libr. j. Aq. tartareæ libr. iiij.

Mace-

Macerentur in balneo mariæ per dies quatuor, deinde lento igni decoquantur, donec supereemineat rhabarbarum, tunc per laneum cribrum nouum, coletur accuraratè, & validè exprimatur. Postremò colatum euaporet cum syrupo è floribus persicorum nouies infusis ad iustam spissitudinem, & in vitro recondatur diligenter.

Dosis à scrupulo vno, ad drachmam vnam, cum iure aliquo. Excellens, & clemens est catharticum, quod deijcit non modò bilem, sed, & pituitam, tam in pueris ætate tenellis, quàm in prægnantibus.

Aliud extractum Rhabarbari ex Bertaldo.

℞. Rhei optimi minutim concisi libr. j.

Maceretur per diem integrum in libris duabus succorum depuratorum borraginis, & fumariæ, deinde igni lentissimo coquatur, donec succi absumantur, tunc fit expressio fortis, quæ denuò igni coquatur lento in diplomate ad mellis crassitudinem. Sunt, qui sacchari duas vncias adijciunt, sed augetur moles, & hebescit extracti facultas.

Huiusmodi extractum, quod sibi adscribit Ludouicus Bertaldus, habetur descriptum ad verbum in Antidotario Vuecheri lib. 2. ex inuẽtione Euonymi cuiusdam. Quidam quoniam rhabarbarum per se non valdè purgat, acuunt totam extractionem cum modico diagridij optimi, quod nihil obest.

Aliud extractum.

℞. Rhabar. elect. vnc. semis.

Pulueriza, & infunde in aqua appropriata, stet infusum per diem, & noctem, deinde fortiter exprime illam expressionem adiecto saccharo candido, quantum videbitur leuiter in arena exhalãdo, exiccando ad crassitiem electuarij.

Dosis ipsius à drachma semis, ad scrupul. ij.

Multa extracta, à multis fiunt, quædam scilicet ex baccis lauri, quædam ex baccis sabinæ, quædam ex folijs cardui benedicti, alia ex radice gentianæ, alia ex melissæ. Parantur quoque extracta ex radicibus chinarum, ex ligno guaiaco, ex sassafras, ex salsa parilla quæ omnia faciunt ad luem veneream.

Multa præterea scribuntur extracta ab Vuechero iam dicto, & à Quercetano ex varijs materiebus, tam simplicibus, quàm compositis, vt videre est apud ipsos.

Inter alia extracta, quæ ventrem soluunt, & cum beneficio ægrotantium vnum est, quod à Zefiriele Thoma Bouio describitur, quo vsum sum sæpiùs cum fœlici successu, illud autem appellatur extractum hellebori nigri.

Extractum hellebori nigri.

℞. Elleborum mense Iulio vsque ad mensem Octobris, & accipitur cum tota planta, deinde abluitur, & rectè ab omnibus immunditijs terrestribus mundatur, deinde contunditur crasso modo, ac ponitur in vase satis amplo pro quãtitate hellebori, totumque vas repletur vino albo, purissimo, mox ad ignem exponitur, & ebullitur per spatium trium horarum circiter: atque vbi ebullitum fuerit, ponitur in sacculo ex tela densiori, & noua, postea prælo, seu torculari exprimitur validissima expressione, qua facta recipitur expressum, & bullitur denuò vsque ad spissitudinem picis naualis, aut vt meliùs dicam ad spissitudinem diacatholici, & ablato ab igni reponitur in vase vitreo.

Durat per biennium, & eo plus.

Dosis ipsius est à scrup. semis, vsque ad scrupulum vnum, & ij. vel ad drach. j. ad summum.

Et huiusmodi medicamentum est tam benignum, vt de eo dici possit, quod scribit Mesue his verbis (& solutione educit cum facilitate) vnde doctiss. Io: Costęus super hunc Mesuei locum scribit, nostris temporibus obseruatum esse, si opportunè illud exhibitum fuerit tam facilem sequi purgationem, & adeo mitẽ, vt vix inter soluentia numerari debeat, ijs præsertim, qui humore scatent melancholico naturali excrementitio. Atque de extractis hæc sint satis.

DE IVRE GALLI, & de vinis medicatis.

CAPVT XXI.

PRiùs quàm topicorum, idest localium medicamẽtorum formulas explicemus, duo adhuc ex internis præsidijs in medium proponenda supersunt, ius nimirum galli, & vinum medicatum, de quibus iam agere, at breuiter nostro more aggredimur.

Et primò, quod attinet ad ius galli, quamuis non desint alia iura, vt pote gallinarum, columbarum, & alia pleraque à scriptoribus allata, nos tamen contenti erimus ea tantùm hoc loci describere, quæ de iure galli à præstantioribus Medici describi solent, hac facta diuisione, quòd ius galli dupliciter parari consueuerit; vno modo vt habet rationem medicamenti alterantis, altero verò vt habet rationem medicamenti euacuatorij. Quare si ipsum primò modo consideremus, videbimus ex sententia Dioscoridis libr. 2. cap. 41. & Mesuæ lib. 2. cap. 23. habere facultatem calefaciendi, & exiccandi, nec non quoniam nitrositatem quandam in se habet, & etiam salsedinẽ, facultatem habere incidendi, attenuandi, detergendi, flatus dissipandi, materiam impactam discutiendi, sputum promouẽdi, vrinas ciendi, atque ventrem subducendi, in quo docente Galeno à iure gallinæ differt. 2. simpl. medic. facult. eò quòd ius gallinæ sistendi ventrem facultatem habet, nigræ potissimùm, ex Galeno: hinc ius galli indicari solet ab affectibus frigidis, & humidis, à materia verò morbifica, quæ frigida, & humida sit, & partibus adhæreat, & caloris natiui imbecillitate maximè ventris inferioris; huius enim calorem auget, & perpetuò souet.

DE MODO PARANDI ius galli.

PRo parando hoc iure, ex Mesuei sententia, eligitur gallus rufus, agilis, & alacer ad motum, strenuus in coitum, fortis ad dimicandum, sitque inter gracilem, & obæsum habitus mediocris, non minor duobus, nec maior natu quinque annis. Huiusmodi gallus ita selectus alligari debet funiculo secundùm vnum pedem, ne ad angulos cubilis confugere possit, mox virgis, aut ferula verberetur, quoad ad summam iracundiam veniat, ac insuper quousque flaccescat, & ampliùs non resistat, tunc decapitatur, deplumatur sine humiditate, exenteretur, abluatur ue vino, vel aqua (prout videbitur esse opportunum) tandem in ventre ipsius imponuntur simplicia accõmodata, & necessaria, ac decoquitur, iusque ex illo paratũ vsui reseruetur, atque hic est communis modus ipsum præparandi, verùm aliquãdo expedit non totum gallum vnica vice decoquere, sed vel dimidium, vel quartam ipsius partem, & tunc eo modo pręparata decoquitur illa pars, aliæ verò partes, quæ supersunt in loco accommodato seruantur, & vino, vt dictum est, abluantur, ac tandem, cum tempus erit, coquatur modo dicto, sed simplicia, quæ cum eis concoqui debent, in sacculum immittantur.

Potest autem huiusmodi ius iuxta varias indicationes variè præparari, sed quoniam rarò contingit ipsum confici, vt alteratorium medicamentum, quia, vt dictum est, caro galli nitrosa, & salsa est, ideo, si fortè nonnunquam voluerimus eo

vti alterandum, operæ pretium est, vt recurramus ad ea medicamenta, quæ ipsius operationem iuuare possunt, & solent deobstruere partes præsertim internas. At vbi volumus preparare huiusmodi ius, vt euacuatorium auxilium, scire oportet, quòd aliquãdo euacuat per vrinã, aliquãdo per secessũ, vnde si præparetur cũ diureticis medicamentis, tunc educit per vrinam, si verò aluum laxantia apponuntur, per secessum euacuabit. Dioscorides libr. 2.41. à me citato scriptum reliquit aliquos fuisse, qui incoquebant brassicam marinam, hoc est soldanellam, alij mercurialem, alij cnycum, vel semen carthami, vel etiam filiculam, hoc est radices polypodij quercini, quos & imitari nos quoque debemus, quare si velimus educere pituitam simul cum gallo coquemus cnycum, turbith, aut hermodactylos, si verò melancholiam, senam, epithymum, polypodium, aut helleborum nigrum.

Circa rectum vsum iuris prædicti, & primò quod attinet ad quãtitatem aquę, in qua ebulliri debet totus gallus, Dioscorides pro singulo gallo coquendo accipit aquæ sextarios viginti, qui faciunt libras vigintiquatuor ex sententia Claudini. Quod ad modum attinet decoquendi, inquit decoqui debere vsque dum supersint libræ tres. Idem Claudinus scribit ex sententia Mesuæ accipiendas esse libras xxiij. & vnc. iiij. & addit ipsum debere decoqui, vsque quò remaneant tantummodo libræ tres.

Costęus super Mesuẽ de iure gallorum cap. 23. notat ipsum non determinasse quantitatem aquæ, in qua totus gallus ebulliat, sed scripsisse tantummodo ebulliendum esse in tãta aqua, quãta satis est, ex qua quidem regulâ vult, vt decoquatur secundùm communem vsum; quando enim decoquimus aliquam gallinam, vel aliquem caponem, non accipimus perpetuò eandem aquæ quantitatem, sed quantum videtur experto, hoc est illi, qui consueuerit cõcoquere carnes, vt coqui, qui quãdo animal est crassius, & magis põderãs, maiorem accipiunt copiam aquæ, quasi velit Mesues esse dicendum, gallum debere concoqui, vt artis est. Hinc dico perperam procedere illos Medicos qui præscribunt ægrotantibus ius galli secundùm ordinem Mesuei; cùm hic Author neque quantitatem aquæ determinet, neque medicamentorum ingredientium dosim constituat.

Nihilominus, vt ritè fiat decoctio, animaduertendum est, quòd apud Medicos practicantes celebriores solet determinari quantitas aquæ ad libras quadraginta, & tandiù decoquitur gallus, quousque carnes ab ossibus decidant, id quod tunc accidit, quando fit tanta ebullitio, vt septem, aut octo, vel nouem, vel ad summùm decem remaneãt iuris librę, cuius facta colatura aeri exponatur, aliquãdo etiam solet prelo subijci, vnde apparent duæ partes: vna, quæ residet infundo; altera verò, quæ supernatat, & clara est: prior est in vsu pro *clystere*; clara verò est ea, quæ offertur ægrotanti, & quia hic nos loquimur de iure galli, vt est euacuatorium auxilium, ideo expedit, vt consideremus humorem peccantem, qui si fuerit pituita, tunc apponenda sunt, quę sequuntur ad hunc modum.

℞. Sem. carthami modicè contusi vnc. x.
Turbith libr. semis.
Agarici trochiscati vnc. j.
Sem. anisorum,
Fœniculi ana vnc. j.

Si verò sit pro materia melancholica.

℞. Fol. senæ orientalis libr. iiij.
Rad. polypodij libr. ij.
Agarici trochiscati vnc. iiij.
Seminum fœniculi,
anisorum,
Dauci ana vnc. iiij.

Si fortasse adesset bilis tam copiosa, vt ad rhabarbarum deuenire esset opus, apponendum, illud esset in sufficienti quantitate, in tolleolas diuisum pro vt Medico medenti videbitur necessarium. Solet etiam ab aliquibus huiusmodi gallus diuidi in quatuor partes; (vt dicebam) illis, quæ pręcedere debent, præeuntibus, nempe appôsito sale, & bene triturato accipiunt quartam partem, galli, & simplicium, & ea ebulliunt, quousque perfectè concocta fuerint, quemadmodum supra notatum, est relictis, & seruatis alijs tribus partibus.

Quan-

Quantum ad dosim spectat, copiosa certè admodum ea esse debet, ita vt ad libram sæpissimè attingat; tum quia ius nõ conseruatur, tum quia nisi sit in magna copia, non potest humorem peccantem educere: nec probo eorum opinionem, qui existimant bis in die esse cõcedendũ, quia adeò ingratum est siue saporem, siue odorem consideres, siue etiam colorem conspicias, vt aptũ magis sit inducere vomitum, atque nauseam; propterea laudo eos, qui antequam exhibeant, primò cõsulunt accipiendum esse aliquod medicamentum solutiuum, deinde superbibere ius galli iam probè depuratum.

Quod ad modum exhibendi, & tempus attinet, opus est, vt offeratur calidum, & ieiuno ventriculo, vnde minimè probo opinionem dicentium debere accipi per multos dies, & bis in die, quia huiusmodi medicamentum esset renouandum tertio quoque die, aut quarto ad summũ, alioquin rancesceret, & inutile prorsus redderetur, quamuis magis placeret mihi, si componeretur, vt alteratorium præsidium, licet non in omnibus morbis possit, & vt alteratiuum, & vt solutiuum componi, quia in colicis doloribus magis requiritur, vt solutiuum, in asthmate verò, atque in tussi antiquata, quæ ortum ducit à materia crassa, magis valet compositum, vt alteratiuum.

Huiusmodi præsidio multoties vsus sum, & satis fœlici cum successu in colica affectione: inter alios casus memini me propinasse nobilissimæ cuidam mulieri, quę nullum habuerat alui beneficiũ toto integro mense, & alteri etiam, qui iliacum habebat dolorem (quem miserere mei appellant) & iam excrementa per os euomebat, parte crassa, & fæculenta iuris vtebar pro clysteribus, & bis in die, partem verò claram per os assamebat, atque hoc medicamento ambo fuerunt ad sanitatem perducti. Moneo iuniores hoc medicamento vsuros, vt sint admodum diligentes, & potius gallum diuidant in quatuor partes, quàm totum simul permittant ebullire; nam in balneo mariæ in partes quatuor diuisus potest commodiùs ebulliri, quàm vbi totus integer permittatur ebullire; sunt enim Pharmacopœi adeò negligentes, vt nolint vigilare totam noctem, & concedere tantùm temporis, vt egregiè, & vt decet concoqui possit.

DE VINIS MEDICATIS.

QVod attinet ad vsum vinorum in Medicina, hic non disputo, an vinum nutriat nec nè; non me latet inter grauissimos viros litem esse, atque discordiam de vino vt potus est, an nutriat, nec ne, licet nouerim apud Hippoc. & Gal. libr. de diȩta 2. libr. de vlceribus 3. 3. meth. 5. aph. num. 5. 8. aphorismo, vinum, vt est medicamẽtum simplex, habere facultatem calefaciendi, & exiccandi, quamuis idemmet Galenus libr. 5. de tuend. valet. cap. 6. scriptum reliquerit ipsum habere facultatem humectandi. Sed aliud est considerare vinum, vt medicamentum, aliud, vt est alimentum. 5. de sanit. tuenda considerat, vt est alimentum; nam omnia, quæ nutriunt facultatẽ habent humectandi, vnde 3. de temperam. idem Galenus scriptum reliquit, quæcumque nutriunt habere facultatem, & calefaciendi, & humectandi, quod etiam de ipsa lactuca testatur.

Consideramus modò vina, vt medicata sunt, quæ possunt dici esse in duplici differentia, alia dicuntur sponte nata, alia comparata arte: sponte enata illa sunt Theophrasti, & Plinij, Theophrasti quidem libr. 9. histor. cap. 19. & 20. & Plinij libr. 14. cap. 29. qui dicunt vina quędam fuisse, quæ somnum accersebant, & fugabant, & Plinius, quòd quædem erant vina, quæ fœcunditatem fæminis importabant, & quòd magis est viris rabiem inducebant. Dicunt etiam de vinis Irezenia appellata, quòd qui ea biberant, negabantur generare, & Liria, de quibus, qui gustauerant, ijs soluebatur aluus.

At vina, quę dicuntur ab arte facta, ob admistionem medicamentorum, cùm medicamentosam trahant vim, ab aliquibus habentur pro optimo remedio, cùm dicant vino nihil gratius esse; hinc etiam antiquis huiusmodi vina medicata erant in vsu, cùm tamen in istis Siciliæ partibus, videantur potiùs paruifieri, & in nul-

in nullo vsu, eò quòd calida adeò sint, vt si admisceantur illis medicamenta, quæ habent facultatem, siue solutiuam, siue alteratricem, nimium corpus calefaciũt, & præsertim æstiuo tempore. Et quamuis Galenus, & ante ipsum Hippocrates faciat variam mentionem de medicatis vinis, vt 2. de antid. cap. 11. & vltimo, meminit etiam vini lentiscini libr. 2. de facilè parabilibus cap. 35. & vini scyllini medicati, nec non aquæ marinæ præsertim 2. ad Glauc. com. 1. 9. local. medic. mellis conditi 5. de sanit. tuend. cap. 5. myrthitidis vini & 3. localium cap. 1. & 8. localium cap. 3.

Item varia sunt medicamentosa vina, & in varijs affectibus vtilia, quæ à Claudino viro doctissimo pulchrè, & eleganter admodum ad tria summa capita rediguntur; nam, vel ad continentia referuntur, vel ad contenta, vel ad impetum facientia. Quæ ad continentia spectant, vel ad ea diriguntur, vel vt secundùm naturam se habent, vel vt præter naturam affecta sunt, prioris generis, quæ sunt, ea ex his constant, quæ proportionem partium conseruant, & appropriata dicuntur, sunt autem varia cephalica, ad quæ referuntur ea, quæ somnum inducunt, cardiaca, opthalmica, stomachica, hepatica, splenica, hysterica, arthritica, in quibus omnibus id obseruandum, vt calidioribus his partibus parentur ex appropriatis frigidis, & è contra.

Fiunt autem cephalica, ex bettonica, saluia, rosmarino, stehœcade, item è rosis, violis, nymphæa, lactuca, è quibus exceptis rosis, fiunt etiam soporifera, addito papauere. Opthalmica ex euphragia, verbena, chelidonia, ruta, fœniculo, viperis, & rosis rubeis, plantagine, granatorum succo. Cardiaca è floribus, & radicibus buglossi, borraginis, floribus aurantij, citri, seminibus citri, melissa, ambra, moscho, croco, cocco infectorio, item è violis, rosis santalis. Hepatica ex agrimonia, absynthio, spica nardi, rhapontico, item è cichorio, seminibus frigidis maioribus, & minoribus, hepatica, & santalis. Splenica ex scolopendrio, tamarice, fraxino, capparibus, radice filicis maris, intybi. Hysterica è melissa, matricaria, sabina, artemisia, saluia, bettonica, nuce moschata. Arthritica è bettonica, iua hyperico, intybo, endiuia, & sic de reliquis.

Postremò vina referuntur ad eorundem continentium, vel intemperiem, & sunt ea, quæ in contrarium alterant, vel ad compositionem vitiosam, quò spectãt attenuantia, detergentia, aperientia, & deobstruentia, qualia sunt, quæ alterantur cum guaiaco, sassafras, scylla, enula, iua, sambuco, prassio, absynthio, tamarice, scolopendrio, & chalybis limatura, aut si opus est temperatioribus cum salsa, & china, item roborantia, & adstringentia, vt quæ è mastiche comparantur, & coriandris, & santalis, & ex chalybe ignito. Item extenuantia, quæ fiunt in deobstruentibus sunt proposita, ex abrotano, acoro, ammi, hyssopo: vel denique ad solutam vnitatem, quò pertinent agglutinantia, e symphito, equiseto, polygono, plantagine, malicorio.

Modò videamus, quæ vina medicata referantur ad contenta, quæ vel ad flatus dirigũtur, & vocantur carminatiua, fiuntque ex coriandris, anisis, galanga, zedoaria, cumino, baccis lauri, ruta: vel ad humores, respiciuntque eorum, vel qualitatem, & sunt tum alterantia in contrarium, de quibus supra, tũ emollientia, quę fiũt ex passulis dulcibus, glycyrrhiza, china, borragine, buglosso: vel copia, & sunt euacuantia tum insensibiliter, tum sensibiliter, diuretica nempe, sudorifica, & deiectoria: insensibiliter euacuantia parantur ex simplicibus calorificis, guaiaco, sassafras, & cæteris, de quibus supra.

Euacuantia per sudorem parantur cum carduo benedicto, & alijs paulò ante nominatis, quamquam etiam, & diuretica huc spectent: pro diureticis vino immiscentur semina anisorum, fœniculi, apij, seseleos, dauci, item quinque radices aperientes, ac rubiæ tinctorum.

Pro deiectorijs peccante bile, vino licebit admiscere rhabarbarum, myrobalanos citrinos: peccante pituita semina carthami, turbith, hermodactylos, myrobalanos emblicos, belliricos, & chebulos: peccante melancholia sena, polypodium, myrobalanos, & helleborum nigrum:

grum: peccante ſucco ſeroſo braſſicam marinam, ſemina ebuli & radices cucumeris agreſtis, ſeu aſinini.

Quæ ad impetum facientia ſpectant, ea ad ſpiritus ferè vitales reducuntur, & lætificantia dicuntur, fiuntque ex odoratis tum calidis, vt cinnamomo, garyophyllis, nuce myriſtica, tum frigidis, vt roſis, violis, & ſandalis.

Ex his ita conſtitutis non difficilè patet, quibus morbis, & quibus cauſis vina medicata conueniant.

Vinum, ex quo parari debent vina medicata iam dicta, ſit ex vuis benè maturis, & non vitiatis expreſſum, ſuaue ſit, non auſterum.

Parantur autem vina medicata omnia vel tempore vindemiarum, vel extra illud; tempore vindemiarum tribus fieri ſolet modis. Vnus eſt, vt vuis contuſis, & in tina repoſitis admiſceantur medicamenta propoſita, & ibi per octo, vel plures etiam dies permittantur ebullire, deinde extrahatur vinum, percolatum in dolio reponatur, quouſque clareſcat, vt poſſit maiori cum iucunditate ab ægrotantibus bibi.

Secundus modus eſt, vt medicamenta iam dicta in dolio accómodato ponantur, deinde affundatur tanta muſti expreſſi, & percolati quantitas, vt pluſquam medietatem dolij repleat, tum affundantur tantum muſti actu calidi, quo ex toto dolium impleatur, tandem permittatur perfecta fieri in dolio ebullitio, quæ duobus ferè menſibus terminari ſolet, at verò finita ebullitione vinum percoletur, fęces, & excrementa, quæ remanent, abijciantur, dolium abluatur, ac vinum iam percolatum in eo rurſus reponatur, ac tandiu ibi aſſeruetur, quouſque clareſcat.

Tertius modus ſolet ad hunc modum componi, primùm medicamenta in dolio reponantur, deinde infunditur vinum recens, quod vna cum recrementis vuarum in tina priùs ebullierit, ac inde percolatum fuerit, & in hoc dolio præparatur.

Extra verò tempus vindemiarum multis modis vinum medicatum parari ſolet. Vno per ſimplicem medicamentorum in vino iam facto, & expurgato infuſionem, ſiue cum aliquo medio, nempe per ſacculum, in quo medicamenta fuerint deligata, ſiue citra aliquod medium. Altero modo, quo medicamenta ebulliunt in determinata aquæ quantitate, quæ actu calens vna cum medicamentis vino quantitatis pariter definitæ in dolio affunditur antequam vinum bibatur, & fiat perfecta mixtio. Tertiò, quo ex medicamentis iam propoſitis paratur decoctum in aqua, eodemque diluitur vinum in prandio, & cœna.

Qui vult habere rectam, & veram cognitionem hæc vina adminiſtrandi, legat Claudinum loco à me ſupra citato: ſat enim mihi eſt docuiſſe modum ea præparandi.

DE BALNEIS.

CAPVT XXIII.

Inter localia, ſeu (vt aiunt) topica medicamenta, quorum plurima in Antidotarijs ſcripta reperiuntur, vt olea, vnguenta, emplaſtra, & id genus alia, tria habentur, quæ præ ceteris omnibus mihi neceſſariò deſcribenda videntur. Vnum eſt, quod vniuerſaliter fieri ſolet, & particulariter etiam, vt balneum aquæ, vel dulcis, vel alterius qualitatis. Aliud quòd ſtillicidium ſeu irrigatio, ſeu dutia appellatur. Tertium eſt medicamentum, quod ex vinaceis ſolitum eſt fieri.

Quod attinet ad balnea, horum alia fiunt ex aquis dulcibus, alia ex ſalſis, nempe ex marina, alia ex thermalibus, quæ à varijs mineris ſcaturire ſolent. Balneum aquæ ſimplicis dulcis à Galeno deſcribitur 10. meth. med. cap. 10. & libr.

1. cap. 4.

1. cap. 4. vbi id diuidit in quatuor partes: prima est aer calidus, secunda solium aquæ calidæ, hoc est vas continens aquam, ex quacunque materia sit factum, in quod homines balneandi ingrediuntur, quod fortasse à Galeno lutron nominatur. Tertia pars, frigidarium, seu solium aquę frigidæ; quarta verò tepidarium, & à nonnullis apoditerium dicitur.

Sed quidquid sit de Galeno, & de eius diuisionibus balnei, quæ videntur potiùs consideratæ respectu conclauium, in quibus exerceri solent: nos intendimus tantummodò loqui de illis balneis, quæ ad vsum humanum fiunt, siue delectationis, siue necessitatis causa spectantia ad sanitatem. Hæc autem fiunt ex aqua primùm simplici, aliquando calida: balnea frigida fiunt, vel in vasis quibusdam ad hunc vsum paratis, vel fiunt natãdo in fluminibus. Vsus, seu facultas, & vtilitas huius lauationis, non modò est refrigerare, & humectare vniuersum corpus 3. de tuenda valet. cap. 4. & ex Oribasio 10. collectaneorum cap. 6. & 7. quod etiam visus est scripsisse Aetius lib. 3. cap. 166. sed etiam corpus adstringere, & densare, vnire calidum innatum, roborareque per antiparistasim, & quandoque etiam appetentiam excitare, & irritare facultates expultrices ad excrementorum expulsionem, fuliginososque vapores in sudorem soluere, & aduersus omnes noxas extrinsecas præmunire.

Vnde non sanis tantùm conuenit (idque multò magis, quàm balneum aquæ calidæ) sed etiam in morbis plurimis locum habet; nam & lassitudinem in malo corporis habitu tollit ex Aetij sententia loco præcitato, & quod magis est caninum appetitum ex immodica cutis relaxatione factum reprimit, menstrua quoque rubra, gonorrhæam, sanguinemque manantem cohibet, oculorum caligini, si, dum in ea versatur æger, eos apertos teneat, prodest mandragoræ veneno, & & hydrophobiæ medetur, omnes deniq; febres ex frigida lauatione curari solent. 1. meth. med. cap. 10. ita vt videatur dicendum, omnes affectiones calidas à lauatione frigida leuari, quamuis nostris temporibus nunquam Medici vtantur balneis in febrientibus, exceptis febribus hecticis, de quibus paulò post.

Aqua dulcis non omnis idonea est balneis conficiendis, sed ea tantummodò, quæ vel ex fluminibus, aut etiam ex fontibus hauritur, præsertim ea, quæ in potu quotidiano vsurpari consueuit. Aliqui dicunt eam bonam aquam esse pro balneis, quæ magnam spumam cum sapone faciat. Non tamen hæc balnea omnibus tum sanis, tum & ægrotis conueniunt; nã si sermo sit de sanis pueris à secundo septennio ad tertiũ, & senibus declinantibus inimica ea sunt; pueris quidem, quia aqua frigida, illorum augmento valde aduersatur: senibus verò ob eorum exiguum calorem 3. de valet. tuend. cap. 4. Aetio, & Oribasio consentientibus non conuenit etiam ijs, qui natura sunt frigidi, graciles, & delicatas habent carnes, eò quòd in eis frigus ad partes solidas penetret, & ijs, qui balneis non sunt assueti, nisi paulatim eorum corpora assuescant, nec fœminis delicatis conuenire fertur.

Pro ægrotis verò 10. meth. med. 11. tres conditiones requirit Gal. vt frigida vtantur: prima vt valentibus sint viribus; nam quemadmodum frigida aqua natiuum calorem, si fortis est, cogit, ita eundem si debilis est, euincit. 5. aphor. 21. com. secunda, vt humores appareant concocti, & euacuationi idonei: tertiò, vt nullum viscus præcipuum sit malè affectum, solet etiam esse aduersum balneum aquę frigidæ vlceribus, & ijs omnibus, quibus ossa, dentes, nerui, cerebrum, & spinalis medulla, atque thorax malè se habent 5. aphor. 18. 20. & 24. Item qui conuulsionibus, distentionibus, rigoribus sunt obnoxij, ex aphorismo 17. iam citatæ particulæ.

Sed quia dictum est natationem pro lauatione frigida conuenire, at natatio fit tam in aqua maritima, quàm in fluuiali, videtur Arist. magis probare maritimam, quàm fluuialem, & ratio est, quia si natandum est, marina faciliùs hominem

sustinet, deinde quia minus penetrat quã aqua dulcis, & atque ideo minus lædit, fluuialis verò eligi debet, quæ limpida sit, clara, tenuis, quemadmodum scribit Mercurialis esse aquam Arni, quæ & pro natatione est admodum delectabilis, & pro valetudine maximè vtilis, ac cauendũ est ab aqua limosa, palustri, glaciali, & turbida: hæc de balneis aquæ frigidæ.

Veniamus ad balnea aquæ dulcis, sed calidæ, quæ Gal. 3. de tuend. valet. cap. 4. iam citato dixit esse in triplici differẽrentia; vel enim temperata sunt, vel tepida, vel calida: si valdè calida, exiccant potiùs, quàm humectant, & inhorrescere faciunt corpus, atque ipsum cogunt, & meatus densant, vt neque extrinsecùs humiditate fruatur, neque ex internis superfluitatibus aliquid excernatur, vnde huiusmodi balneorum vsus, rarus admodum est, aliquando tamen videtur conferre lassitudini, quæ ex gracilitate oritur, musculis plus quàm conuenit exiccatis, & eis videtur vti Gal. 2. de valet. tuend. cap. 7. vbi à frigida lædi hominem metuit, & Mesue in superpurgatione idem vsurpare videtur libr. 1. de purgantibus medicamentis theoremate 3.

Memini me, dum essem puer, vidisse in quodam hypocausto Romæ Marchionem de Vico, positum in balneo adeò calido, vt cum difficultate sufferre id posset, multis tamen sudoribus, dum intus esset, totum corpus madere. Vnde si calidum quidem sit, non tamen admodum, efficax tantùm est ad attrahendum ex alto; eo vti videtur Auicennas 4. 1. cap. 5. altero die à pharmaco assumpto ad humoris peccãtis reliquias per cutem abolendas, cùm tamen id fieri conueniat, vbi reliquiæ humoris subtiles sint, & facilè educibiles, atque vbi naturæ, & medicamenti motus iam cessauerit; præterea agendum est in corpore valido, quod nec sit integrè purgatum.

Tertium balneum temperatum, etiam si gradu differat à tepido, differt tantùm ratione caliditatis, vt frigidum potiùs videatur, quàm calidum, illud verò è contrà calidum. Conueniunt tamen effectu, & in iisdemmet casibus Gal. docente loco præcitato, vsurpantur. Balnei igitur aquæ tepidæ facultas est refrigerare calefacta, & calefacere refrigerata, humectare, sudores mouere, insensibiliter euacuare, & vapores acres attemperare, alimentumque ad habitum corporis attrahere; atqui huiusmodi aqua refrigerat quidẽ, sed quatenus vaporibus calidis dissolutis agit; mouet sudores, quoniam vt actu humida, ac tepida laxat, & aperit poros cutis; euacuat insensibiliter, eò quòd suo calore humores digerit in vapores, sic acredinem vaporum attemperat, eò quòd est frigida potentia, & actu humida; attrahit alimentum, quia laxatis, & apertis poris necessariò à calore fit attractio, hinc huiusmodi balneum conuenit in affectibus calidis, & siccis totius corporis, & iecoris.

Triginta ab hinc annis ab Illustrissimo hoc Senatu accersitus interpretandi causa medicinam in prima sede, occurrit inprimis Scipio Alifia vir eximius inter Senatores Patritios, habitus biliosi tendentis ad melancholiam per adustionem, qui antiquatum herpetem in fœmore dextero patiebatur; post factam decentem purgationem proposui balneum aquæ dulcis, quod auxilium visum est nouum omninò, & in his partibus inusitatum. Deinde, & si videretur indicari à morbo, ab habitu corporis, ab ætate, nihilominus quia dicebant Medici non esse in vsu, neque aquam habere idoneam ad id auxilium, mora fuit interiecta, attandem concesserunt, vt fieret, quod ex aqua fontis Diuæ Mariẹ fuit paratum per quindecim, aut viginti dies, & ex eo remissa est ingens illa intemperies calida iecoris, simulque fuit liberatus ab herpete. Idem balneum consului faciendum ab Illustrissimo Don Felici Nouello Archimandrita Messanensi in genu vtroque patiente id genus morbi, qui & ipse fuit liberatus, hinc in vsum adeò deuenit, vt nunc leuissima ex causa à Medicis proponatur, & paretur, norutque iidem Medici, quòd pro balneis faciendis melior aqua reperiri non potest ea, quæ ex fonte Sanctæ Mariæ hauritur, cum habeat conditiones ad balneum requisitas, vt supradictum est.

Valet

Valet hoc idem balneum in febre he- ctica, in scabie, & pruritu, potest etiam conuenire vitijs capitis, vt est hemicrania, cephalæa, phrenitis, conuulsio, & melancholia, ex Paulo Aegineta, vitia quoque oculorum non pauca sanat 6. aphor. 31. vt fluxiones, tabem, & maciem, quemadmodum, & calidos, & siccos hepatis, ventriculi, intestinorum, vteri affectus, & vbi materia in habitu corporis fuerit, eius vsus est hanc per sudorem, aut saltem insensibiliter euacuare, quamuis tunc calidum potiùs balneum, quàm tepidum conueniat.

Prohibetur verò huiusmodi balneum. 10. meth. med. iam citato, & 11. meth. 9. à tribus: primum est crudorum humorum copia in ventriculo, in primis venis, in toto vasorum genere, si tamen adsit febris, vbi verò non adest, prodest digerendo 4. de sanit. tuend. cap. 3. Secundum est horroris causa in corpore præsens, hoc est cutis adstricta, & humorum copia, vnde nunquam administrandum est huiusmodi balneum, non solùm in febribus, & maximè, in quibus viscidi, & frigidi sunt succi, sed etiam in particulari quauis ægritudine, quòd secundùm Gal. 3. de rat. vict. ad membra affecta fluxionem concitet. Tertium est membrorum imbecillitas, & maximè principalium, vt iecoris, ventriculi, intestini tenuioris, renum, vesicæ, vreterum, aut ijs subseruientium, qua ratione nec in cerebro conuenit destillatione affecto, & maximè frigida, nec in ventriculo cæliaca passione affecto, nec aluo fluente, nec in obstructionibus, & tumoribus viscerum naturalium, nec in articulorum doloribus, neque in albis profluuiis, aut id generis alio fluxu.

Huiusmodi balneum non conuenit ijs, qui facilè resoluuntur, eò quòd raro sunt corpore, neque ijs, quibus caput facilè repletur, neque ijs, qui sanguinis fluxui obnoxij sunt, neque omnibus ætatibus conuenit; nam in ętate senili, aut decrepita non conuenit, in omnibus verò alijs ætatibus esse poterit vtile. Hæc de Balneis aquæ dulcis tam frigidę, quàm calidæ, & de recto ipsorum vsu.

DE THERMIS.

Absolutis balneis aquæ dulcis, breuiter, & quantum est pro instituto nostro, nonnulla dicenda sunt de alijs balneis, quæ thermæ, seu aquæ thermarum dicuntur. Authores plerique thermarum nomine etiam intelligunt aquas arte calefactas, in quibus complures lauari consueuerunt, sic thermarum ædificia Romæ ab Imperatoribus constructa esse legimus. Sunt etiam, qui statuant differentiam inter thermas, & balnea, vt thermæ sint, in quibus tantùm calefimus, in balneis verò etiam lauamur. Vsus aquarum thermalium fuit primus in Regno Siciliæ, ita vt Siculi gloriari possint fuisse huius auxilij inuentores, multaque balnea in eadem Sicilia reperiuntur, inter quæ est illud valde celebre, quod in Ciuitate, quæ Sacca nominatur, existit.

Id videre vnusquisque potest apud Sauonarolam libr. 2. de balneis cap. 21. & apud Bartholomęum à Cliuolo Medicum Taurinensem libr. 1. de balneis cap. 31. ambo isti Authores scribunt ad montis radices emergere hanc eãdem aquam sulphuream, necnon & ferream, ibi lauacra sunt constituta viris seorsim, seorsim mulieribus, sic brutis, putantque non solùm à fodina, & natura illis hanc inesse virtutem, sed & diuinitùs acceptam putant; auget, & retinet hanc opinionem, quòd singula hypocausti sedilia singulis morbis constituta dicant, ea lege, vt tale genus morbi curari nequeat, nisi in determinato sedili, id cognitu vnicuiq; facile olim erat; nam virtutes sedilibus inscriptæ habebantur, quas Medici ægrè ferentes expungi curarunt, puto equidẽ id potiùs esse quid fabulosum.

Hoc vnum pro certo habemus, quòd omnes aquæ thermales, vt plurimùm sulphureę sunt, vel bituminosæ, & præsertim illæ, quæ actu sunt calidæ. Cuius autem mineræ sint aquæ declarat Mercurialis libro Pisanarum lectionum ex auctoritate Senecæ, docetque modum, quo vnaquæque minera aquæ sit dignoscenda. De huiusmodi balneis thermalibus in genere plerique Authores scripserũt, qui

omnes sub vno volumine circumferuntur editum Venetijs apud Iuntas 1553.

Inter alios Authores, qui de balneis Trinacriæ, seu Siciliæ, scribunt est Michael Sauonarola, qui postquam tradidit historiam iam dictam de balneo Saccæ, mentionem habet alterius balnei, quod de Calathomech appellat, quod nomen siue Grecum, siue Arabicum sit, ab oppido olim hoc in loco deriuatur in medio ciuitatis Drepani, & Alchami vocatæ, à qua distat miliaribus quattuor, eoque in loco, inquit, tres sunt balnei mansiones, vt vna calida sit, altera calidior, tertia calidissima, in qua facilè coquantur oua; sulfurea quidem est, & mense Maij ad eam confluunt gentes. Suntque in comitatu Palermi balnea Termini, nominata à Castro, iuxta quod sita sunt sic dicta: hæc Sauonarola de balneis Siciliæ.

Doleo, quod nec Sauonarola, nec alius reperiatur, qui de quodam balneo, in agro Messanensi prope oppidum Ali appellatum meminerit, de cuius quidè facultatibus, & virtutibus insignibus habitantes mira celebrant, ita vt quam plurimi audientes ipsius admirabiles facultates, & presertim circa dolores arthriticos illuc confluant. Audiui primùm id à clarissimo doctore Ant. Maria Sepulto, Nob. Messan. qui cū doloribus articularibus, & impotentia ad motū valde cruciaretur, misit acceptam hanc aquam; à qua cū perciperet magnum emolumentum, ibi voluit ferri, & eandem aquam per modum balnei extra recipiens, fuit veluti miraculo quoddam breuissimè liberatus.

Memini me multis ab hinc annis curasse mulierem quandam filiam Medici cuiusdam Melitensis vocati Saltalà, quæ intemperiem frigidam ventriculi patiebatur, & facta irrigatione ab huiusmodi aqua fuit & ipsa liberata, & inter alios, qui beneficium non spernendum receperunt fuit perillustris Don Thomas Merulla filius Don Francisci viri consularis Domini mei singularis, qui cum Neapoli redijsset vexatus paralysi vtriusque cruris, fuit facta irrigatio ex aqua huius balnei supra os sacrum ad principia neruorum propè, qua irrigatione, & multis alijs medicamentis, vt paulò post scribam fuit liberatus.

In me ipso sum expertus, neque absque magna vtilitate; nam cum vix possem dorsum erigere ob musculos tum dorsales, tum lumbales materia imbibitos, spōgijs in huiusmodi aqua madefactis vsus sum per septem, aut octo dies, & certe post facta fomenta rectus surgebam, quēadmodum si nunquam percepissem, vel dolorem, vel in motu impedimentum, quare possum re vera asserere aquam huiusmodi balneum esse multę vtilitatis ijs, qui partes nerueas malè effectas habent.

Cur verò ad huiusmodi balneū gentes non fluant, quemadmodum contingit fieri in alijs balneis thermalibus, puto nullam aliam posse reddi rationem, nisi quòd tempore hiemali ob multas, & perpetuas pluuias tantam copiam arenæ, & lapidum illuc transmittitur, & à mari, & à flumine, vt tegatur locus, ita vt vix ęstiuo tempore discerni possit ipsa aqua; nec nisi ab accolis valde peritis. Ad hæc si quispiam, & aqua velit vti, opus est magna expensa, & multis pecunijs, quas det ijs, qui locum à lapidibus contectum excauent. Hæc aqua si non negligeretur, sed coleretur, & ornaretur habitationibus, temporis progressu in magno haberetur pretio.

Præter aquas sunt & aliæ materiæ, ex quibus balnea fieri solent, inter quas est oleum, quod ab Aetio habetur libro 3. cap. 169. quæ dupliciter adhibentur; vel enim fiunt ex oleo purissimo, siue illud commune sit, siue medicatum, vt est oleum seminum lini. Commune verò oleum aliquando admiscetur aqua, & fit hydrelæum; facultas horum balneorum est ad sedandum dolorem, laxandum, & emolliendum, vnde ijs vtimur in conuulsione, exinanitione, inflammatione, vel vulnere ex inciso, vel puncto neruo, in contusionibus neruorum, in tremoribus, in difficili partu, in calculo renum, & vesicę, in vrinæ difficultate. Ego sæpissimè vsus sum, & præsertim in me ipso, dum ingenti calculo laborarem. In voluulo, *in colicis, & omnibus alijs doloribus*, qui fiunt ex flatu longe oleum ex seminibus lini efficaciùs videtur, quàm sit oleum commune; quamuis etiam huiusmodi

balne-

balneum ex oleo communi magis vsitatum sit, cùm ęger debeat ingredi aliquod vas magnum, oleo repletum, ita vt solum oleum commune in hoc casu videatur esse præsentaneum remedium, quia ex alijs oleis non potest tanta copia reperiri, vt possit fieri balneum pro toto corpore.

Vsitatum est etiam balneum lactis, vbi regiones, & loca lacte abundant, vt in Italia, maximè in Insubria, atque in Gallia, Parisijs potissimùm, vbi varia adsunt animalia, & in copia producentia lac, vt sunt vaccæ, capræ, & asinæ, quæ per Ciuitatem turmatim vagantur in hunc vsum, & nobiles mulieres delicatæ componunt sibi balnea ex aqua fluminis Senæ, & lacte, & eo vtuntur in delitijs æstiuo tempore, dicuntque huiusmodi balneum ex aqua, & lacte compositum, carnes molliores, & delicatiores reddere.

Habet etiam vim quoad facultatem, refrigerandi, & humectandi, atque emolliendi, vt dictum est, & etiam aliquo modo renutriendi. Huiusmodi etiam balneo videntur plerique Medici vti in febre hectica, vbi nimio calore sunt rarefacta corpora, quamuis hodie in Italia potissimùm raró fit in vsu; aliqui enim necessitate vrgente huic balneo substituunt aquam, in qua cucurbitæ, citrulli, semina, aut succi, ebullita fuerint: aliqui etiam iubent capita veruecum, & vitulorum pedes ebullire, vel etiam alia, ex quibus iuscula fieri possunt, quamuis suspecta omninò sint; nam emplasticam facultatem habere videntur, qua poros cutis stipent, vnde est, quod loco humiditatis calorem augeant.

Relinquitur vinum inter materias pro balneis idoneas, à quo solent nonnulli conficere balnea, sed huiusmodi balneum, & etiam ex sanguine humano omninò nostris temporibus aboleuerunt. Hæc de balneis simplicibus, & de materia, ex quibus fieri consueuerunt, & de affectionibus illis, quibus ista balnea conueniunt.

Veniamus modò ad balnea composita, quæ dicuntur arte facta, quorum alia componuntur ex calefacientibus, siccantibus, & præter hæc etiam fiunt ex humectātibus, quo pacto à medicatis naturalibus differunt; nā illa omnia, vt dictum est, exiccant. Alia ex adstringētibus, alia resoluentibus, aperientibus, attrahentibus, fiunt alia ex detergentibus, mollientibus, & relaxantibus, & alia ex corroborantibus. Et quamuis ex triplici fiant materia, ex fossili nempe, ex stirpibus, & animalibus, quomodò fiant ex materia fossili, ex stirpibus, ex animalibus declarat Claudinus, tum in libr. de ingressu ad infirmos, tum in appendice ipsius.

Venio ab balnea hæc arteficialia, sed particularia, quibus hactenus vsus sum in hoc Trinacriæ Regno, & præsertim hic Messanæ, quæ duo sunt in communi vsu, præsertim in affectibus neruorum, & in obstructione eorundem, ex qua contingat fieri paralysim, aut conuulsionem, vnum est, quod balneum de Manganello, aliud verò quod de Conzaria appellant, primum factum est ex aqua in qua ebullierit sericum, hoc est illa pars serici, quam folliculum appellant, in quo remanent vermis ille, qui tanquam in sacculo includebatur, post ablatū enim sericum, remanet etiam sacculus, in quo vermis semiputridus, ebullitus, & cōcoctus extat; huiusmodi materia si rectè cōsideretur, videtur habere duplicem facultatem, vnam exiccandi, & tantisper adstringendi, aliam verò resoluendi, quo nomine contingit materiam frigidam, & siccam pellere, corroborare neruos, & simul sua adstrictione inhibere ne ad partes neruosas affluat materia: respectu verò vermium coctorum, & putrefactorum, habet facultatem attenuandi, incidendi, & resoluendi quidquid in cauitatem neruorum præter naturam illabitur, quare rationi consonum est, vt morbis prædictis satisfaciat. Anno præterito perillustris adolenscens iam dictus, qui ob longum, & intempestiuum iter incidit in cruris vtriusque resolutionem, inter medicamenta localia nullum fuit, quod maiorem habuerit efficaciam auferendi huiusmodi paralysim quamuis multa, & interna, & externa fuerint vt decet, facta.

Aliud

Aliud balneum particulare illud est, quod appellatur balneum di (Conzaria) easdemque facultates habet; nam ebulliunt myrtillos in quadam determinata quantitate, & simul in cacabo vsque ad coctionem myrtillorum, deinde eam ponunt in vase quodam insigni, in quod pelles bouum inijciunt, atque ita permanere sinunt per quatuor dies.

Præter hæc duo est aliud balneum, quod (di Scaudaria) appellant, fitque ad hunc modum; recipiunt aquam maximè feruentem, & post mactatis animalibus accipiunt vel caput, vel aliquod aliud membrum eorum, & in hanc feruidam aquam inijciunt, quoad cutem depilent, & abstergant reliquas immunditias circa cutem.

De modo administrandi balnea tam vniuersalia, quàm particularia, non idem est apud omnes. Antiqui enim vtebantur balneatione tribus modis Galeno Authore lib. de trem. & palpit. quod etiã & Plinius locis præcitatis scribit, primò per immersionem, & emersionem, & est, quando ingrediebantur balneum, & statim egrediebantur, secundò per natationem, tertiò per infusionem, & est quando ingrediebantur balneum, & in ipso diù quieti manebant. Primus modus, aut raro, aut nunquam apud nos in vsu est; secundus fit in fluminibus, & in locis, in quibus adest spatium natandi, tertius verò modus maximè est vsitatus.

Sed quidquid sit de huiusmodi balneandi modis, cùm de frigida aqua dictum sit, oportere aliquando ea vti pro balneo, necesse non est, vt sit frigida, nec tepida, sed talis, vt æger non sentiat, nec caliditatem, nec frigiditatem, sed talem percipiat qualitatem, qualis est in aere, in eamque ingredi debet æger affatim, vt totum corpus simul madefiat, atq; opus est etiam, vt primò vtatur frictionibus quibusdam per totum corpus leuiter factis, alioquin nisi totũ corpus celeriter, & confertim ingreditur balneum, natura se totam ad immersam partem conuertit, quo fit, vt non æqualiter subinde resistat, ac horrore afficiatur, qui fuerit ita lotus, post sui egressum, debet fricari tãtisper, quousque aliquantulum incalescat, deinde per horam accipiat suum alimentum, quod satis amplum esse debet.

Quod modò attinet ad balneum factũ in aqua tepida, expedit in primis ponere aquam frigidam, deinde per mediam horã necesse est habere aquam calidam, eãque ita attemperare, vt tepida appareat, & vbi ingressus fuerit æger, debet habere duo vasa aqua plena, in quorum vno aqua sit calida, in altero verò frigida, vt quandò æger positus in tina dicat se percipere frigiditatem, apponatur aqua calida, & vbi nimium dicat calefieri, attemperetur aqua frigida.

Est autem animaduertendum, an aliqua adsit corporis scabies, aut alia immunditia; nam prima die mutanda est aqua, & singulis diebus, si adsit scabies, at si corpus nullam habeat in cute labem, sat est mutare aquam secundo, vel tertio quoque die. Verùm enim verò cùm ex huius balnei vsu corpus transpirabile euadat, antequam ex balneo egrediatur, ad hoc vt constipentur aliqua ex parte pori, affundẽda est aqua frigida, vbi verò egressus fuerit è balneo debet linteaminibus mundis, & mollibus detergi, atque exiccari, deinde in lecto decumbere, atque per horam vnam, vel alteram ibi quiescere, & si opus est assumere lac, secundùm antiquorum consuetudinem, aut ptisanam hordeaceam; postquam autem quieuerit in lecto, poterit aliquando ad retinendum alimentum ad partes attractum, corpus oleo inungere amygdalino dulci, vel violaceo. Huiusmodi balneum ita tepidum videtur conuenire corporibus exiccatis, scilicet quę in hectica secundi gradus, aut etiam in tertio, nempe in marasmo iam sunt, eò quòd, & humectandi, & refrigerandi maxime egent facultate.

Diximus huiusmodi balneum ex aqua dulci, & tepida, fieri in semicupijs, aut cupijs ex quacunque materia solida fuerint, quemadmodum ex ligno, vel ex ęre vel etiam ex cupro, aut argento, vt in quibusdam locis, pro principibus viris fieri obseruaui.

Sanctorius in primam fen quæstione. 64. considerat ægrotantes egentes huiusmodi

iusmodi

iusmodi balneo, vt languidam habent virtutem, & hac ratione instituit instrumentũ in lecto, eò quòd timet ob languiditatem virium, ne à lecto dimoueri nequeant, vel etiam in illis, quibus propter motum periculum est, ne corpora ad balnea à lecto delata languidiora fiant, proinde ne vires labantur, vult instituendum esse balneum instar vtris cuiusdam, in quo ponatur æger, deinde affundatur aqua: nam præbet oculis figuram instrumenti, vt doceat vsum administrandi huiusmodi balneum; cuius pars superior latior sit, & per hanc partem auxilio balneatoris intromittitur ęger pedibus primò, mox sequẽte reliquo corpore vsque ad humeros, ita tamen, vt æger erecto dorso decumbat supposito puluinari, quo peracto pars superior instrumenti aliquantulum cõstringitur, deinde aqua tepida, mox frigida, si opus sit, per superiorem tubum infunditur, qua infusa post mediam horam plus minusue aperto inferiori tubo tota illicò euacuatur, inde dilatata parte superiori instrumenti balneator manus admouet inferiori tubo, quo velut manubrio balneum è lecto extrahit, & tunc corpus ægri relinquitur madidum quidem, sed si semel, vel bis se verset, & peruoluat in partem sicciorem linteorum, facilè, & cõmodè sine vlla viriũ iactura exiccatur.

Hæc Sanctorij huiusmodi balnei inuentio pulcra quidem est, sed multas habet in operando difficultates, prima est, quia, non videtur possibile, ita posse adaptari pellem, vt admittat intus ægrotantem simul, & aquam, in qua balneari corpus est necessarium, deinde si pręsupponitur huiusmodi balneandos esse virtute languidos, ita vt nequeant sustinere motum à lecto vsque al balneum, multò difficilius erit ponere huiusmodi vtrẽ, eaque accommodare ratione, vt absque motu ægrotantis possit deferri in eum; nam pręsupponitur oportere per pedes introducere ægrotantem in balneum, quod longè difficilius videtur agi posse, quàm si æger accipiatur, & in balneum pręparatũ propè lectũ imponatur, vbi iã aqua est pręparata ea, qua decet, ratione.

Vbi verò in hoc balneo per pedes introducitur, opus est ipsum ad partes superiores trahere, ita vt à pedibus ad ceruicem vsque sine motu violento attrahatur. Deinde in immissione aquæ expedit, vt per infundibulum sensim infundatur aqua, quæ non viderur posse sustinere caliditatem, aut tepiditatem requisitam in balneo faciendo; nam si calidior sit, quàm conueniat, corpus lædit tangendo partem primò, ad quam terminatur infundibulum, vnde si erit, vt dicebat, calida, afficiet tantummodo latus, ad quod per tubũ aqua inijcitur, quæ cùm sit pauca, antequã ad pedes veniat, refrigerabitur, neq; seruabit illũ teporẽ, qui necessarius est in huiusmodi corporibus exiccatis.

Postea, vt deueniat illa aqua ad latus oppositum, & ambiat vniuersum corpus, requiritur multùm temporis spatium; nam necessarium est, vt totum corpus à ceruice vsque ad pedes immersum sit in aqua, alioquin balneum esset inutile, & incommodum. Inutile quidem, quia non humectat simul omnes corporis partes, vt necesse est; incommodum verò, quia antequam æger per pedes introducatur in hoc balneum, oporteret ipsum attollere, id quod ab vno balneatore fieti posse minimè videtur, neque aqua ibi effluxa videtur posse seruare suam tepiditatem, quia statim in vtre posita refrigeratur, quare concludendum est huiusmodi balneum, & inutile esse, & incommodum, & quamuis per tubum inferiorẽ præsuppositum euacuari possit, nihilominus in trahendo deorsum vtre iam euacuato æger omninò à labore defessus potiùs remanet, nec tam facilè potest reuolui in oppositum latus, ita vt ea, qua decet, diligentia abstergatur, sed oporteret, vt ignis esset in promptu pro linteis omnibus calefaciendis: at verò illi, qui paratũ habent balneũ propè lectum, facillimè à duobus famulis à lecto in balneum sine aliqua defatigatione, & violentia in aquam immerguntur, & commodè sedent aquam habentes, aut tangentes à ceruice, vsque ad imos pedes, quare huiusmodi balneum minus laboriosum sit, & sine iacturæ virtutis periculo, mihique magis probatur, quàm huiusmodi nouum, quod potiùs imaginatione, quàm re vera probatum esse videtur.

DE PERFVSIONE, & insessu.

CAPVT XXIIII.

AD balnea referuntur perfusio, seu etiam affusio dicta, atque insessus.

Aspersio est, quando aqua, aut aliqua materia humida ad aliquam partem corporis affunditur, hæc autē non videtur fieri, nisi ex sola aqua simplici, quæ vel est calida, vel frigida, seu tepida.

Aspersio tepidæ aquæ fit ea ratione, qua fiunt lotiones particulares, de quibus supra diximus, aliquando fiunt aspersiones ex aqua frigida, quando aliqui animo delinquunt, hac ratione, vt & spiritus, & calidum innatum vniantur 1. ad Glau. 14. Aetius ex Archigene lib. 3. c. 171. Aliquando etiam fit in fluxu humorum, & sanguinis, qui cohibendi veniūt. Hipocrates probat aquæ frigidæ aspersionem in tetano sine vlceratione 5. aph. 21. sed cum hac conditione, vt corpus sit validum carnosum, & in media æstate. Tandem aliquando huiusmodi auxilio vtimur cum sedādi dolorem sit consilium, quod auxilium probat Hippocrates in tumoribus, & doloribus articulorum absque vlcere.

Sed vnum hoc loci notatione est dignum, aspersionem nempè frigidæ aquæ confertim, & copiosè administrandam esse scripsisse Hippocr. locis præcitatis, verùm inspersionem tepidam sensim administrandam esse, & eo vsque dum pars rubeat, & in maiorem molem attollatur. Huic aspersioni substituitur sæpè vsus spongiæ, seu fomentum per spongiam factum ex Gal. atque Aet. locis præc. & hæc de aspersione, seu affusione.

Insessus verò, qui vulgò semicupium etiam dicitur, quod nihil aliud est, quàm dimidium balneum, in quo ægrotantes ad vmbilicum vsque sedere consueuerunt, eoque vtimur in affectibus renum, partium genitalium, intestinorum. Huiusmodi autem insessus solent calefacere, discutere, exiccare, & refrigerare, & etiam adstringere, nonnunquam emollire, & relaxare, prę sertim vbi sedandi sint dolores.

Materia, ex qua fiunt huiusmodi insessus, est aquę thermalis iā dicta, vel decoctio quędam in liquore aliquo, & præsertim aqua dulcis ex herbis, floribus, radicibus, & seminibus naturæ morbi, & suæ causæ accommodatis.

Afferamus exemplum alicuius insessus ad calefaciendum, exiccandum, & discutiendum, vt.

℞. Bettonicæ.
Saluiæ,
Anthos,
Stœchados,
Pulegij,
Calaminthę,
Hyssopi,
Sampsuchi,
Origani,
Artemisiæ,
Chamæmeli,
Anethi ana manip. iij.
Sulphuris libr. j.
Salis libr. j. & semis.
Aluminis libr. semis.
Misce, & bulliant in ducentis libr. aquæ communis ad tertias.

Ad exemplar huiusmodi insessus calefacientis, discutientis, possunt & alij plures componi, vt ad sedandum dolorem fiat insessus ex anodinis, vbi laxandum est emollientibus, & laxantibus: possunt etiam parari ad ardorem vrinæ; ad mouendam vrinam, & calculum expellendum.

Sunt etiam, & lotiones dictæ, quę sunt

veluti

veluti balnea particularia: abluuntur enim caput, axillæ, manus, pedes, & naturalia, quæ fiunt ex eadem prorsus materia, ex qua dictum est fieri insessus. Et hęc de balneis tam vniuersalibus, quàm particularibus.

DE STILLICIDIIS.

CAPVT XXV.

Stillicidium à vulgaribus dicitur duccia, & etiam gutta, vel embroca, & est medicamentum factum ex aqua, aut alio humore ex alto in partem aliquam affectam destillante alicuius vtilitatis causa. Galenus hoc genus medicamenti agnouit 13. method. med. c. 22. & Aetius tetrabibl. 4. ser. 3. c. 177. vultque fieri ex aquis medicatis.

Ferunt apud balnea Lucensia reperiri huiusmodi stillicidia semper parata, & certè inter alia medicamenta exteriora nullum est, quod virtute ijs æquiparari possit, & meritò quidem, quia propter materię motum ex alto cadentis cutis incalescit, poriquè multùm aperiuntur, & proinde maior fit impressio. Occasio, qua huiusmodi remedium fuit inuentum, est materia contumax sub cute contenta, quæ resistit alijs medicamentis. Id genus medicamenti, si fiat ex oleo oliuarum, miram habet facultatem euocandi materiam ab intimis ad extimas partes, eamque suppurandi. Habet præterea, si prout conuenit, paretur, facultates calefaciendi, humectandi, exiccandi, dolorem mitigandi: interdum etiam tenuat, detergit, emollit, & discutit, atque etiam attrahit, si arte componatur.

Materia igitur multiplex esse potest pro diuersitate indicationis, quæ à materia sub cute detenta desumitur; vnde est aqua simplex, siue thermalis, aut etiam alius liquor; non secus enim atque de insessibus est dictum, fieri possunt stillicidia.

DE VINACEIS.

CAPVT XXVI.

Nomine vinaceorum intelligimus quatuor substantias à vite tanquam à radice dependentes, palmites nimirum, acinos vuæ, vinaceola intra vuam tanquam in sacculo contenta, & substantiam, in qua vinaceola immersa sunt, non secus atque humor oculi crystallinus immersus est in humore vitreo, vt pulchrè, & eleganter ex mente Gal. docuit Donatus Antonius ab Altomari, qui solus, aut saltem primus de hac materia vinaceorum scripsit, & ad vsum medicũ reuocauit, quẽ secutus est Claudinus olim præceptor meus lib. de ingres. ad infir. in appendice sect. 10.

Diximus id genus medicamenti inter externa auxilia esse connumerandum; nã aliquando vniuerso corpori, aliquando nonnullis tantùm partibus admouetur. Si totum corpus est hoc medicamento curandum, oportet, vt æger exutus in scrobem, aut foueam commodè, & (vt decet) paratam, in qua vinacea, quantum sufficit, sint posita, inseratur, deinde statim ijsdem vinaceis, & laneo tegumento veletur. Inseretur autẽ toto corpore, si totum corpus affectum fuerit, iacebitque in fouea tanquam in lecto, & si placet cum puluinari sub capite posito.

Si partes aliquæ tantùm laborent, & in inferioribus partibus sit affectio, quę

admodum in perillustri D. Thoma Merulla diximus, vinacea accomodãda sunt in instrumento ligneo cruris in modum fabrefacto ab osse sacro vsque ad extremum pedem protracto.

In hoc adolescente curando substernebantur primùm multa vinacea calida à clunibus per vtrumque fœmur, & tibiam vsque ad pedum extremitatem, vt sedere commodè posset super vinaceis calidis. Deinde alijs vinaceis itidem calidis vtrumque crus in parte superiori ab inguine vsque pedes contegebatur. Ad hęc pannis lineis crassioribus, multiplicibusq; ac calidis superpositis suo operculo instrumentum prædictum claudebatur, ne caliditas statim euanesceret, atque ita super lecto concinnè positus per horam integram iacebat. Mox vinaceis egressus, ac detersus calidis linteis in lecto remanebat, vel statim vestibus indutus in cubiculo se continebat. Tandem ex prædictis vinaceis, & alijs opportunis remedijs factis, recuperauit valetudinem, & prorsus paralysi est liberatus, ita vt nunc equitet, & omni genere armorum expeditè vtatur, quin imo, dum hæc scribimus, vna cum patre Illustrissimi Senatus Messanensis Oratore apud Excellentissimum Ducem Alburquequij designatum Proregem pro Catholico Hispaniarum Rege in hoc Siciliæ Regno, Neapolim satis alacriter profectus est, adeo benè constituta valetudine fruitur. Hæc volui dixisse obiter, vt ostenderem nobilissimum adolescentem fuisse liberatum ab vtriusque cruris paralysi.

Est autem animaduertendum, quòd huiusmodi vinacea non sunt applicanda, nisi euacuato corpore: spatium autem tẽporis, quo æger egens vinaceis debet in ijs morari, potest esse pro varia corporis dispositione, aliquando scilicet per mediam horam, nonnunquam verò per integram. Robustiores possunt vti hoc remedio bis in die, mane, & vesperi, debiliores verò sat est semel in die. Validiores per quindecim dies hoc remedio vtantur, & quamuis dixerimus, & experientia probauerimus valere in paralysi, non propterea excludimus dolores arthriticos, & articulorum dolores; & præsertim œdematosis, quibus maximè succurrit: aliqui etiam putant in leucophlegmatia valere. Quæ modò vinacea eligenda sint, breui dicendum est, hæc autem tam ex Altomari, quàm ex Claudino debent esse recentia ex vuis dulcibus, non austeris, neque acidis, quæ prælo expressa priùs cum musto suo efferbuerint, hæc talia humi, aut in conclaui asseruanda sunt, & manibus premenda, ac alleuiganda, quoad partes eorum cohæreant, deinde crassis laneis tegumentis contegenda, ne ex ambiente refrigerentur.

DE OLEIS.

CAPVT XXVII.

Ex medicamentis externis iam à nobis propositis nonnulla allata sunt ad perfectam eorum enarrationem, supersunt adhuc multa alia in medium afferenda, vt sunt olea, vnguenta, linimenta, cerata, emplastra, sinapismi, dropaces, seu picationes, nec non scuta, fomenta, seu fotus, & sacculi, de quibus egregiè tractat Ludouicus Bertaldus in secunda par. med. apparatu.

At primò de oleis à nobis est agendum iuxta ordinem omnium Antidotariorum.

Quid oleum sit, nõ est opus declaratione; nullus enim est, qui non agnoscat, quid illud sit, vox est propriè de oleo expresso ex oliuarum succo, transfertur tamen ad omnem succum pinguem, qui substantia oleum referat, oleum verò hoc modo sumptum multiplex est, tum naturale, tum

tum artificiosum; naturale quidem; nam arbores quædam succum fundunt, si casu, vel consilio findatur cortex, natura etiam ex saxis oleum alicubi locorum prodit, vt oleum petræ, quod petroleon appellant, tale potissimum reperitur in agro Mutinensi.

At artificio multis fit modis, vt Mesue distinct. de oleis lib. 1. scribit, nunc impressione cum materiæ in ipso maceratæ, aut incoctæ, qualitatem suam, & vires eidem relinquunt, nunc resolutione, cùm materiæ heterogeneæ in corpore cōclusæ, & veluti concretæ vi caloris separantur, ita vt velit Mesue olea fieri duobus modis per expressionem, & per resolutionem, quibus addunt iuniores per impressionem, & per expressionem simul.

Per expressionem fit oleum ex oliuis, & ex alijs etiam rebus, quod rursus est in duplici discrimine, nam vel fit ex oliuis maturis, quod oleum commune appellatur, vel ex immaturis, & dicitur à Galeno omotriues, latinis verò omphacinum. Rursus aliud est salsum, aliud salis expers, aliud recens, aliud vetustum. Alia verò olea, quæ fiunt per expressionem sunt illa, quæ ex amygdalis dulcibus, & amaris fiunt, ex semine lini, ex semine cannabis, iusquiami, sinapi, atque ex alijs huiusmodi multis, & inter hæc enumerari possunt olea, quæ fiunt per elambicum, quæ sunt innumera.

Noto hic obiter Mesuem scripsisse recurrendum esse pro alijs oleis ad Chimistas, hæc sunt ipsius verba, plura si audire cupis Chimistas pręceptores tibi adhibe, & cum illis versare.

Oleorum autem, quæ sunt in communi vsu, alia faciunt ad morbos frigidos, alia verò ad calidos, siue per expressionem, siue per impresionē, siue vtroq; modo fiant, siue simplicia, siue cōposita fuerint. Inter olea, quæ calefaciendi, & roborandi facultatē habent, est illud quod oleū pretiosum Matthioli appellatur, quod quamuis à nobis sit descriptum in libro Miscellaneorum, iudico etiam vtilissimum esse in hunc locum ipsum rursus describere ad imitationem Antidotarij Bononiensis.

Oleum pretiosum descriptum à Mattbiolo, cuius Auctor fuit Gregorius Carauita Bononiensis.

℞. Olei communis centum annorum, sin minus vetustissimi libr. iij.
Foliorum hyperici virentis Mense Maij collectorum m. iij.

Oleum in vas vitreum duplæ capacitatis imponatur, in quo folia hyperici aliquantulum contusa insundantur; deinde vas cera, & membrana obturetur, & medium in tenuissimam arenam condatur, loco vbi tota die insolari possit, atque inibi sinatur vsque ad decimum, vel duodecimum diem; quibus præteritis mergatur vas in calentis aquæ balneo per horas vigintiquatuor, mox oleum ab herba exprimatur: Deinde.

℞. Hyperici,
Chamædryos,
Calaminthæ,
Cardui benedicti ana manip. j.

Omnia priùs diligenter contusa, prædicto oleo misce; deinde vas dictum mergatur in balneo tribus continuis diebus, extrahatur deinde, & à prædictis herbis exprimatur. Post hæc.

℞. Florum hyperici manip. iij.

Qui à caulibus probè repurgati, & contusi prædicto oleo infundantur, quod in idem balneum per tres dies reponatur, postea coletur cum expresione. Idem fiat ter, aut quater, quoad oleum sanguineum colorem referat. Deinde

℞. Seminum hyperici viridium manip. iij.

Contundantur, & vino albo irrorentur, & in prædictum oleum infundantur, & in eodem vase vitreo in arena sepulto per octo dies continuos insolentur, à quibus per tres dies in balneum immittantur, postea colentur cum expresione, deinde ter, vel quater eadem prædicti seminis quantitas in eodem oleo maceretur, donec oleum obscuri sanguinis colorem repræsentet. Deinde.

℞. Scordij recentis,
Calaminthæ,
Centaurij minoris,
Cardui benedicti,

Verbenacæ,
Dictamni Cretensis ana manip. semis.

Misce, & omnia contusa in prædictum oleũ inijciantur, & vas per duos dies continuos in balneo iterum ponatur; deinde coletur cum expressione: postmodum adde.

℞. Zedoariæ,
Rad. dictamni albi,
Gentianæ,
Tormentillæ,
Aristolochæ rotundæ ana drach. iij.
Scordij manip. j.

Contundantur omnia, & infundantur in prædicto oleo, quod in balneo ponatur per tres dies continuos: coletur deinde in expressione, & infunde.

Styracis calamitæ,
Laseris ana drach. vj.
Baccarum iuniperi drach. iiij.
Melanthij drach. ij.
Cinnamomi drach. viiij.
Iunci odorati,
Cyperi ana drach. j. & semis.
Santalorum alborum vnc. semis.

Misce, & contusa in prædictum oleum infundantur, & demum colentur, & exprimantur. Post hæc

℞. Trecentos scorpiones viuos, diebus canicularibus collectos: in vase vitreo concludãtur, & cineribus calidis superponantur, cumq; eos præ calore sudare, & irasci videris, totum iam dictum oleũ modicè calidũ superinijciatur; deinde obturato statim vasis ore, in balneo tribus diebus cõtinuis contineatur; deinde coletur, & exprimatur: proiectis interea scorpionibus rursum in oleum infundantur.

Rhabarbari electi,
Myrrhæ,
Aloes hepaticæ ana drach. iij.
Nardi indicæ drach. ij.
Croci drach. j.
Theriacæ electæ,
Mithridatij ana vnc. semis.

Contundenda contundantur, mox vltimo in oleum infundantur, quod per tres dies continuos in balneo cõtineatur: quo facto oleum non amplius percoletur, sed deinceps recondatur, perinde ac opobalsamum.

Venenis omnibus per os sumptis, quę tamen ex erodentium genere nõ fuerint, efficacissimè succurrit. Viperarum, aspidum, & cuiusque animalis venenati morsibus singulari auxilio est.

Vsus est, singulis tribus horis pulsus illinire temporum, ac pedum, & cordis regionem ad sinistram mammillam.

De facultatibus huius olei scripsit multa Ioseph Galimius Messanensis, qui fuit solers Medicus, & filius diligentissimi, ac peritissimi Pharmacopœi, à quo multoties istud oleum præparatum fuit, & simul cum filio sæpissimè est expertus; de eo ad hunc modum is Author scribit.

Sua igitur resolutiua facultate, omnes frigidos morbos, atque venenosos, pituitosos, & ab aliena humorum heterogeneorum confluxione mixtos curat, sicuti aurium tinnitus, surditates, memoriæ defectus, tremores, spasmos, paralysim, œdematosos tumores, asthma, tussim, atque etiam morboso capiti affectus ex frigida causa ortos mirificè iuuat, curatque etiam pectoris, costarum, stomachi, dorsi, lumborum, splenis, ventris, laterum, renum, colicas, atque iliacas, vesicæ, matricis, hemorrhoidarum, neruorum, musculorum, ischiadis, podagræ, & tandem omnium iuncturarum affectiones tollit.

Oleum ex ligno Iuniperi Mesuæ.

Fictile vas in fouea ponatur, supra id aliud fictile angusti orificij inuersum ponatur, recentibus Iuniperi lignis, minutimque incisis plenum, cui subducatur lamina ferrea foraminibus peruia, vt destillet liquor, & ne ligni segmenta delabantur: benè autem aptentur, & luto sapientię circumlinantur fictilium vasorum orificia, ne quicquam expirent. Postea inferius vas vsque ad collum superioris obruito terra, & facto pauimento ignem circa, & supra vas superius accendito, atque ardere sinito aliquot horas, postremò liquorem, qui destillauit, auferto.

Cutis infectiones emendat, serpiginem, cancrum, vlcera maligna. qualia in cruribus quorumdam videntur. Non desunt aliqui, qui pestis tempore tanquã amole-

amoleto naribus, & temporibus eo inunctis vtantur.

Oleum ex Iuniperi baccis.

Elicitur tum per artem destillandi, tum modo supradicto.

Huiusmodi oleum Iuniperi tam ex ligno, quàm ex ipsius baccis, quamuis a plurimis describatur, non est tamen in vsu, & à paucissimis Pharmacopœis in officinis reseruatur: magis pertinet ad Alchimistas, quàm ad Pharmacopœos, fitque per descensum, vt ex his, quæ scribuntur à Mesue, apparet.

Oleum Nardinum simplex Mesuæ.

℞. Spicæ nardi vnc. iiij. * *
Aquæ,
Vini ana vnc. ij. & semis.
Olei sesamini libr. semis.

Coquantur in duplici vase, donec vinum, & aqua in vaporem resoluantur; coletur deinde oleum, & colatum reponatur abiecta spica nardi.

Calefacit, & modicè adstringit, ideo frigidos cerebri, ventriculi, iecoris, lienis, renum, vesicę, vterique affectus magnoperè iuuat, naribus iniectum caput purgat, tremulis, & paraliticis summum est remedium.

Oleum Nardinum in triplici est differentia, quarum primam describit Antidotarium Bononiense addita vncia vna spicę nardi, & prima hęc compositio, Syluio docente in frequenti est vsu, estque efficax ad aurium tinnitus, & dolores à flatu. Costęus hoc loco scribit spicatum nostri temporis semper pręferre; odoratum enim magis inquit ex spica nostrate, hoc est ex lauendula amygdalis instrata, addita tamen, vt adstrictionis ei compararetur mastiche. Quo ad modum conficiendi scribit terenda esse aromata priusquàm immergantur in oleo, aut vino. Animaduertit Manardus, quod secundus, & tertius modus Mesuę nobilè construeretur, si quæ ingrediuntur, haberi possent.

Oleum de Piperibus Mesuæ.

℞. Trium piperum ana vnc. iij.
Myrobalanorum chebulorum,
bellliricorum,
emblicorum,
indorum ana drach. v.
Rad. apij,
Fœniculi ana drach. iij. & semis.
Sagapeni,
Opoponacis,
Ammoniaci ana drach. ij. & semis.
Turbith boni drach. ij.
Zingiberis drach. iij.
Summitatum hyssopi recentis,
Foliorum rutæ,
Caulis recentis ana manip. j.
Aquæ communis libr. xxiiij.

Coquantur ad consumptionem tertiæ partis, deinde colentur, & adde.
Olei ricinini, vel amygdalarum amararum libr. ij.

Et coquantur ad aquæ consumptionem.
Alij addunt ireos drach. vj.
Tapsiæ drach. ij.
Anisi,
Cardamomi ana drach. j. & semis.
Calami aromat. drach. ij. & semis.
Spicæ nardi drach. j.
Expressionis hyssopi, vel thymi sextarij tertia part. i. vnc. vj. drach. v. scrup. j.

Iuuat neruorum morbos frigidos, vt paralysim, spasmum, tremorem, epilepsiam, ischiadem, vteri, coli, renum, vesicæ affectus, & obstructiones aperit, & calculum frangit, articulorum doloribus medetur, menses euocat, & ventriculum imbecillum non temerè confirmat.

Oleum ex piperibus non est in vsu, quã uis describatur ab Antidotario Bononiensi, quod aufert hyoscyamum, eò quòd hoc loco nihil operari videtur, præsertim tam exigua portione.

Auicennas ipsum describit sub nomine olei Alchachengij.

Manardus scriptum reliquit non modò eo vtendum esse ad inungendum verùm etiam ad bibendum, cum præsertim faciat ad calculos in renibus existentes, & oleum ricinum mutandum esse

esse potiùs in oleum amygdalarum amararum: non est opus, vt Pharmacopœi ipsum conficere, & conseruare in suis Pharmacopœis velint.

Oleum Mastichinum Mesuæ.

℞. Olei rosati omphacini libr. j.
Vini odoriferi vnc. iiij.
Mastiches electæ vnc. iij.
Coquantur secundùm artem ad cõsumptionem vini.

Cerebrum, neruos, iuncturas, ventriculum, iecur corroborat, tumores duros lenit, & dolores sedat.

Duplicem video apud Mesuem descriptionem olei mastichini; prima est.

℞. Mastiches vnc. iij.
Olei sesamini sextarium, hoc est libram vnam, & semis.

Coquantur in vase duplici, vbi mastiche in oleo concocta fuerit, liquescit, & fit vnum corpus cum oleo, quare istud oleum priori descriptione paratum olei consistentiam, paulò tamen crassiorem, retinet.

Ex posteriori verò descriptione, qua olei vna tantùm libra ad tres vncias mastiches additur, non olei, sed spissamenti erit consistentia.

Scribit tamen Syluius secundum, seu secundam descriptionem esse solummodò in vsu; vtcumque sit, est (vt inquit Syluius) simplicissimum medicamentum, ac validum, & varium magis, & vnguentum veriùs, quàm oleum: facultatem ventriculi coctricem, & retentricem roborat, illitum in lienteria: ob id salubre, minùs multò calet, inquit Syluius, siccat, obstructa aperit, quàm nardinum, nec minus adstringendo roborat.

Oleum Mastiches Chimicè extractum.

℞. Mastiches in puluerem redactæ libr. j.
Ponatur in vase vitreo, super infundendo.
Aquæ communis destillatæ,
Aquæ vitæ ana quod supernatent quatuor digitis.

Occluso vase, putrefiant in fimo per aliquot dies; postea destillentur, sepeliendo alembicum intra arenam, aut battituram ferri dando ignem per gradus.

Primò destillabit cum menstruo oleũ flauescens; illud seorsim reserua, & augẽdo ignem, prodibit oleum rubicundum; tum demum fortiori igne, crassum, adustum redolens: quod si cum vini spiritu à priori separatũ circuletur, & rursus destilletur, tunc habebis verum oleum affectibus vtilissimum.

Ventriculum, & intestina extrinsecus illitum maximè corroborat.

Idem præstat, & fluxiones cohibet oleum flauescens primò destillatum, si exhibeatur cum vino, vel cum decocto appropriato ad quantitatem semiscrupuli, vel paulò minorem, aut maiorem pro iudicio Medici curantis.

Oleum de castoreo Iacobi Manlij.

℞. Castorei,
Styracis calamithæ,
Galbani,
Euphorbij,
Cassiæ ligneæ,
Croci,
Opoponacis,
Carpobalsami,
Spicæ nardi,
Costi ana drach. ij.
Cyperi,
Schœnanthi,
Macropiperis,
Melanopiperis,
Sabinæ,
Pyrethri ana drach. ij. & semis.
Olei libr. iij.
Vini odoriferi libr. ij.
Confice sic: Galbanum, & opoponacem in vino seorsum dissolue. Deinde reliqua omnia contusa cum oleo, & vino coquito ad consumptionem vini in duplici vase. Postea cola, & dissolutum, & expressum galbanum cum opoponace oleo affunde. Et iterum coque ad consumptionem vini & repone sæpiùs miscendo in posterum, vt galbanum, & opoponax in vasis fundo subsidentia oleo commisceantur.

In omnibus ægritudinibus frigidis valet, tremori, & tetano, & doloribus neruorum, & articulorum, vehementissimos-

tiſsimoſque febrium rigores illitum ſpinæ compeſcit.

Omnes, quoquot ſcripſerunt de Caſtorio, decepti ſunt vſque ad tempora Matthioli; dicunt enim caſtorium nihil aliud eſſe, quàm teſtes animalis, fiber appellati, quod animal in Germania ſuperiori ſpectatur, vbicunque Rhenus influit, quin etiam in Auſtria, & Pannonia, vbi Danubius repit, & proinde ipſius exactã habent cognitionem, dicuntque non eſſe teſtes fibri, proinde mirum, quòd Plinius, ſcripſerit caſtorem ſibi teſtes dentibus amputare conſpecto venatore, ꝙ omninò fabuloſum eſt. Teſtes autem huius animalis Anatome demoſtrat, intus poſitos eſſe paruos ſubſtrictos, & adhęrẽtes ſpinę, qui mi nequeunt viuente animali, quare caſtoria, quæ in medicamentis vſurpantur, non ſunt veri teſtes, ſed folliculi quidam, qui tam in maribus, quàm in fœminis vtrinque in inguinibus ſtatim ſub cute, ouorum gallinaceorum magnitudine, & ſæpè maiores conſpiciuntur: meatum vterque habet, cuius orificium extra corpus circa pubem perſpicuum eſt, parumque alterum ab altero diſtat, ex vtroque (Matthiolo Authore libro ſecũdo in Dioſcoridem, commentario 23.) exudat, fluitque humor ſubſtantia oleoſus, odore perquàm graui, lingua lambit, & deinde ſe ipſum inungit; liquor is quo folliculi ijdem referti ſunt, viuo adhuc animali fluidus eſt olei modo, deinde exemptis folliculis, & aliquandiu aſſeruatis mellis ſpiſſitudinem, coloremque contrahit, poſtremò ceræ in modũ concreſcit, vbi in fumo ſuſpenduntur folliculi; ſed quamuis Manlius, & alij, qui compoſuerunt huiuſmodi oleum, non agnouerint partem huius animalis, nihilhominus oleum vtrumque, & ſimplex, & compoſitum in cõmuni eſt vſu, auriumque dolores tinnitum, & dolorem à flatu diſſoluit.

Oleum de Caſtorio ſimplex.

℞. Caſtorij vnc. j.
Olei libr. j.
Miſce, & coquatur ad tertias.
Idem, præſtat, ſed non tanta efficacia.

Oleum de Scorpionibus ſimplex Meſuæ.

℞. Scorpiones numero xxx.
Olei amygdalarum amararum libr. ij.
Macerentur in vaſe vitreo ſtricti orificij per dies triginta caniculares ad ſolem, vel aliàs tota æſtate calidiſſimis diebus.

Lapidem renum, & veſicæ frangit, & expellit, lumbis, pubi, perineo illitum, aut per meatum vrinarium iniectum. Veneris quoque, & peſtilentiæ aduerſatur.

Oleum de Scorpionibus compoſitum.

Duplex reperio apud Authores eſſe oleum de ſcorpionibus compoſitum; vnum quod adſcribitur Meſuæ: aliud verò, quod dicunt eſſe oleum de ſcorpionibus compoſitum magni Ducis Hetruriæ. Primum componitur ad hunc modum à Meſue.

℞. Rad. ariſtoloch. rotundæ,
Gentianæ,
Cyperi,
Cort. rad. capp. ana vnc. ſ.
Olei amygdalarum amararum libr. j. & ſemis.

Macerentur in oleo contuſæ radices ad ſolem feruidum diebus xx. Deinde coquantur aliquantulum in duplici vaſe, iniectis ad vltimum ſcorpionibus numero quindecim, poſtea iterum ſerenis diebus triginta ad ſolem macerentur, poſtremò excolatum oleum reponatur.

Calidius, & efficacius eſt ſimplici.

Secundum eſt oleum ſcorpionum compoſitum magni Ducis Hetruriæ.

Scribit hoc loco Manardus, quod nũc paratur cum oleo antiquo additis multis ſimplicibus medicamentis ad venena laudatis, eſtque mirabile in peſtilentia, & venenis omnibus.

Addit vnum, quod certè admiratione non caret; ſcio enim (inquit) hominem, qui hoc ſolo oleo munitus ſæuiſſimam quantumuis peſtilentiam nihili faceret, & nec ſolùm ſe ipſum, ſed & famulos ſecũ ad viſendos peſtilentia affectos adduxiſſe, & incolumes ſeruaſſe, & addit, quod magis,

est; scio ex sola inunctione aliquos liberatos, qui sæuissima biberant venena.

Rursus notat hic Costæus magnum artificium conficiendi formulam olei huiusmodi haberi à Matthiolo, quam & nos in Miscellaneis, & in hoc Antidotario parum supra descripsimus, qui Matthiolus cùm ad venena satis, superque commendet, audaciam ignaris Medicis peperit, vt in omnibus etiam deploratis, & actu laborantibus, & in ætate omni, vel infantium vsurpent cum magna artis calumnia, & pernicie multorum: quare non omnibus indifferenter, & sine vlla methodo istud oleum applicandum est, quã nis ipse Matthiolus tantopere ipsum commendet.

℞. Olei oliuarum vetustissimi,
scorpionum ana libr. j.

Primò nutriantur scorpiones per multos dies ex folijs basiliconis collecti cum rore semper auferendo excrementa, quoties recentia folia apponuntur. Deinde infundantur scorpiones in oleo prædicto, & exponantur soli caniculari per quadraginta dies, deinde exprimantur, & addes

Rhabarbari electi,
Aloes hepaticæ,
Spicæ nardi,
Myrrhæ electæ,
Croci ana drach. j.
Gentianæ,
Tormentillæ,
Dictamni albi,
Bistortæ,
Theriacæ veteris,
Mithridatij optimi ana drach. ij.

Contundantur omnia crasso modo, quæ sunt terenda, & addantur oleo prædicto, in quo erant scorpiones, & iterum exponatur soli per quadraginta dies. Postea coletur, & seruetur in vase vitreo optimè obturato.

Huiusmodi oleum describitur à Bertaldo libr. 2. de appar. Med. par. 2. trac. de oleis.

Oleum Lumbricorum terrestrium.

℞. Vermium terræ libr. semis.
Olei oliuarum libr. ij.
Vini vnc. ij.

Bulliant omnia simul, & fiat oleum. Deinde percoletur, & reseruetur.

Neruorum affectibus est vtile.

Sunt aliqui, qui priùs lumbricos vino generoso abluunt, inde faciunt ebullire cum oleo communi. Alij verò, vt notat Stecchinus, ebulliunt cum oleo chamomelino, deinde ponunt in vase vitreo, & sepeliunt in fimo equino per aliquot dies, ex quo elicitur liquor quidam mirabilis ad dolores sedandos; Alij quoque accepto vase vitreo, in quo ponuntur lumbrici ebullire faciunt in duplici vase, & huiusmodi præparatio videtur esse elegantior, & nullum afferens fætorem. Sunt & alij, qui primùm lumbricos terrestres aqua sæpiùs mutata abluunt, deinde vino albo per horam immergunt, & lotione peracta, & abiecto vino vermes duplici vase excipiunt, oleum affundunt, & vinum rubrum, aut etiam album, vt placet, omnia coquunt ad vini euaporationem, tandem oleum percolant, & vsui reponunt.

Aliud Oleum Lumbricorum.

℞. Vermium terrestrium à terra expurgatorum quantitatem, quam volueritis: vino abluantur: & in vase vitreo ponantur; atque in fimo calido per horas vigintiquatuor sepeliantur; deinde vas à fimo auferatur, & eorum substantiam totam in oleum conuersam videbis.

Huiusmodi oleum ex lumbricis paratum neruosis partibus, & iuncturis à materia frigida læsis iuuare communis est hominum opinio, vnde in Pharmacopœa Augustana scriptum est anodinum esse, cuius fotu nerui recreantur, vt quotidie in neruorum vulneribus experimur, quare approbare nequeo Fuchsium id negãtem hac ratione, quòd putet lumbricos frigidos esse, quod aduersatur Gal. libr. 3. aph. 26. in com. vbi loquens de generatione eorum dicit eos ex putredine quidem habere rationem, quamuis dicat non ex sola putredine habere generationem, quia hæc ad eos generandos non est sufficiens, sed & calore plurimo indigent, quare à calido, tanquam à causa efficien-

ficiente generantur, sed quæ generantur à calido, videntur potiùs esse calida, ergo lumbrici videntur potiùs esse calidi, quàm frigidi.

Præterea idem Gal. 11. de simp. med. facul. scriptum reliquit lumbricos, quos terræ intestina appellat, neruis diuisis impositos protinus mirum in modum prodesse. Addo, quòd dicebat huiusmodi animalia cum mulsa pota medicamen esse mouendæ vrinæ idoneum, sed mouentia vrinas ex ipsomet Gal. vt plurimùm sunt calida, sequitur igitur, quòd & lumbrici sint calidæ, & siccæ naturæ, quare sua caliditate, & siccitate neruos ipsos læsos ad naturalem statum reducunt: ea propter neque probo Bertaldum, qui refugit ad similitudinem quandam naturæ, ita vt à virtute occulta lumbrici neruosis partibus læsis opitulentur, cùm omnes scriptores de hac materia iuuare neruos læsos dixerint, idque efficaciùs, si immergantur in aqua vitæ primæ extractionis, & in fimo calido per horas vigintiquatuor, vt scribitur in Antidotario Bononiensi, sepeliantur, deinde vas à fimo auferatur; tunc enim eorum substantiam in oleum conuersam, quod calidæ, & siccæ naturæ est, comperiemus.

Oleum Formicarum.

℞. Formicarum alatarum quantum voles.
Olei quantum sufficit.
Macerentur æstate ad solem diebus quadraginta, postea colatum repone pro vsu veneris.

Huiusmodi oleum rarissimè paratum in officinis reperitur, vixque expetitur ad genitalia frigidiora calefacienda, cùm tamē facilè, & minimo sumptu parari possit.

Varium reperitur genus formicarum, & in India potissimùm audio formicas adeo proceres esse, vt magnitudine vulpem æquent. Renodæus scribit alias quasdam esse paruulas hippomermeces, seu equites dictas, & alias quasdam herculaneas, alias solifugas, & quamuis parum referat Pharmacopœi audire huiusmodi historiam, nihilominus ex formicis cōmunibus alatis solet fieri huiusmodi oleum. Scio in agro Bononiensi nostro reperiri montem satis altum, & spatiosum, in cuius summitate fabrefactum est templum peramplum, quod appellatur formicarum, & re vera statutis quibusdam temporibus die potissimùm dicato Beatæ Mariæ Virgini, vnde dicitur Beata Maria formicarum, affluunt formicæ alatæ in tanta copia per aerem volitantes, vt componeant veluti lineam quandam digiti maioris latitudine, quæ per totum illum diem nunquam cessat, & per fenestram prædictum templum ingressæ omnes simul super altare cadunt, & in instanti moriuntur, cùm igitur adsit harum formicarū alatarum is numerus mirū nō est, si ex ipsis oleum istud componatur.

Oleum vulpinum Mesuæ.

℞. Vulpem detracta pelle, & abiectis interaneis incidatur in partes, & coquatur in
Aquæ fontanæ,
Aquæ marinæ ana quantum sufficit.
Olei veteris clari libr. iij. & vnc. viiij.
Cum salis vnc. iij.
Inter coquendum adijce
Anethi,
Hyssopi ana libr. j. b. p.
Coquantur autem quousque ab ossibus recedat caro, & aqua consumatur, deinde coletur oleum, & excolatum ad vsus reseruetur.

Ad podagras, & reliquas arthritidis species, dorsi, & renum dolorem efficacissimum est.

Multæ huius olei sunt descriptiones; alij enim volunt ex Mesue vulpem integram cum pelle, pilis, pedibus, solumque exenteratam accipiendam esse. Alij volunt auferendam esse pellem, & alij relicta pelle abiectis tantùm alui excrementis, & intestinis remanentibus eam debere coqui vsque ad ossium separationem. Alij verò pelle, cauda, & interaneis, vt inutilibus reiectis, ipsam concoqui volunt in aqua fontana, quousque ossa separentur. Sed probatur magis mihi descriptio allata ab Antidotario Bononiēsi. Hoc enim modo paratum oleum viribus efficax est, & ad ea, quæ promittit, omninò validum; magnopere enim digerit, ac resoluit, neruos roborat, & à frigidis in-

iurijs tuetur, articulorumque doloribus opitulatur.

℞. Cort. rad. capp. vnc. j.
Cort. tamarisci,
Foliorum tamarisci,
Sem. agni casti,
Cetrach,
Cyperi ana drach. ij.
Rutæ drach. j.
Aceti,
Vini optimi ana vnc. ij.
Olei maturi libr. j.
Coquantur in duplici vase ad consumptionem vini, & aceti.

Lienis scyrrho, obstructioni, dolori, omniq; eius frigidæ ęgritudini conuenit. Huius olei inuentio tribuitur recentioribus quibusdam, quandoquidem de eo apud veteres nulla est mentio, & quamuis author determinatus non habeatur, istud tamen oleum docente etiam Renodæo methodicè, ac legitimè compositum est, hinc apud omnes pharmacopœos vbique terrarum eius cōpositio parata habetur, omnibus probata vno excepto Brasauola, qui ipsius receptam, vt ita loquar, immutare voluit, à nemine tamen sequutus.

Per duos annos seruatur.

Quemadmodum oleum de formicis supradictum à nullo, aut à paucissimis laudatur, & vix alicubi est in vsu, ita hęc duo olea vulpinum: capparibus in omnibus locis in vsu sunt, & in pharmacopœis reseruantur.

Oleum de Lateribus, siue Philosoph. artificiale.

℞. Ex lateribus antiquis multę antiquitatis, & propriè factis ex terra rubra, & comminue eos in frusta, & accende super eos ignem carbonum sine fumo, vsque dum inflammentur, & rubeant, deinde submerge eos in concha plena oleo de alchechil, idest de rosmarino, aut oleo antiquo claro, vsque dum imbibantur imbibitione vltima, & pone in capsulis, & permitte exiccari per se, post illud comminue eos comminutione vltima, & pone in capsulis, & sigilla orificium capsulæ cum orificio alembici cum luto Chimistarum, & pone in fornace, cuius ignis sint prunæ, & coquatur, vsque dum destillet oleum, & tunc ordinabis vas sub rostro alēbici, in quo fluat oleum, deinde repone illud, & stringe orificium vasis, in quo reponis, & quantò antiquius, tantò melius.

Calefacit, siccat, in altum penetrat, digerit materiam omnem excrementosam, ideo epilepsiæ, paralysi, vertigini, obliuioni, lienis, renum, vesicæ, vteri, neruorum, & articulorum omnium doloribus frigidis mirum in modum opitulatur.

Huiusmodi oleum appellari potest pluribus modis; nam à quibusdam Medicis oleum, seu petroleum artificiale dicitur ad differentiam naturalis, quod è saxis sponte emanat. Nonnulli elegantiori vocabulo vtuntur dicentes oleum hoc sanctum esse, diuinum, & benedictum.

Alij verò, vt notat Renodæus, nempe spagirici, seu chimici arrogantiùs, quàm conueniat oleum magisterij, & oleum philosophorum nominant, quos ideo irridet Syluius Medicus doctissimus, quòd se Philosophos vbique, & quotidiano sermone, & scriptis appellent, & quod mirum est, inquit se solos philosophos affirmant, & quod re non consequuntur, nomine queritant.

Quamuis aliud sit oleum, quod à Mesuæ dicitur Philosophorum, oleum sapientiæ, oleum benedictum, attamen huiusmodi est oleum naturale, quod à naphta ortum ducit: artificiale est istud de lateribus à nobis dictum.

Oleum Terebinthinæ.

℞. Resinæ terebinthinæ, aut laricinę lib. iiij. Pone in capace cucurbita, & per artem destillatoriam elice eius oleum, ita vt cucurbita, aut retorta arena imponatur. Primò autem cum aqua exibit oleum tenue, & clarum, secundò aurei coloris, vltimò fuscum, & crassum. Horum vnumquodque per se auferto, & reponito.

Confert omnibus ægritudinibus frigidis, & maximè neruorum.

Istud oleum de terebinthina, quemadmodum pluribus morbis est vtile; ita & à plurimis variè describitur: primò enim Renodæus scribit ad hunc modum.

oleum

oleũ ex terebinthina trahitur in cucurbita tam recta, quàm curua addita arena à puluere, & sordibus mundata, & substructo igne primùm blande, deinde paulo validiore: oleum primum quod exit clarum est, & tenue, dein crassius, & aurei coloris, sed vix intelligitur, quid sibi velit, quia nõ dicit quomodo terebinthina sit ponenda in cucurbita, an prius ipsa, an verò arena; Stecchinus vero vult accipiendam esse terram illam quam maiolicam appellant, & antequam inuitreantur, vult per setacium esse transmittenda deinde vt accepta tertia parte illius pulueris addantur illi duę partes terebinthinæ, gummi, & ceræ, & Raie, inde ponantur in cucurbita, & à principio vsque ad finem exponantur igni temperato. Alio modo fit oleum terebinthine ex eodem Stecchino, vult enim accipiendam esse stortam absque luto intus ponendo oleum commune, & per stortam totam miscetur, deinde abijcitur, eo abiecto accipitur terebinthina in tanta copia quãta satis est ad vnam partem stortæ replendam, deinde in furnello sicco, nempe cum arena, & apponitur ignis quantũ placebit, quia terebinthina propter olei viscriditatem non poterit ascendere, primò exibit aqua clarissima, postea aliquo modo turbata, vltimo loco stillabit oleum clarum, & pulcherrimi coloris & vbi obscuratur reponendum est per se; Isti sunt modi, quibus potest fieri oleum terebinthinæ, sed magis placet illud Antidotarij Bononiensis, nam determinatur quantitas terebinthinæ, & aliarum rerum.

Oleum Sampsucinum simplex descriptione Mesuæ, de quo infra.

Paretur sicut myrtinum oleum ex oleo omphacino, & insoletur.

Renes abstergit, cutem expurgat, ictero medetur, & iecori obstructo, articulorum, neruorumque doloribus confert.

Oleum Sampsucinum compositum ex Dioscor. libr. 1. cap. 4.

℞. Foliorum sampsuci manip. iiij.
Serpylli manip. ij.
Foliorum myrti manip. j.
Abrotani,
Sysimbrij, idest menthæ aquat. ana manip. semis.
Cassiæ ligneæ verę, idest cinnamomi vnc. ij.
Olei omphacini quantum sufficit.

Concidito, & contundito omnia, & impone in vas vitreum, & affunde oleum, ita vt supra species emineat; tum obstructo vasis orificio macera ad solem, vel in æstuario diebus octo, postea exprime, & expressum oleum affunde recentibus speciebus, & hoc etiam tertio facito.

Idem præstat, quod superius, sed valentiùs.

Diuersum est oleum sampsucinum simplex à composito. Simplex à Mesue describitur, quod non habetur in vsu, aut raro. Manardus scribit, & cum eo Syluius, quòd si comæ sampsuci ter, aut quater permutentur, & in duplici vase oleum coquatur, benè erit odoratum, & sternutamenta leniter mouebit. Oleum verò sampsucinum, quod describit Dioscorides efficax est ad multa, sed vnusquisque Dioscoridem videre poterit: nolo conterere tempus, sat est, quod huiusmodi oleum fiat sicuti mirtynum, & cotoneorum, nempè simplex.

Oleum Vitellorum Ouorum.

℞. Oua recentia elixata, & indurata, numero xxx.

Postea vitellos ouorum exime, & manu comminutos assa in sartagine, donec rufescant, & pinguedinem quandam remittant. Deinde exprimantur, & oleum, quod expressum fuerit, repone.

Cutem expurgat, impetiginem, serpiginem, & alia cutis vitia sanat, capillos regignit, vlcera maligna, & fistulosa curat.

Huiusmodi oleum anodinum est, vt rectè admonet Costæus super hunc Muesuæ locum. Plerique scribunt, vt Syluius, Renodæus cicatrices delere quamuis Costæus non probet. Ego certè multotis, vsus sum in delendis cicatricibus, & in aliquibus vidi rectè ipsum operari, & re vera de-

ra delere cicatrices, vt rectè admonet Syluius. Verùm cicatrices, quæ in facie potissimùm eueniunt, sunt in duplici discrimine; aliæ sunt, in quibus remanet fouea quædam; alia verò, quæ supra cutem eleuantur, nullam ex istis delet cicatricem, & hoc est, quod inferre voluit Costæus. Si verò considerentur, vt afficiunt cutem quodam colore, vel huiusmodi cicatrices ex ambustis proueniunt, vel sequuntur vulnera, si primo modo, eas cicatrices vt plurimùm delet, si verò proueniant ex vulnere, tunc si immediatè post factam cicatricem eo vtantur Chirurgi, fieri potest, vt ab oleo diluantur. At si non immediatè post inductam cicatricem, eo vtantur, sed permittunt ita permanere per multos dies, sperantes vt sponte deleantur, oleum huiusmodi nihil facit, quod sæpiùs probaui.

Oleum Hyperici simplex.

℞. Summitatum hyperici iamiam maturescentis vnc. iij.

Macerentur in vino odorifero diebus tribus, bulliant deinde in vase duplici, obturato orificio vasis, postea exprime, & recentis hyperici par pondus inijce; & iterum macera, & coque, & exprime, tum etiam tertiò recens hypericon adde; & si vinum minuetur, adde illius nonnihil. Postea

℞. Terebinthinæ vnc. iij.
Olei veteris clari vnc. vj.
Croci scrup. j.

Coquantur in duplici vase ad consumptionem vini; postea exprime, & à sedimento purgatum oleum repone.

Vulnera grandia glutinat.

Oleum Hyperici compositum.

℞. Olei veteris libr. iiij.
Vini albi potentis libr. j.
Florum hyperici cum sem. recent. manip. iiij.

Tere, & macera in vase vitreo, obturatò eius orificio, duos dies: coque in duplici vase, & fortiter exprime; in colaturam inijce alios flores, vt dictum est: & tertiò idem facito, deinde colato, & ad singulas eius libras adde.

Terebinthinæ vnc. vj.
Olei abietini vnc. iij.
Dictamni,
Gentianæ,
Cardui benedicti,
Tormentillæ,
Carlinæ,
Calami aromat. ana drach. ij.
Lumbricorum in vino pluries lotorum vnc. ij.

Terantur omnia, & insolentur triginta, aut quadraginta dies, & benè obturatum vas reponas.

Idem præstat, quod simplex, sed valentiùs.

Tres olei hyperici differentiæ notantur. Prima simplicior, & vsitatior ex hyperici folijs, & floribus, ac oleo parata. Alia magis composita, quæ præter dicta terebinthinam, vinum, & crocum admittit. Tertia maximè composita est, & est Ioan. Vigonij, quæ alia adhuc olea lacrymas, succos, radices, folia, & vermes terrestres excipit. Prior communiter in Pharmacopœis solet semper haberi parata. Posterior verò in vsu magis est apud Chirurgos.

In Bononiensi Antidotario descripta est secunda, & tertia differentia.

Oleum Irinum Mesuæ, idest de Lilio Cælesti.

℞. Radicum ireos libr. j.
Florum eiusdem libr. ij.
Aquę decoctionis rad. eiusdem quantum sufficit.

Funde super ea oleum sesaminum, aut de oliuis maturis quantum sufficit, & decoque in duplici vase. Deinde flores, & folia noua immitte, prioribus expressis, & abiectis, vt in oleo rosato.

Radices sint siccæ.

Tergit, tenuat, coquit, resoluit potenter, ob id à frigido dolores aurium, hepatis, splenis, vteri, & articulorum sedat, phlegmonas coquendo suppurat, materias thoracis, & pulmonis coquit, strumas dissipat, & alios tumores duros, spasmum emendat, & narium fętorem.

Quamuis duę sint huius olei descriptiones

tiones, vna Mesuę, alia Nicolai, prę-ponitur tamen oleum Mesuę, ipsi Nicolai, quòd præstantius, & efficacius, & excellentius faciat id, quod promittit, licet Seplasiarij hodie ex floribus tribus vicibus reiteratis oleum irinum parant.

Quamuis irinum sit idem cum oleo liliorum, differunt tamen inter se tum ratione nominis, tum modo componendi, tum ratione virtutis; nam irinum oleum fit ex lilijs quidem, sed luteo colore, oleum uerò liliorum fit ex lilijs albis: ratione quidem nominis, quia vnum oleum dicitur irinum, aliud verò dicitur liliorũ: modus quoque componendi est diuersus; nam irinum fit ex radicibus ireos, & floribus eiusdem luteis; at oleum liliorum fit duobus modis, pro vt est simplex, vel compositum, simplex docente Mesue fit vt oleum chamæmelinum, at compositum fit hoc modo.

℞. Foliorum lilij vnc. viij.
Mastiches,
Calami aromatici,
Costi,
Carpobalsami ana vnc. j.
Caryophyllorum,
Cinnamomi ana vnc. semis.
Croci drach. iij.
Omnia præter liliorum folia aqua sufficiente macerentur horis vigintiquatuor, & semel, aut bis ferueant, tunc inijce.
Olei dulcis,
Vel sesamini libr. ij.
Et additis lilij floribus in vase vitreo insola dies quadraginta, post colatum reponatur, & istud oleum est in vsu sub nomine olei liliorum cum speciebus, aut sub nomine liliorum compositi, & ita scriptum inuenitur in Antidotario Ioannnis Serapionis.

Oleum irinum tergit, tenuat, coquit, resoluit potenter, ob id à frigido dolores aurium, hepatis, splenis, vteri, articulorum sedat, phlegmonas coquendo suppurat, materias thoracis, & pulmonis coquit, strumas dissipat, & alios tumores duros, spasmum emendat, & narium fœtorem.

Liliorum verò oleum magis sedat, lenit, maturat, idest simplex.

Notat hoc in loco Costæus irinum oleum ex radicibus lilij sine floribus fieri efficacius, quàm ex confusis floribus. Addit se cum hac radice amygdalas interdum exprimi iussisse ad asthma non inutiliter. Et addit ex Mesuæ sententia pręter cæteras dotes conciliandi quoque somnum vim habere.

Oleum Moschellinum Nicolai Alexandrini.

℞. Olei puri libr. viij.
Aquæ libr. iij.
Folij,
Spicæ nardi,
Costi odorati,
Masticheș ana vnc. iij.
Styracis calamitæ,
Croci,
Myrrhæ,
Cinnamomi,
Cassiæ ligneæ ana vnc. j. & semis.
Carpobalsami,
Caryophyllorum,
Bdellij ana vnc. j.
Moschi drach. vj.
Nucis moschatæ numero iiij.

Sic confice: folium, myrrham, cassiam, carpobalsamum, & bdellium tere, & per biduum in aqua, & oleo macera. Postea coque supra lentum ignem in duplici vase ad consumptionem aquæ. Deinde reliqua omnia in tenuissimum puluerem redacta, insperge, cola expresso oleo, & iterum macera, & coque parumper. Vltimò moschum admisce, & repone, & patere, vt aromata subsideant, & interdum oleo commisce agitato vase.

Frigidis affectibus est præstantissimum, ventriculum præcipuè debilem roborat, & calefacit. Dolorem lateris illitum sanat, stranguriosis, colicis, & neruorum omnibus propè vitijs confert.

Huiusmodi oleum moschellinum, seu moschatellinum, quod vel à moscho, vel à nucibus moschatis nomenclaturam accipere potest, rarò, aut nunquam apud Seplasiarios ob sui caritatem reperitur, neque audiendi sunt illi, qui putat oleum balaninum esse appellandum; nam huiusmodi oleum simplex est sine odore, eo

quòd

quòd ex balano myrepsica, seu blande vngentaria trita, & expressa elicitur.

Oleum Rutaceum.

℞. Rutæ recentis incisæ, & contusæ quantum libuerit.

Pone in vase vitreo, & affunde olei veteris clarissimi triplam quantitatem, & macera ad solem, aut in aliquo loco calido dies quindecim, deinde in duplici vase coquito, & abiecta ruta, recentem inijcito, & iterum quindecim dies macerato, postea simili modo coquito, & exprimito, & tertiò recentem rutam inijce, macera, coque, & cola: folia sint parum exiccata.

Calefacit, tenuat, digerit, colicum dolorem, renum, vesicæ, vterique à frigida causa sedat, illitum, & clysteribus iniectum. Neruorum, & spinæ resolutionem inunctum componit, conuulsionibus medetur, flatus dissipat.

Oleum rutæ communiter apud omnes in vsu est, fitque, vt scribit Mesues, non secus atque myrtinum; differt tantisper ab oleo anethino, & chamomelino, eo quod habet maiorem calefaciendi vim, quàm habeat anethinum, aut chamomælinum.

Syluius scriptum reliquit in conficiendo hoc oleo oportere accipere foliorum, & succi rutæ ana portione æquali, olei omphacini quãtum est satis: insolãda sunt omnia per dies quindecim obturato vase, post coquenda in vase duplici per horas quatuor, deinde exprimantur, hocque bis, & ter agendum, quod Syluij dictum non videtur esse rationi consentaneum, quia oleum omphacinum restringẽdi, & refrigerandi facultate pollet, vt omnia acerba. At Mesuæ scriptum reliquit oleum rutaceum attenuare, & digerere, quare mea opinione, aliud est dicere oleum rutæ esse conficiendum ad modum myrtini aliud est dicere, quod rutaceum oleum sit faciendum ex folijs rutæ, & oleo myrtino, aut omphacino, vult enim Mesues eo modo conficiendum esse oleum rutæ, quo fit oleum myrtinum, quod à Mesuæ scribitur esse coquendum, vt mellinum, hoc est vt oleum cydoniorum, ita vt Mesues velit oleum rutaceum esse faciendum vt myrtinum, myrtinum autem, vt cydoniorum: at oleum myrtinum non vnico fit modo, vt videre possumus in Antidotario Rhasis, vbi affert plures modos ipsum faciendi, & Syluius scribit illud per expresionem baccarum myrti recentium fieri, & Costæus scribit fieri ex floribus mirti.

Rondaletius libro Antidoti sui quarto, sectione prima ad hunc modum ipsum componit.

℞. Foliorum mirti, viridium vnc. v.
Olei omphacini libr. j.

Misce, & insola dies octo in balneo Mariæ, & parum coquito, expressa folia eijcito, recentia verò inijcito, idque ter iterato, postremò oleum expressum seruato. Additque Renodæus oleum istud esse in duplici differentia; aliud, quod myrtinum dicitur, & fit ex myrti folijs maceratis, & expresis, vt dictum est, oleũ myrtillorum, quod ex eiusdem baccis, seu myrtillis conficitur.

Vtrumque vsuale, & viribus eximium est, quare, & si non habeamus à Mesue modum conficiendi, multi tamen Authores videntur ipsum componere ex authoritate Mesuæ; Vtrumque hoc oleum refrigerat, densat, adstringit, cerebrum, neruos, & ventriculum roborat, capillos retinet, eorumque defluuiũ sistit, gingiuis medetur, dentium dolori: laxatos artus, pustulas erumpentes illitu emendat.

Oleum Anethinum.

Fit ex floribus, & folijs anethi, & oleo veteri claro eodem modo, quo rutaceum oleum.

Digerit, dolores sedat, confert rigori febrili, spinæ, & partibus neruosis inunctum accesionis initio phlegmonas, & scyrrhos resoluit, somnum conciliat, & cephalalgiam mitigat.

Oleum anethinum in vsu quidem maximo est, & magnam habet similitudinem cum oleo chamæmelino, de quo paulò post: modus eius apud modernos est, vt accipiantur flores anethi, & ponãtur cum oleo: exponanturque soli per quadraginta dies,

ta dies: deinde reponatur pro vsu. Quo modo anethinum oleum calidum, & siccum somnum conciliare possit, non satis constare videtur; nam Mesues scribit ipsum digerere, ob id dolores sedare, & cōferre rigori febrili, spinæ, & partibus neruosis iunctum accessionis initio, phlegmonas, & scyrrhos resoluere, cephalalgiā sedare. Tale autem oleum non videtur somnum posse inducere, nisi velimus dicere id, quod Syluius scribit dicens accipiendum esse viride, quia humidius, & minus calidum, & ob id magis concoquit, & somnum conciliat.

Oleum Ligustrinum, siue de Alchana, siue Cyperinum.

℞. Florum ligustri vnc. iiij.
Olei veteris vnc. x.
Fit vt rosatum.

Neruosas partes roborat, capillos à canitie vendicat.

Huiusmodi oleum à Latinis ligustrinū, à Græcis cyperinum, ab Arabibus, & præsertim à Mesue oleum de alchana dicitur.

Dubitat hoc loco Costæus, quo modo huiusmodi oleum possit corroborare neruos, cùm ligustrum, ex quo fit, sit frigidæ, & siccæ temperiei, verùm cùm neruorum lassitudo ex calore maximè fiat, vt in ijs, qui plus iusto exercentur, hanc propriè curant frigida. Addo etiam, quòd ligustrū ex diuersis partibus tum calidis, tum frigidis constare dicat Galenus, & frigiditas non excedit primum gradum, quare veteri oleo addito non potest solum temperare frigiditas, sed etiam calidæ partes, quæ illi insunt excitare, ob id Auicennas eius floris oleum calefaciendi, ac leniendi facultatem obtinere scribit.

Oleum Sambucinum.

Fit vt oleum rutaceum.

Lenit cutem, expurgat, ictero, & hepati obstructo prodest, neruos roborat, eorumque, & articulorum doloribus confert, sumptum, aut iniectum aluum irritat, serosaque excrementa per inferna educit.

Fit quoque ex medio sambuci cortice similiter macerato oleum, & ex floribus sambuci, quo maximo cum fructu ad ambusta vtuntur.

Oleum istud ex Mesue est in duplici differentia: aliud, quod fit ex floribus sābuci, aliud ex medio cortice; primum sedat dolores, secundum ambusta sanat: fit etiam Syluio docente ex floribus iasmin, quod sambucinum Arabes vocāt chamęmelino viribus proximum: hoc oleo, quod fit ex medio cortice, qui læduntur ex sclopetis, aut ex ignibus artificialibus facta vnctione celerrimè curantur.

Oleum Sambucinum compositum ex Stecchino.

℞. Florum sambuci,
Corticis eiusdem ana vnc. vj.
Olei rosati completi libr. ij. & semis.
Olei de saxo,
Olei de cera ana vnc. semis.
Styracis liquidæ vnc. j.
Succi solatri,
Succi rutæ ana vnc. ij.
Vermium terrestrium ablutorū vnc. iiij.
Vini albi quantum sufficit fit secundùm artem.

Cortex, & flores debent esse recentes, atque teneri, qui contundantur in mortario lapideo, supra quos adiungitur vinum in sufficienti quantitate, & ita relinquitur per spatium vigintiquatuor horarum, & reponatur in oleo rosato cum succis, vermibus, styrace liquida, & relinquatur per alias vigintiquatuor horas in balneo in vase vitreo, deinde fiat fortis expressio, & denuo reponatur in balneo, ad hoc vt consumetur humiditas superflua, tunc post refrigerationem adiunguntur olea destillata, & conseruetur ad vsum.

Oleum Iasminum, siue de Zambach.

Fit vt oleum rutaceum, ex floribus Iasmini.

Calefacit, & dolores leuat.

Frigidis etiam affectibus non obscurum affert auxilium.

Oleum Leucoij, siue de Cheyri.

Fit ex violis luteis, siue citrinis, vt oleum rutaceum.

Lenit, digerit, tenuat, ob id dolores thoracis, renum, neruorum, vteriq; leuat.

Quod leucoijum Græci dicunt, Arabes cheijri vocant, & nos appellamus violam, quæ est in duplici differentia, alia alba, alia lutea, quã etiã citrinam Arabes dicunt. Magis vsitatum est oleum factum ex lutea viola, seu citrina, cheijri appellata ex Manardo, & Syluio. Paulus Aegineta ad hunc modum componit.

℞. Florum exungulatorum vncias tres, & immittit olei sextario in vase exactè obturato decem dies insolat, mutat ter, vbi reponendum est, alias benè siccas adiungit; huiusmodi oleo ita confecto ad adiuuandum partum obstetrices nostræ vti consueuerunt, in quem vsum ex recentibus violis parandum esse videtur: quamuis etiam si diceremus eos flores assumẽmendos esse arĩdos, non multùm esset detrimenti, quia oleum suo humore ariditatem ipsarum temperat. Notat hic Costæus, quòd si violę luteę deficiant, in earum locum albas, ac rubras cedere, & harum magis albas, vtpote quæ odore maximè pręstent.

Oleum Menthæ.

℞. Menthę domesticę drach. iiij.
Olei omphacini lib. j.
Insolato in vase vitreo, mentham permutato ter, velut rutaceum.

Ventriculum refrigeratum, & imbecillum calefacit, firmat nauseam, appetentiam excitat, coctionemque iuuat, lacque in mammis absumit.

In hoc oleo conficiendo mẽtha est eligenda crispa, & satiua, ac viridis, cuius folia tusa oleo macerabuntur, atque ter mutabuntur præscripto modo.

De eligendo oleo non omnes Authores conueniunt; nam alij omphacinum, quod sua stypticitate ventriculum roboret; alij maturum, & completum, quòd magis calefaciat, & coctionẽ iuuet, sumũt.

Oleum de de Absynthio.

℞. Comæ absynthij vnc. iiij.
Olei omphacini libr. j.
Insoletur in vase vitreo, & ter mutetur absynthium, sicut est dictum supra de alijs.

Idem pręstat, quod menthaceum, sed obstructionem aufert, & lumbricos enecat, frigidis ventriculi affectibus mirificè conducit.

Quamuis huiusmodi oleum incerti sit Authoris, vnde est, quòd à quamplurimis describatur diuersa semper absynthij ad oleum proportione; nam alij exiguam absynthij quantitatem; alij verò maximam ponunt; alij accipiunt quinque partes olei, & absynthij duas, & succi eiusdem tãtùm quarta ad oleum proportione; solẽt tamen aliqui ad maius robur, & ad maiorem adstrictionem rosas permiscere, cùm tamen existimem non esse opus rosis, cùm absynthium stypticitate nõ careat, maximè absynthium ponticum, & montanum.

Oleum Spicæ Nardi.

℞. Spicæ aromaticæ drach. iij.
Vini, & aquæ ana vnc. ij. & semis.
Olei sesamini, vel olei dulcis libr. semis.
Decoquantur in vase duplici, lento igne.

Calefacit, attenuat, detergit, ideò omnibus affectibus frigidis opitulatur.

Huiusmodi oleum de spica fit ex lauendula latifolia in vino albo, odorato macerata, quamuis huiusmodi oleum vix vnquam per se vsurpatur, sed alijs ante permixtum medicamentis maximè topicis, vt emplastro Ioannis à Vigo, licet etiam ad alios vsus præter medicos adhiberi consueuerit.

Oleum de spica nostrate:

Fit ex floribus lauendulæ maioris, quæ spica dicitur, colligendo aquam per alẽbicum, & exponitur soli per multos dies, quę reiectat oleum fragrantissimum.

Calefacit, attenuat, & discutit.

Oleum

Oleum de Spica nostrate compositum.

℞. Styracis,
Caryophyllorum ana drach. vj.
Nucis moschatæ drach. xj.
Olei de spica simplicis libr. j.
Vini odoriferi vnc. ij.
Coquantur in duplici vase ad consumptionem vini.

Idem præstat, ac illud de spica simplici, sed est efficacius.

Oleum Laurinum.

℞. de granis lauri maturis, quantum vis, dum adhuc sunt recentia.

Tere in pila, & fac, vt bulliant in aqua in caldario; deinde exprime in torculari plano non habente concauum. Collige ex aqua, quę supernatat, oleum. Deinde iterum exprime grana contrita in torculari habente concauum, & infunde aquam calidā, & collige oleum, & repone.

Ad partium omnium cerebri, neruorum, articulorum, ventriculi, hepatis, lienis, renum, vteri affectus frigidos confert.

Oleum Sesaminum.

Fit ex semine sesami, sicut oleum ex amygdalis.

Impinguat, auget sperma, lenit guttur, & omnem asperitatem, & duritiem, & clarificat vocem.

Oleum Petroleum, idest de Saxo, siue Naphta.

Nascitur in montibus Mutinæ, & alicubi in Sicilia.

Calefacit, siccat, essentiæ tenuitate in altum penetrat, digerit, materiam omnem excrementosā consumit; ob id omnibus affectibus, & doloribus frigidis cōfert.

Oleum Balsami magistrale Petri Apponensis.

℞. Myrrhæ electæ,
Aloes hepaticæ,
Spicæ nardi,
Sang. draconis,
Thuris,
Mumiæ,
Opoponacis,
Bdellij,
Carpobalsami,
Ammoniaci,
Sarcocollæ,
Croci,
Mastiches,
Gummi arab.
Styracis liquidæ ana vnc. ij.
Ladani electi,
Castorij ana vnc. ij. & semis.
Moschi drach. j. & semis.
Terebinthinæ ad pondus omnium.
Contundantur contundenda, & omnia simul misceantur, & elambicentur secundùm artem.

Neruorum vitijs frigidis, vt paralysi, & alijs spinæ illitum confert; ante accessiones febrium rigores mirè subleuat. Cordis tremorem, palpitationem, & syncopem sanat. Vteri præfocationes iuuat; Comitialibus confert. Tristes, melancholicos, animum despondentes reficit. Tenuium est partium calefacit, exiccat, tergit, ac glutinat; quæ omnia à vulnerarijs Medicis in sanandis vulneribus expetuntur.

Huiusmodi medicamentū Petrus Apponensis appellat medicamentum omnium medicamentorum in celeri cordis roboratione, & virium restitutione.

Notat hic Ioan. Renod. lib. 4. Antid. balsamum, seu balsamon Syris fuisse appellatum, in officinis vocabulo generali lignum, succum, & fructum cuiusdam arbusculæ peregrinæ: specialiùs verò eiusdem tantùm succum opobalsamū à Græcis nominatum ostendit, Chimici balsamum abusiuè vocant suas tincturas, olea, liquores, quintas essentias, & extracta; Medici verò aliqui quosdam liquores crassiusculos, rubentes multa arte, mixturaque confectos, & eximijs viribus insignitos, balsamum licentiosè nimis appellant, quamuis non tam impropriè, cùm tamen magis propriè antibalsama vel balsamelæa rectiùs debeant appellari.

Addit, quod nominis id assumunt ob terebinthinę, quę velut omnium basis est, resinarum, & aromatum mixturam, quæ

corpus colorem, odorem, & vires tribuunt. Omnia balsama naturali analogia fiunt per destillationem, vt plurimum inclinatoriam in retorta, per quam liquor aqueus primùm extollitur, deinde ad latus per incuruatum retortæ collum in excipulum delabitur, qui secundus emanat oleosus, qui tertius mellis instar crassus est. Nonnunquam etiam balsama quædam parantur citra destillationem, inclusis nempe idonea ampulla simplicibus medicamentis, & mensem integrum, aut alterum in equi fimo, quem ventrem dicũt, aut alio loco idoneo maceratis, dilutis, & putrefactis, sic ex ea aqua, quæ ex folliculis vlmi colligitur abiectis, qui intus reconduntur, vermiculis, terebinthina, oleo hyperici, & pauco gummi elemi phialæ inclusis, diutissimè concorporatis, & insolatu, vel alius caloris auxilio fotis. Balsamum quoddam habetur ad multa commendatissimum, efficacissimumq; nã vlceribus, quantumuis, dispuloticis, & malignis mirificè prodest, & quæ nullam cacoetiam, vt & vulnera citissimè persanat.

Occasione igitur huius balsami descripti ab Antidotario Bononiensi ex Petro Apponensi sex alia balsama addam à Renodæo descripta. Quamuis in Antidotario Bononiensi styracis liquidę, & aliorum simpliciũ dosis ad vnc. scribatur, Renodæus verò ad drachmas, castorium, & ladanum ana drach. ij. & semis, Antidotario verò Bononiensi sit ad vnc. duas, & semis, moschus ad drachmam vnam, & semis, longè validius est istud Boniẽsium, quàm Renodęi: sed quomodocumque id sit, dicimus hoc esse primum balsamum, quod Mesuei adscribi potiùs debet.

Secundum Balsamum Hollerij.

℞. Thuris albi.
Mastich. ana vnc. ij.
Ligni aloes vnc. j.
Caryophyllorum,
Galangę,
Cinnamomi,
Zedoarię,
Nucis moschatę,
Cubebarum ana drach. vj.
Myrrhę,
Aloes,
Ladani,
Sarcocollę,
Castorij ana vnc. semis.
Baccarum lauri,
Nucleorum pini ana drach. vj.
Yreos,
Aristolochię rotundę,
Dictamni,
Consolidæ maioris ana vnc. j.
Resinæ elemi,
Opoponacis,
Benioini ana vnc. ij
Succi chamæpyteos, &
Herbæ paralysis ana vnc. ij.
Therebinthinæ ad pondus omnium.

Omnia concorporabis, & destillabis in alembico, extillabit primùm aqua; deinde velut oleosum quid, postremò quasi mel.

Commendatur hoc balsamum ab illius Authore Hollerio ad neruorum debilitatem, stuporem, & resolutionem. Valet quoque ad omnem intemperiem frigidam, & natiuum calorem excitandum.

Tertium Balsamum.

℞. Terebinthinæ Venetæ, &
Abietinæ ana vnc. iij.
Resinæ elemi,
Thuris albi ana vnc. ij.
Aloes hepaticæ,
Myrrhæ,
Mastiches,
Benioini,
Boli armeniæ,
Sang. draconis ana vnc. semis.
Aquæ vitæ vnc. iiij.

Ex his confusè mixtis, & simul retorta inclusis balsamum extilletur.

Nulli medicamento cedit hoc balsamum ad vulnera implẽda carne, & agglutinanda. Neruos quoque roborat, calorem partis insitum fouet, cicatricem minimè nodosam facit, & intemperiem emendat.

Balsamum Quartum D. Falloppij.

℞. Terebinthinæ claræ lib. ij.

Olei

Olei lini libr. j.
Resinæ pini vnc. vj.
Thuris,
Myrrhæ,
Aloes,
Mastiches,
Sarcocollę
Macis ana vnc. iij.
Croci,
Ligni aloes ana vnc. ij.

Ponantur omnia in retorta, & moderato calore, primùm educes aquam claram, deinde illo aucto, habebis oleum rubicundum. Vtrumque seorsim seruabis, & optima medicamenta vulneraria habebis.

Balsamum Quintum
Medicorum Florentinorum.

℞. Terebinthinæ libr. j.
Olei veteris vnc. vj.
Olei lauri vnc. iiij.
Cinnamomi,
Spicæ nardi ana vnc. ij.
Tegulatum benè coctarum, & recentium vnc. viij.

Tritis terendis per alembicum distilla.

Vrinam mouet, calculos atterit, lumbricos enecat, aurium sibilo, paralysi, spasmo, arthritidi, & omnibus iuncturarum doloribus prodest, vel potum, vel inunctum: sed pauca eius portio aquæ affectioni accmomodatæ mixta bibatur.

Balsamum Sextum
D. Euonymi.

℞. Terebinthinæ vnc. semis.
Olibani vnc. vj.
Aloes socoterinæ,
Mastiches,
Galangæ,
Cinnamomi,
Croci,
Nucis moschatæ,
Caryophyllorum,
Cubebarum ana vnc. j.
Gummi hederæ vnc. ij.
Puluerizentur, & misceantur cum terebinthina: exponantur alembico vitreo, addanturque.
Camphoræ,
Ambræ griseæ ana drach. ij.

Destillentur lento igne: prima aqua alba est, & clara, & vinum balsami: secunda flaua, & vocatur oleum: tertia crocea, & est balsamum certissimum.

Ob virium prestantiam, ad multos vsus commendatur hoc balsamum: vulneribus enim presentissimum est collectiuum, cauis vlceribus sarcoticum, singulis tutum epuloticum: paralysi, & neruorum imbecillitati securum auxilium.

Balsamum Septimum, & Vulgare.

℞. Terebinthinę Venetę libr. j.
Resinę elemi vnc. v.
Resinę communis vnc. iij.
Liquefiant simul: deinde addito
Pulueris aristolochię longę vnc. ij.
Sanguinis draconis drach. iij.

Nulli secundum est hoc balsamum vlceribus, & antiquis, & recentibus ad sanitatem perducendis. Maximè verò capitis ęgritudinibus externis prodest. Paratu facillimum est.

Balsamum Octauum, & Mirabile.

℞. Foliorum, & florum, vel granorum androsæmi.
Foliorum, & florum, vel summitatum hyperici.
Summitatum votryos vtriusque.
Foliorum hederæ terrestris ana manip. j.
Saluiæ vtriusque,
Chamæpyteos ana manip. semis.

In vase fictili macerentur per duos dies in
Vini albi, & generosi libr. ij. adde
Olei veteris libr. ij. & semis.

Bulliant lento igne ad vini dinem, in colatura permisce.
Terebinthinæ libr. j.
Mannæ thuris vnc. iiij.
Myrrhæ vnc. iij.
Mastiches,
Sanguinis draconis ana vnc. ij.
Styracis calamitæ vnc. j.

Feruefiant parùm, ac lento igne; deinde reponantur dies septem in sole, & ser-

uentur in vase fictili, aut vitreo ad vsum.

Non immeritò hoc balsamum mirabile vocaui; multi enim affectus, qui aliorum præsidiorum vim neglexerunt, ipsius auxilio quasi miraculo fuerint sanati, Vulnera quæuis, vt & vlcera non inueterata citò percurat; antiquata etiam dysepulotica sanat, neruorum debilitati, tremori, & paralysi efficacissime prodest, capitis omnibus morbis externis præsertim, frigidis confert, calorem natiuum reficit; dolores frigidos aufert, & partes roborat hæc de balsamis arte f. ctis.

Oleum de Euphorbio compositũ Mesua, & Auicennæ v. Canone.

℞. Staphidis agriæ,
Struthij, siue condisi ana vnc. semis.
Pyrethri drach. vj.
Succi calaminthæ montanæ vnc. j. & sem.
Costi drach. x.
Castorei drach. v.
Trita, triduoque in vini odoriferi libr. iij. & semis.
Macerata coquantur ad dimidias, deinde fricentur multùm, diuque manibus, & cola cum olei che yrini libr. j. & semis; percoque ad vini consumptionem, & insperge euphorbij vnc. semis. Et fiat oleum.

Plurimùm valet in affectibus frigidis cerebri, iuncturarum, neruorum, hepatis, & lienis.

Galenus ex solo euphorbio, & oleo parat, vel augens, vel minuens euphorbiũ iuxta maiorem, minoremue indigentiam libro secundo de compositione medicamentorum localium.

Auicennas quinto canone eandem affert olei compositionem, nisi quod addit castũ, castoreum, calamenthũ, pyrethrũ.

Syluius notat idem præstare, ac oleum de piperibus, sed calidius, & magis exiccans esse: verùm quamuis prosit prædictis affectibus, cauendum tamen est, ne à principio adhibeatur.

Oleum Nardinum compositum ex Mesue, & est secunda descriptio.

℞. Spicæ nardi vnc. iij.
Sampsuci, idest maioranæ vnc. iij.
Xiloaloes,
Enulæ,
Folij indi,
Calami aromatici,
Foliorum lauri,
Cyperi,
Schœnanthos,
Cardamomi ana vnc. j. & semis.
Postquam contrita fuerint in vino, & aqua sufficienti, & olei sesamini, vel dulcis libr. vj. mergantur: coquantur vase duplici igni lento horis sex, singulis horis mouendo, & potiùs est vnguentum, quàm oleum.

Idem operatur, quod nardinum simplex, sed efficaciùs.

Oleum Nucis Moschatæ.

Fit per expressionem.

Confert frigidis, & humidis ventriculi affectibus.

Manardus, & Syluius scribunt valere conceptui; Garsias ab Horto multa dicit circa huiusmodi oleum, cui contradicit Costæus super hunc Mesuæ locum.

Oleum Sulphuris.

Licet multis modis confici possit, hoc modo simpliciter paratur.

℞. Sulphur igneum non expertum, vre sub campana vitrea, aut silicea in medio vasis plano constitutum, quandoquidem inter vrendum vaporem crassum, atque concretum in vas planum destillat.

Est caustieum, valet ad cancrum, fistulam, vulnera antiqua, vlcera nasi, gulæ, oris, & vbicunque necessarium sit corrodere, & mortificare.

Valet potissimùm in vlceribus fauciũ, palati, linguæ, & gingiuarum, quæ si valde sordida sint, oleum sulphuris applicatur cum modico gossypij, atqui vbi moderatè fuerint sordida, temperatur cum modico aquæ rosaceæ; nam tunc modicè abstergit, & absque aliquo dolore.

Intus assumptum cum alijs medicamentis, affectibus thoracis à materia crassa, vt asthmati, & orthopneæ guttatim acceptum prodest, ex doctissimorum virorum opinione.

Oleum ex Frumento Mesuæ.

℞. Frumentum inter duas laminas ferreas ignitas prematur, hoc oleum demandat, vel triticum excorticatum vase sublimationis destilletur, sicut oleum philosophorum.

Impetigines, & cutis asperitates curat.

Huiusmodi oleum in paucissimis locis est in vsu: frumenti nomine absolutè intelligitur triticum, licet, vt inquit Costeus frumentaceum genus, & hordeum, & zeum, & alias eiusmodi comprehendat fruges, ex quibus omnibus in eundem vsum parari potest oleum. Iam verò cùm Mesues duplicem modum conficiẽdi hoc oleum scribat, prior est per expressionem, posterior per resolutionem, & ascensum: potest etiam per descensum fieri. Manardus scribit se ipsum parasse per descensum.

Oleum Sinapinum.

Fit vt oleum de frumento.

Salubre affectibus frigidis, lethargo, obliuioni, dolori, quem frigida intemperies parit.

Sinapi duę sunt species alba, & nigra, nigra est magis in vsu.

Syluius scribit id oleum esse in vsu, sed factum vt oleum amygdalarum: fit etiam per simplicem expressionem temperatius, per ignitas verò laminas, si expresseris, acerrimum est, & ignis instar bullas in cute excitat.

Oleum Balsaminæ, siue Momordicæ, siue de Caranzis.

Fructus, exempto semine, diu in oleo omphacino insolentur, aut macerentur eodem oleo in balneo calentis aquæ, aut equino fimo itidem calente.

Valet ad podagram, & totius corporis dolores, & mammillarum, si loca dolorosa vngantur, & ad conceptionem, si vterus eo vngatur, & herba in puluerem redacta bibatur. Postea cum muliere coeas, & ad hæmorrhoidarum dolores præcipuum est.

Balsamina Matthiolo authore libro quarto in Dioscoridem capite 177. alijs viticella, alijs momordica, alijs caranza dicta fuit, de qua nihil à veteribus memoriæ proditum est: nusquam nisi sata in Italia prouenit, pluribus autem in locis inibi plantatur, & nascitur, de qua fit oleum prædictum: præter has facultates quæ hic adducuntur, est singulare remedium pro pueris herniam patientibus, si sæpè locus inungatur.

Oleum de Cucumere Asinino, seu Sycionium.

℞. Olei sesamini, vel olei dulcis.
Succi cucumeris agrestis maturi ana par. æqual.

Coquatur duplici vase ad succi consumptionem.

Epilepsiam, hemicraniam, & alios cerebri affectus frigidos, naribus immissum leuat, & strumas, & surditatem, pannum, & cicatrices nigras delet.

Notat hic Costæus, quòd siue ex succo fructuum, siue ex radice cucumeris asinini oleum parauerimus, ex libro simplicium Mesuæ discemus conferre ad hydropem, & ischiadem, & eo inuncto vmbilico facere ad lumbricos, ventremque soluere, sed si quis semina ipsius exprimat oleum habebit ad eadem.

Oleum ex Persicis.

Fiat vt oleum amygd dulc.

Obstructa aperit, aurium, & sedis ab hæmorrhoidibus dolores, ac tumores sanat, lumbricos necat.

Valet hemicraniæ, & apostematibus aurium; valet etiam siue potum, siue inunctum in renum affectibus, vermesque interficit, & educit.

Oleum Cerasorum.

Fit ex nucleis, vt superius.

Articularibus morbis confert, tergit, & expurgat, calculum è renibus, & vesica expellit, pannos faciei, lentigines, & cetera cutis fœda vitia delet.

Mirabile dicitur in renum doloribus, & calculo. Syluius notat id oleum habere vires aliorum ex nucleis, aut seminibus amaris

amaris expressorum, qualia sunt persicorum, amygdalarum amararum, & chrysomelorum.

Oleum Auellanarum Mesuæ.

Fit eodem modo.

Dolores neruorum, & articulorum sedat, contra venena, & morsus serpentum valet.

Nux auellana Pontica, & Prænestina quoque à locis, vbi luxuriat est dicta. Manardus, & Syluius notant huiusmodi oleum valere in articularibus morbis, quod tamen Costæus probare minimè videtur; nam inquit Auicennæ sententiam esse bilem gignere, & necesse esse ex potu ipsius generari copiam bilis cum insigni neruorum, & articulorum imbecillium detrimento, quare videtur dicendum huiusmodi oleum, potum non conuenire morbis articularibus, sed extra illitum. Addit Rhasis in suo Antidotario hoc oleum cōtra venena, & morsus serpentis valere.

Oleum Enulatum.

℞. Radices enulæ tusas,
Succi aliarum enulæ radicum,
Olei sesamini, vel dulcis ana partes æquales.
Vini odoriferi partem mediam.
Coque, vt mellinum. Valentius fiet, si
Foliorum lauri,
Cardamomi,
Nardi,
Calami aromat.
Mastiches ana vj. partem addideris.

Calefacit, tenuat, digerit, ob id affectibus neruorum, vesicæ, vteri frigidis prodest, ac febrium rigori, ac colo à flatibus dolenti.

Hoc oleum de enula campana non est in vsu, valet tamen ad remouendam malam complexionem frigidam à quibuscunque membris, & ad confortandum musculos. Enulæ folia ex vino decocta coxendici morbo conferre scribit Dioscorides, & Galenus ait radicem huius plantæ reliquis partibus potentiorem esse, quare hoc oleum ex radicibus factum in huiusmodi affectibus sperare licet pro-ficuum valde esse.

Oleum ex Sabina.

Fit eodem modo.

Idem pollet, quod enulatum, dolores à morbo gallico mirè sedat, cutisque maculas corrigit.

Notat hic Costæus, quòd quamuis oleum ex sabina easdem facultates habeat, quas oleum elenij, attamen istud non conficitur ex radicibus, vt illud, sed ex ramis, licet eodem modo, vt illud, scilicet non sine crebra maceratione, coctione, aut insolatione fiat.

Oleum ex Pulegio.

Fit eodem modo, & menstrua pellit.

Succus ex caule pulegij, quo tempore maximè viget extrahendus: eiusdem flores, & aridus caulis hic sumendus, & vterque in benè maturo oleo macerandus, coquendus, immutandus, vt in oleo cotoneorum docebat Mesues.

Oleum ex Chrysomelis, siue ex malis Armeniacis Mesuæ.

Fit ex nucleis eodem modo.

Aurium, ani, hæmorrhoidum dolorem sedat, tumores prædictarum partium, & vulnerum digerit, linguæ impedimentum corrigit.

Scribit Mesues oleum ex chrysomelis aurium, & hæmorrhoidarum dolorem sedare. Chrysomela dicuntur ab aureo colore, quo prædita sunt, & armeniaca à loco, & præcocia à celeri maturitate. Huiusmodi fructus Panormi generantur cæteris locis maiores, admodum prestantes, & dulces: oleum ab ipsis non potest extrahi, nisi à nucleis, qui non omnes sunt amari, sed aliqui dulces etiam reperiuntur, proinde si oleum extrahatur ab amaris nucleis, non poterit auferre dolorem aurium, vel hæmorrhoidarum, imò potiùs augebit. Nec possum assentiri ijs, qui dicunt huiusmodi oleum, idem quod oleum amygdalarum amararum præstare, nisi velimus nos dicere oleum ex chrysomelis aliud esse, quod extrahitur à nucleis

oleis amaris, & aliud, quod extrahitur à dulcibus, primo modo non potest sedare dolorem, neque valet vt oleum amygdalarum amararum, cùm vt scribit Syluius, sit magis mordax, & magis aperiens, potentiusque resoluat, quàm oleum amygdalarum amararum.

Oleum verò ex nucleis dulcibus anodinum est, habetque facultatem emolliendi, & dolorem, sedandi, & de hoc fortè loquitur Mesues, quia nihil, quod acre sit, calidum, & mordax, potest auferre dolorem.

Oleum de Mezereo, idest Chamelaeæ Mesuæ.

℞. Foliorum chamelææ vnc. iiij.
Aquæ libr. j.
Vigintiquatuor horis macerentur, post coquantur in olei sesamini, siue dulcis vnc. viij.
Lactis recentis lib. semis ad aquæ, & lactis consumptionem.
Colatur, & reconditur.

Hydropem iuuat, ac vlcera maligna, & cutem emaculat.

Habet hoc oleum docente Manardo magnam vim, præter ea quæ à Mesue dicuntur, in aluo lenienda, si vmbilicus leniatur.

Oleum de Styrace.

℞. Styracis calamitæ vnc. iij.
Olei sesamini lib. j.
Coque, vt mastichinum, colatum repone.

Calefacit, ob id confert dolentibus à frigore, renibus, vesicæ, vtero, neruis, musculis, tendinibus, & iuncturis.

Notat hic Syluius Auicennam quinto canone, & Serapionem in Antidotario admonere. Ad scabiem esse efficax, præsertim addita parte octaua ellebori albi.

Costæus scribit per annos multos styracem copiosos fructus tulisse, ex quorũ nucleis oleũ expressit, & addit ad tumidũ lienem non frustra vsurpasse. Hoc oleum per impressionem conficitur, coquẽdumque in duplici vase, addito etiam, si velis, vino ad præscriptionem superioris olei; tum enim id maiorem olei tenuitatem parabit, tum efficiet, ne coquendo exuratur.

Oleum ex Croco Mesuæ.

℞. Croci vnc. j.
Myrrhæ electæ vnc. semis.
Diebus quinque aceto macera, die sexto inclusa.
Cardamomi drach. viiij.
Simul infunde, septimo cum
Olei libr. j. & semis.
Coque lento igne ad aceti consumptionem.
Loco aceti, sunt, qui vinum supponunt.

Neruos, & vterum roborat, amborumque dolorem sedat, durities dissipat, coloris gratiam efficit.

Dioscorides Syluio docente aliter præparat hoc oleum ad somnum conciliandum, quod etiam phræniticis, si odoretur, aut naribus infricetur, & vteri clausuræ succurrit, vlcera purgat etiam maligna.

Paulus etiam aliud pretiosius, & præstantius præscribit.

Oleum Nucis Indicæ.

Fiat per expressionem.

Dolori neruorum confert, thoracem, & pulmonem lenit, & inde claram reddit vocem, impinguat, & sperma auget.

Huius olei non meminerunt Græci: Arabes, vt Rhasis, Auicenna, & Serapion meminerunt, Garsias ab Horto scriptum reliquit ex Indica nuce tum recenti, tum arida premi, ex arida in magna copia, & limpidissimum ad lucernas, ciboſque cõdiendos vtile, imò & ad neruorum, contractionem, doloresque antiquos articulorum.

Recenter verò contusæ aquam fundunt, & post expressionem eo collecto, quod aquæ supernatat, oleum habetur vtile ad ventrem prauis succis expurgandum.

Oleum ex Cinnamomo.

Mesue scribit oleum ex cinnamomo, & sabina, & pulegio, idem pollere, atque

enu

enulatum, & eodem modo fieri ſcribit Manardus: qui à Dioſcoride elegãtem fieri olei de cinnamomo præparationem, & ait fieri poſſe ex noſtro cinnamomo.

Oleoſum ſuccum duorũ generum fundere cinnamomum Author eſt Garſias, alterum ex radice, caphuræ odoris æmulum, alterum ex eiuſdem baccis ſepoſa ſubſtantia gallico ſaponi ſimile, abſque odore, niſi calefiat.

At Stecchinus docet duplicem modũ parãdi oleum de cinnamomo, primò vult, vt accipiatur vrinale fictili intus vitriato, intuſque apponatur aqua communis deſtillata vſque ad medietatem, inde accipiatur tanta cinnamomi quantitas, quanta ſatis videbitur, deinde vaſe optimè lutato ponatur in furno abſque cineribus ſubtus, ad hoc vt benè ferueat, & ſic ſimul cum aqua, quæ per ſuperiora exit, reperitur oleum album, lactis in modum, eſtque dulce, odoratiſsimum, & acutum; alter modus eſt, vt recipiatur

Cinnamomi electi,
Sacchari candi ana libr. j.

Contundantur ſubtiliſsimè, & in media ſtorta ponantur, affundendo ſupra aquæ roſaceæ libr. ſemis.

Infundanturque per totam noctem, & poſita ſtorta ſuper cineribus ſummo mane lento igne exibit oleum, primum erit album, ſecundum eſt pars tenuior ſacchari mixta cum aqua roſæ, coloris flaui, ſaporis ſtyptici, tertium ſũt partes igneę ipſius ſacchari, & cinnamomi, rubeum, acutum, retinetque odorem cinnamomi, ſed exiguè admodum.

Oleum cinnamomi valet pro cordis robore, cerebri, & ſtomachi, inducit optimum odorem in ore, & aufert dolorem ſtomachi à cauſa frigida ortum. Scio nobiles aliquos ex cinnamomo extrahere oleum verum, & vt notat Renodæus ex libra vna cinnamomi vix drachma olei deſtillatur, ſed ob eius præſtantiam balſamo naturali comparatur.

Oleum Seminis Lini.

Paratur vt ſeſaminum, præterquam quod non oportet, vt excorientur ſemina lini.

Spaſmo, duritiei neruorum, & iuncturarum, hæmorrhoidibus, ſedis phlegmonis, & rimis confert, ac dolori pulſatorio. Hodie etiam colicis, & vterinis præbetur, pleuriticis, vel linctum, vel potum ſuccurrit.

Quidam hoc oleo pro balneo vſi ſunt in conuulſionibus; alij per os conceſſerunt ad vncias ſex in pleuritico morbo, & felici euentu, fit ex ſemine lini minimè excorticati, valet etiam ad alios vſus præter quàm in medicina.

Oleum Coſtinum.

℞. Coſti vnc. ij.
Caſsiæ aromat. vnc. j.
Summitatum maioranæ vnc. viij.
Trita vino odorifero ſufficienti biduo macera, deinde cum libr. tribus olei ſeſamini in duplici vaſe ad vini conſumptionem coquantur.

Neruos, & lacertos calefacit, obſtructiones aperit, quæ in eiſdem ſunt, & omnia neruoſa membra roborat, ſtomacho confert, ac iecori, & capillos robuſtos reddit, vt tenaciùs inhæreant, canitiem prohibet, corporis colorem, & odorem bonum reddit, magnos rigores, & frigus in febrium initijs extinguit, collum, dorſumque, & extremas partes eo calido inungendo.

Huiuſmodi oleum à pauciſsimis deſcribitur, & vt notat Manardus vera coſti radice caremus; ſunt, qui ſcribant huic radici poſſe ſubſtitui zedoariam. Oleum iſtud proportione reſpondet oleo amygdalarum amararum, & de caryophyllis quare nihil dicendum eſt de huiuſmodi oleo, nec Pharmacopœi ipſum affectent, ſi habeant prædicta olea.

Oleum de Serpentibus.

℞. ex ſerpentibus nigris circiter libr. ij.
Et ſint ſerpentes nigri, integri, & funde ſuper eos olei ſeſami kiſt. 1. ideſt libras tres, & pone in vaſe vitreo ſtricti orificij, & ſigilla orificium vaſis, & decoque lento igne, vſque dum diſſoluantur ſerpentes, & cum coctum fuerit, dimittatur infrigidari, & recondatur in vaſe vitreo.

Administretur liniendo cum penna.

Cutem expurgat, impetigines sanat, & stomachi resolutionem, ex Auic. v. canone curat.

Istud oleum de serpentibus describitur à Serapione in proprio Antidotario: per serpentes intelligere oportet, & eligere viperas, vt in theriaca, abscissis capite, & cauda, quamuis Galenus libro de Antidotis admonente Costæo scriptum reliquit historiam quandam elephãtici sanati vino, in quod integra vipera irrepserat, quamuis tutiùs agatur in theriaca conficienda ex antiquorum consilio, nec non & in hoc oleo conficiendo, si capita, & caudas abscindamus.

Oleum Alchachil, idest ex floribus Rosmarini.

℞. Florum alchachil, idest rosmarini dr. x. Proijciantur in lib. vna, & semis olei oliuæ, aut sesamini, quod dimittatur in sole, donec accipiat virtutem rosmarini. Postea coletur, & administretur.

Calefacit, corroborat, discutit flatum in partibus neruosis.

Oleum de Staphide Agria.

℞. Staphidis agriæ vnc. j. & semis. Coquatur in succo rutæ, vel fœniculi, deinde apponatur oleum laurinum, vel nardinum ad pondus lib. vnius.

Coquatur ad consumptionem quartæ partis, & coletur.

Tinnitui aurium succurrit, flatus omnes dissipat.

Oleum Muscellinum.

Colligitur ex folliculis vlmi, & insolatur.

Cuti nitorem inducit, faciemque gratiorem præstat, & puerorum enterocelis medetur.

Oleum Guaiaci.

℞. Ligni guaiaci quantum sufficit, incide in frusta, & imple ollam magnam vitreatam intus, cuius orificium sit arctum: & fac foueam in terra, & præpara parietes eius cum terra figuli: deinde pone ollam vitreatam in fundo, è directo foueæ, habentem orificium magnum, & cooperiatur lamina ferrea subtiliter perforata: deinde præpara ista duo vasa cum terra figuli, ne ex vtriusque orificijs respiret: deinde cooperi terra, & adde ignem per tres horas, vel amplius. Demum resudabit oleum ex ligno guaiaco.

Ad vlcera, & dolores ex morbo gallico ortos valet.

Huiusmodi oleum guaiacinum luis Venereæ verum est alexiterium: eius enim aliquot guttæ singulis matutinis ieiuno stomacho sumptæ cum aqua, vel decocto idoneo pustulas venereas delent, dolores noctu ingrauescentes sedant, vlcera ad sanitatem accelerant, qualitatem huius affectionis malignam extinguunt.

Oleum Vitrioli.

℞. Vitrioli Romani libr. xij. Vase vitreo, luto obducto induntur, & ex igne phlegma exstillatur: deinde illud eximitur, contunditurque, & phlegmate rursus perfunditur, idemque euocatur vt antea, vsque dum nihil ampliùs emanet, & spiritus prosiliant, postea ab igne remouetur, & calx rubicunda in puluerem redacta, vel per se sola, vel laterum frustulis adiectis, ampullæ erectæ imponitur, & vase amplo, quod excipit, adaptato, commissurisque diligentissimè luto obseratis, noctu diuque luculentissimo igne vrgendo, oleum destillat. Vbi omnia refrixerint, totus liquor eximitur, infunditurque ampullæ vitreæ, & ex arena calida, primùm aqua insipida, deinde acida, acrisque, quam oleum appellant, separatur, purgaturque à sedimento. Hoc si sepiùs phlegmate perfusum destilletur dulce redditur.

Valet ad apoplexiam, paralysim, epilepsiam, febres ardentes, pestilentesque, item ad sitim, stomachum bile æstuantem, morbos vterinos, ex humore idoneo guttarum instar assumptum: quin etiam medicamentis tum purgantibus, tum corroborantibus, alterantibusque, vel illorum actionem promouendi, vel saporis commendandi gratia rectè admiscetur,

suppressam vrinam potenter aperit, & renum calculos expellit.

De huiusmodi oleio vitrioli multa diximus in nostris Miscellaneis decade octaua ad clarissimum Vincentium Risico nunc Protomedicum Messanensem.

Oleum ex Succino, siue de Carabe.

℞. Succini in puluerem subtilem redacti vnc. iij.
Aluminis plumæ vnc. iiij.
Imponantur in retorta luto probè obducta, cui ignis leuis primùm admoueatur, deinde validior, quoad oleum destillet in recipiente magno, & luto cum retorta optimè commisso.

Neruorum resolutioni, attonito morbo, & comitali occurrit, si gutta vna ex aqua bettonicæ, vel lauendulæ, mane assumatur: ab omni veneno, & aere pestilenti præseruat. Singulare est remedium in renum, & vesicæ morbis discutiendis, calculisque educendis ex vino maluatico, vel aqua petroselini exhibitum. Colico morbo medetur. Præfocationi vteri prodest, naturalibus illitum. Fœtum euocat, partumque facilem reddit, si gutta eius ex aqua verbenæ parturienti propinetur.

Oleum ex Ammoniaco.

Paratur sicut oleum ex carabe.

Valet ad tophos podagricos discutiendos.

Oleum Anisi.

℞. Anisi lib. j.
Vini destillati lib. x.
Contundatur anisum crasso modo, & maceretur in vino destillato per horas viginti quatuor: deinde in vase vitreo lento igne primò, deinde fortiori destilletur per aquam frigidam; postremò oleum ab aqua separetur.

Ad vertiginem, pectoris angustiam ex capitis defluxu natam, præfocationem, vomitionem, cruditatem stomachi ex flatibus confert. Aquę inter cutem opitulatur, vteri fluorem album exiccat, oris, halitusque fætorem emendat.

Oleum Caryophyllorum.

Eodem modo paratur.

Stomacho refrigerato, & hepati confert, cor roborat, & caput: hinc vertigini, & visus imbecillitati confert, si tres, vel quatuor guttę à ieiunis in vino sumantur. Itemque eodem modo assumptum colicæ, & vteri passionibus prodest.

Hæc sunt omnia olea calida tam simplicia, quàm composita, quibus absolutis iam opus est, vt enumeremus ea, quæ habent facultatem refrigerandi, & attemperandi partes inflammatas, inter quæ primùm occurrit illud, quod oleum Mandragoræ Nicolai appellatur.

Oleum Mandragoræ Nicolai.

℞. Olei communis lib. ij.
Succi pomorum mandragoræ vnc. iiij.
hyoscyami albi vnc. ij.
papau. hortensis nigri vnc. iij.
violarum,
cicutæ tenerrimæ ana vnc. j.
Opij,
Styracis calamitæ ana vnc. semis.
Succi cum oleo decem diebus macerentur ad solem, deinde coquantur secundùm artem ad consumptionem succorum.

Inflammationem omnem extinguit, somnum conciliat, & quocumque modo vigilijs fatigatum obdormiscere facit.

Huius olei duæ habentur descriptiones, vna est Mesuę, altera Nicolai Prępositi. Hanc Io. Renodæus reprobat, quòd nimis sit stupefactiua, eò quòd non solùm recipit succum mandragoræ, sed etiam hyoscyami, papaueris, & cicutæ, simulque opium, proinde magis probat descriptionem Mesuei, quæ ad hunc modum fit.

Oleum Mandragoræ Mesuæ.

℞. Succi pomorum mandragoræ maturorum,

Olei

Olei sesamini, vel communis ana partes æquales.

Coquantur in duplici vase ad succi euaporationem, & deinde succi tantundem adhuc super infunde, & coque vt priùs, idem ter faciendum est, & vsui reponendum. Quare si vtramque compositionem consideremus, videbimus vtrãque habere facultatem refrigerandi, sed magis illa, quæ à Nicolao descripta est. Vtriusque compositionem apponere volui, vt vnusquisque possit hoc oleum componere pro varia Medici intentione.

Oleum, quod ex pomis mandragoræ, hoc est ex succo ipsorum pomorum, fit à Mesue dicitur oleum rabiosæ. Manardus scriptum reliquit non parari huiusmodi oleum, quia sua tempora pomis illis carebant, nostris verò temporibus mandragoræ fructus vulgatiores sunt; scribit enim Costæus in hortulo suo quotannis ex radice vna plures viginti fructus prouenisse. Potest hoc oleum loco olei sesamini reponi, vel oliuarum communis, si abluatur aqua frigida ad maiorem refrigerandi efficaciam.

Oleum Cydoniorum Mesuæ, quod Mellinum appellat.

Oleum cydoniorum in duplici versatur differentia, vnum est, quo vtimur ad inungendas partes externas corporis, vt est ventriculus, & aliæ. Aliud verò, quod ore assumitur. Primum est oleum cydoniorum Mesuæ, quod componitur ad hunc modum.

℞. Cydoniorum immaturorum non excorticatorum;
Succi cydoniorum ana partes æquales.

Incidito cotonea, & pone in vase vitreo, & affunde succum, ac etiam oleum omphacinum, vt excedat eius quantitas succi mensuram. Postea stringe vasis orificium, & ad solem omnia macera, aut in æstuario per dies quindecim. Deinde coque in duplici vase, & abijce post hæc cotonea, & adde alia recentia, & rursũ macera, & coque; inde etiam tertiò recentia cotonea impone, & prædicto modo omnia perage, tum repone diligenter vas obstructum, ne expiret; dicitur etiam à Mesue oleum mellinum.

Refrigerat, & adstringit, ideo ventriculi, & iecoris imbecillitatibus, ventrisq; fluxionibus accommodatum est, sudoremque immodicum sistit.

Admonet hoc in loco Pharmacopœa Augustana, vt rectè, ac diligenter huiusmodi oleum paretur.

Oleum Cotoneorum per os assumendum.

Hoc oleum describitur in Antidotario Bononiensi ad hunc modum.

℞. Olei ex oliuis maturis extracti, & cum aqua ononidis bis loti lib. ij.
Mala cotonea benè matura num. ij.

Hæc ab extima lanugine abstergantur, & cum corticibus suis, & seminibus tyrocnesti in minutissima segmenta diuidantur, quæ in oleo prædicto modicè calido per diem naturalem infundantur; hocque fiat tribus continuis diebus, noua poma, & segmenta apponendo, priore oleo priùs colato cum modica pomorum expressione: tertia die præterita adde succi cotoneorum, carnis eorundem in subtiles talleolos diuisæ ana vnc. duas, & lento igne in vase vitreato bulliant ad humiditatis consumptionem, deinde coletur, & in vase vitreo seruetur per annum.

Dosis ab vncijs duabus ad quatuor.

Doloribus nephriticis mirè prodest, calculos eijcit, & ab illis præcauet.

A nullo Authorum obseruatur huiusmodi oleum cydoniorum pro potu in affectibus renum, eo tamen sum vsus in arenulis, & lapidibus renum, & cum felici successu, ad vnc. sex ieiuno ventriculo.

Oleum Myrtinum.

Ceribrum cor ventriculum roborat coquendum, vt Mellinum.

Oleum Rosatum.

Huiusmodi oleum est in triplici differentia. Aliud quod dicitur rosaceum cõmune. Aliud rosatum completum Mesuę aliud est oleum Pauli Aeginetæ. Et tertium est rosaceum omphacinum.

Oleum Rosaceum Commune.

℞. Olei communis lib. iiij.
Rosarum rub. purgat. vnc. xvj.
Macera, & insola per octo dies, rosas exemptas benè exprime, atque alias impone, atq; ita tertiò fac. Cola, & serua. Nonnulli in tertia infusione rosas relinquunt.

Refrigerat, adstringit, inflãmationibus præsidio est, æstuantem ventriculum adstringit, erosiones intestinorum clysteribus inditum, & dolores dentium, si eo colluantur, tollit.

Oleum Rosatum Completum.

Huius olei duplex adhuc est differentia, aliud, enim à Mesue describitur, aliud à Paulo Aegineta. Primum componitur ad hunc modum.

℞. Olei ex oliuis maturis aqua fontana multoties loti quantum vis. Deinde immitte folia rosarum rubearum apertarũ repurgatarum, quantum sufficit in vitreum vas, obturetur vas, ac per dies septem insola, coque tribus horis in vase duplici: expressis folijs, & abiectis noua immitte.

Insola iterum, coque in balneo, & exprime, vt priùs. Tertiò noua immitte rosarum folia, quibus addes aquæ infusionis rosarum eo modo confectæ, quo in syrupo rosato dictum est, quartam partẽ, misce, insola dies quadraginta in vase vitreo obturato, post excola, exprime, & addito rosarũ succo, iterum diu insola.

Alij partem infusionis accipiunt, & succi rosarum partem alteram, & eo, quo supradictum est modo, conficiunt.

Roborat, resoluit, lenit, & dolores sedat.

Oleum Rosatum Pauli.

℞. Rosarum exemptis vnguibus vnc. iiij.
Olei omphacini vnc. vj.
Immitte in vas vitreum obturatum, ne expiret, dies quadraginta insolato.

Alij non insolant, sed puteo imponunt, proximũ aquæ suspẽsũ dies quadraginta.

Oleum Rosatum Omphacinum.

℞. Olei oliuarum immaturarum lib. j.
Rosarum rubearum purgatarum vnc. iiij.
Tritis rosis, & oleo impositis, fac vt dictum est, ter rosas permutando.

Extinguit inflammationes, roborat, cogit, densat, fluxiones sistit, & materierum per corpus fluxum cohibet, dysenterias potum insigniter iuuat.

Sunt, & aliæ tres descriptiones, quarum vna fit ex succi, & infusionis rosarum parte vna; olei verò loti tribus partibus, rosæ rubeæ, seu rosarum rubearum ad libitum, insolant, & iterum post eius colaturam nouas adijciunt rosas, deinde oleum cum succo, & infusione insolant, & seruant.

Secundam descriptionem faciunt ex amygdalis cõtusis, & rosis simul permixtis & deinde calentes prælo exprimere solẽt.

Tertiam descriptionem faciunt ex sesamo excorticato.

Oleum Violaceum.

Fit ex floribus violarum, & oleo omphacino, & vt rosaceum.

Refrigerat, inflammationum feruoribus vtile, pleuriticos iuuat, arteriæ asperæ, pulmonisque, & thoracis partes lenit.

Oleum Nenupharis Albi.

Fit ex floribus recentibus nenupharis, quæ producit albos flores, & oleo omphacino, quemadmodum violaceum.

Vires habet violacei, refrigerat tamen magis, quàm violaceum, & minùs quàm papauerinum.

Oleum Nenupharis Citrini.

Hoc oleum fit ex floribus nenupharis citrini, & oleo omphacino, vt violaceum.

Vires habet olei violacei.

Oleum Amygdalarum Dulcium.

Duplex est oleum, quod conficitur ex amygdalis. Vnũ ex amygdalis dulcibus. Aliud ex amaris. Ex dulcib⁹ fit hoc modo.

℞. Amygdalarum dulc. siccarum, non tamen rancidarum.

Contundantur minutissimè, postea in sarta-

sartagine aliquantulum torrefacias, affuso modico aq. rosaceę; postea prelo exprime.

Asperitatē gutturis, pulmonis, & cæterarum partium lenit. Duritiem, ac siccitatem emendat, ideo impinguat, & hecticis confert, semen auget, ardori vuluę, & vrinæ iniectum opitulatur.

Huiusmodi oleum est temperatæ qualitatis, humectandique facultatem habens, datur per os in affectibus thoracis, & pulmonum lambendo, & valet ad educendos calculos è renibus, si accipiatur recens, & ad vncias sex, aut septem, vt multoties experientia comprobatum est. At oleum ex amygdalis amaris calefacit, incidit, tenuat digerit, potenter tergit, contra durities vuluarum, strangulatus, & inflammationes est efficax, discutit ventositates, & potissimùm surditati opitulatur, vermes etiam contentos in intestinis enecat: fit hoc oleum eodem modo, quo illud ex amygdalis dulcibus.

Oleum Papaueris.

Fit ex semine vtriusque papaueris, eodem modo, quo ex amygdalis.

Impinguat, asperam arteriam lenit, febrium ardorem mitigat, & insomnia.

Oleum aliud de Papauere.

Ex folijs, floribus, & capitibus paratur, vt oleum violatum.

Dolorem ex intemperie calida procreatum sanat, somnumque conciliat: tutiùs si ex albo, efficaciùs si ex nigro fuerit paratum.

Oleum Hyoscyami.

Exprimitur hoc oleum ex semine hyoscyami eodem modo, quo ex papauere.

Idem præstat, atque oleum papaueris.

Oleum Chamæmelinum.

Fit ex floribus chamæmeli, idest chamomillæ, & oleo veteri claro, vt oleum rutaceum.

Genus omne neruosum roborat, fluxionesq; inhibet vi sua modicè adstringēte, moderatè resoluit, ob id dolores sedat.

Hoc loci non video, qua ratione moueantur isti, qui dicunt huiusmodi oleum sua vì adstringente modica moderatè resoluere, cùm Gal. libr. 3. & 6. de simp. med. facul. scribat chamæmelum tenue esse non secus, atque rosa: & quantum attinet ad calorem, magis appropinquat naturæ olei, & hac ratione maximè accōmodatū est leniēdis doloribus, & hoc frequēter vtimur in lassitudinibus tollendis.

Non satis admiror Renodæum, qui scribat oleum anethinum, & chamæmelinum similes habere vires, cùm anethum calefaciat in fine secundi gradus, aut ad principium tertij Gal. loc. præcit.

Sed cùm hoc oleum non sit tam frigidum, nec tam calidum, placuit illud ponere hoc in loco.

Oleum de Ranis Mesuæ.

℞. Capitum ranarum antiquarum libr. semis.
In vase vitreo bene obturato, cum
Olei sesamini lib. j.

Coquantur ad capitum dissolutionem.

Refrigerat, ob id podagram, & alias arthritidis species calidas mitigat, & incendium febrium ardentium frontibus, temporibusque illitum, quin etiam somnum conciliat.

Solent Chirurgi hoc oleo vti in doloribus à lue venerea.

Oleum Aparicis.

Reperio apud Authores duplicem huius olei descriptionem, vnam Alberti Stecchini, cuius supra mentionem habuimus, alteram Ioannis d'Ongoijs Galli. Prima descriptio huiusmodi est.

℞. Florum hyperici recentium vnc. viij.
Radicum valerianæ recentis,
Cardui sancti recentis ana vnc. iiij.
Tritici mundi lib. j.
Vini albi optimi lib. iij.
Olei antiqui libr. iij.
Terebinthinæ claræ lib. ij.
Thuris optimi puluerizati vnc. viij.

Accipiātur flores hyperici, radices valerianæ, carduus sanctus, & frumentum,

omnia

omnia probè contusa macerentur in vino per tres dies, postea adiungitur oleum, quod reponatur in vase vitreo angusti oris optimè obstructi in balneo feruenti per tres dies, deinde fiat expressio, reponanturque in eodem vase, & in eodem balneo vase detecto ad hoc, vt humiditas resoluatur, postea additur terebinthina, & thus puluerizatum, quæ omnia probè mixta sint, & adhuc relinquatur per spatium sex horarum in balneo, quo peracto reponatur absque aliqua colatura, & cõseruetur ad vsum. Et hæc est descriptio, & modus componendi huiusmodi olei Aparicis adductus à Stecchino.

Secunda descriptio Ioannis d'Ongoijs Galli hæc est, quæ sequitur.

℞. Vini albi generosi,
Olei veteris quantum inueniri potest ana lib. iij.
Florum, & foliorum hyperici lib. semis.
Cardui benedicti,
Valerianæ,
Saluiæ domestichæ ana vnc. iiij.
Terebinthinæ claræ Venetæ lib. semis.
Thuris optimi vnc. v.
Myrrhæ vnc. iij.
Sanguinis draconis vnc. j.

Titulus huius secundæ descriptionis, eiusmodi est.

Compositio Olei Hispani nuncupati Magistralis, inuenti ab Aparice.

Non est eadem hæc descriptio, cum superiori, vt apparet, cùm in illa apponatur hypericũ cum floribus ad vncias octo; in hac verò, & flores, & folia hyperici ad libram semis: deinde valerianæ radix in prima descriptione, in secunda non radix, sed flores, & folia ponuntur, quemadmodum, & cardui benedicti: præterea ponitur in prima descriptione triticũ ad libram vnam, quod in secũda minimè habetur, verùm loco huius ponitur saluia domestica ad vncias quatuor: postea in prima descriptione quantitas thuris est vnciarum octo, in secunda tantummodò sunt vnc. quinque: postremò adduntur in descriptione vltima myrrhæ vnciæ tres, & sanguinis draconis vncia vna, quæ in prima non habentur. Quare ex ingredientibus compositionem videntur admodum inter se diuersæ.

At etiam ex modo compositionis inter se differunt; nam in prima omnia miscentur in puro vino per tres dies, postea additur oleum, deinde in vase vitreo oris angusti ponunrur in balneo feruenti per tres dies; in secunda descriptione omnia igni lento exponuntur, quousque vinum totum sit consumptum semper baculo agitando, postea exprimuntur, & ponuntur in oleo iam expresso, cui additur terebinthina, quæ igni lento rursus ebullitur per spatium quadrantis horæ; & tunc additur thus, & myrrha cum sanguine draconis, & rursus ebullienda sũt omnia, quousque thus, & myrrha sint fusa, deinceps, vbi refrigeratum fuerit, reponitur in vase vitreo, & soli exponitur per dies decem, igitur, & ex componentibus, & ex modo componendi apparere facilè potest hæc duo olea esse inter se diuersa. Confirmari idem facilè potest ex ipsorũ vtriusque facultatibus; nam oleum Stecchini valet tantummodò, quamuis mirabiliter ad vulnera; at illi Aparicis decem, & mirabiles adscribuntur facultates.

Prima est, quòd omnibus vulneribus capitis confert.

Secunda omnibus plagis, seu vulneritus artuum tam superiorum, quàm inferiorum, nempè brachiorum, & crurum.

Tertia confert omnibus vulneribus penetrantibus, in quacunque parte fuerint.

Quarta ad sclopetorum vulnera valdè proficuum est medicamentum.

Quinta omnibus apostematibus, seu tumoribus præter naturam mirificè succurrit.

Sexta hæmorroidibus ita proficit, vt omnes sanet.

Septima omnibus morbis arthriticis vtilissimum est medicamentum.

Octaua cancros omnes curat.

Nona morbis renum valde opitulatur.

Vltima vulceribus, & plagis antiquatis maximè confert.

Differunt tandem quoad rectum vsum; vnaqueque enim species habet propriũ

vsum

vsum à cæteris omnibus distinctum; oleum verò primæ descriptionis administratur in omnibus eodem modo.

Ad hæc, qui vtuntur eodem oleo, & si dicant omnibus morbis conferre, ego tamen vidi multoties ipsum nihil proficere, imò verò vulnera à principio inflãmare; Gallus verò, qui describit secundo modo, refert se fuisse in Hispania, & in Vrbe Matriti, vbi Aparices hoc oleo medebatur tanto hominum concursu, vt omnes admirarentur tam excellens præsidium tot viribus præditum: famosumque adeo ijs erat temporibus, vt ipse Rex obtulerit pro secreto mille aureos, at Medicus noluit vendere arcanum, quod tamen post mortem authoris, mulier medicaminis conscia, pro quingentis aureis cõmunicauit. Ex his igitur apparet non esse vnum, & idem remedium, quod à Stecchino describitur cùm eo, quod descripsit Ioannes d'Ongoijs, qui hoc medicamentum à proprio Authore habuisse narrat, eiusque historiam descripsit idiomate Gallico libello Parisijs edito anno 1572.

Oleum Canis Rubei.

Inter alia olea, quæ multùm commendantur, & ab Chirurgis ad cælum vsque laudibus efferuntur, illud præcipuum est, quod ex cane rubeo fieri dicunt. Solet id componi in Ciuitate Catanensi, vbi ferunt vnum tantummodò Pharmacopœũ ipsum optimè componere, summoque pretio vendi: illucque pro eo emendo vndique ex Sicilia ferè vniuersa complures confluunt. A multis fui rogatus, vt in hoc Antidotario oleum istud describerem, quare vt amicis id à mè petentibus gratum facerem, hoc in loco germanam descriptionem apponere volui.

Recipiunt canem rubeum, hoc est ex pilo rubeo, qui pinguis sit, & benè carnosus, atque iuuenis, non excedens tertium annum, curant ipsum absque cibo manere per spatium trium dierum, deinde fune ceruici iniecta strangulant, & ita mortuum per quadrantem horæ relinquunt, & interim vas oleo plenum igni subijciunt, faciuntque illud ebullire, & dum est in maximo feruore, canem ita integrum intus ebullire permittunt, quousque fuerit perfectè coctus, vase semper occluso, deinde recipiunt octuaginta, aut centum scorpiones, quos primùm ponunt in vase amplo, & lato æneo, aut ex oricalcho supra ignem, quousque adurantur, aut saltem impensè calefiant, quo tempore ipsi in maximum furorem, & quasi in rabiem vertuntur, quos ita præparatos, in vas prædicto oleo plenum cum cane inijciunt, postea accipiunt lumbricorum terrestrium ad quantitatem manipuli vnius, & probè aqua abluunt, & detergunt. Adduntque hyperici, idest tota planta.

Althææ,
Ebuli ana manip. j.
Croci vnc. j.

Omnia simul ebulliunt, quousque tota caro canis ab ossibus separata sit, & probè cocta, & vbi omnia perfectè cocta fuerint, permittunt refrigerari, ossibusque proiectis comprimunt, & exprimunt herbas, & alia omnia ad hoc, vt expressio tota maneat in oleo, quæ ita parata diligenter per setaceum, vino albo ablutum percolant. Deinceps accipiunt vnguenti Agrippæ vncias septem, vel octo, medullæ fœmoris suis libram vnam, medullę crurum posteriorum asini libram vnam, aut vncias octo ad minus, omniaque simul mixta bulliunt, iterum igni addendo olei rosati libras tres, aut quatuor pro olei copia, vel canis magnitudine, & eo tempore, quo omnia simul feruent addunt.

Mastiches vnc. ij.
Gummi elemi vnc. ij.
Ceræ rubeæ vnc. viij.

Mastiche primùm, & gummi, vt decet puluerizatis, & per setaceũ subtiliter traiectis, deinde ebullire faciunt per spatium dimidiæ horæ, & vbi refrigeratum fuerit, in vas vitreum reponunt optimè tectum, & per aliquos dies soli exponunt, & istud est oleum ex cane rubeo tantopere celebratum, & pro arcano habitum ad omnes neruorum affectiones frigidas, nempè torporem, seu stuporẽ, paralysim, hoc est neruorum resolutionem, conuulsionem, omnesque tandem arthriticos morbos.

Hanc compositionem habui à Domino Pau-

no Paulo Sant'Agatha in curandis huiusmodi morbis, & alijs etiam, valde perito & exercitato, qui retulit patrem suum olim Medicum satis in Chirurgia versatum composuisse id genus olei, quod veluti è celo delapsum magna sedulitate obseruabat.

Oleum Felinum.

℞. Præpinguem catum, seu felem in culina saginatum, quem detracta pelle exenterato, & proiectis interaneis, capiteque truncato perpetuam noctem in aqua vitę mersum finito, mane totam cauitatem felis frondibus laurinis, saluia ruta, lauendula, rosmarino infarcito, in ipsius præterea carnem lardum defigito, insertis quoque affatim garyophyllis in lento igne torreto, quod distillauerit seruato.

Mirificè prodest inunctũ membris paralysi laborantibus, nec non, & doloribus à causa frigida obortis.

Petrus Forestus libro suarum obseruationum 10. obseru. 82.

Volui hæc tria olea aut parum, aut nihil vsitata in hoc loco describere, vt vnusquisque possit ea componere, & ad vsum humanum conseruare: nam à quibusdã pro singulari arcano seruantur, nec eorum compositionem detegere, neque alijs impertiri volunt, quod tamen puto esse aduersus Christianam charitatem; tenemur enim proximo nostro, quantum humanis permittitur, benignè opitulari. Et isthæc sunt olea, quæ solent in vsum venire, quomodocunque parentur, siue pressu, siue per infusionem, siue per destillationem, siue per ascensum, siue per descensum fiant, siue à plantis, siue animalibus integris, siue à partibus ipsorum fiant. Idq; adnotatione dignum, quòd olea frigida diutiùs conseruantur, quemadmodum est oleum rosatum, de papauere, de myrto, & de cydonijs, & consimilia, quæ durant per annum; calida verò, vt in primis oleum chamęmelinum, oleum keyrinum, liliorum alborum per annum, nec vltra. Calidiora verò his, vt est oleum de anetho, de spica, de iride, de croco, de piperibus, de castorio, & reliqua huius generis, per duos, & tres annos seruantur, donec rancida fiant, & oleum balsami, oleum de lateribus, oleum Matthioli, Carauitæ, quò vetustiora sunt, eò præstantiora: at temperata, vt est oleum amygdalarum dulcium, oleum sesaminum vix mensem attingere solent.

DE LINIMENTIS, & mucaginibus.

CAPVT XXVIII.

Absolutis oleis omnibus, quæ in communi vsu esse solent, nec non ijs, quorum vsus non est ita frequens, quę tamen addita fuerunt ad vberiorem medicamentorum materiam: succedunt vnguenta, verùm quia ex oleis, & vnguentis linimenta componi consueuerint à practicantibus, de his primùm aliquid dicere visum est, maximè quia mediam habent formam inter oleum, & vnguentum; licet liquidiora sint, quàm vnguenta, & crassiora oleis, vnde non rectè sentiunt illi, qui dicunt linimenta differre ab vnguentis, eò quòd non recipiãt ceram, cùm multa etiam reperiantur vnguenta, quæ ceram non admittunt, quale est ægyptiacum, & vnguentum citrinum Nicolai, & alia multa. Differt etiam linimentum à cerato, quia vel parum, vel nihil ceræ recipit, contra verò in ceratis. Vocatur id præsidium linimentum à leniendo partes affectas. Linimenti basis procul dubio est oleum; nam (vt scribit Renodæus) omnia ferè linimenta paregorica sunt, & dolorum sedatiua. Vt plurimùm

rimùm ex oleo simplici, vel amygdalino, vel violato, vel rosato, aut simili, quæ nullo excessu temperiem immutant, confici solent linimenta, quibus sæpissimè additur butyrum, seuum, mucilago, succus herbarum, lac, vinum, aqua vitæ, styrax liquida, & huiusmodi alia.

Sunt autem linimenta in triplici differentia; nam quædam constant ex olijs, quibus additur ad sui spissitudinem aliquid ceræ, aut pinguedinis: alia quibus cũ oleis admisceri solẽt succi, mucagines, vel alij liquores: tertia verò differẽtia est, quando prędictis pulueres adijciuntur.

Quod attinet ad quantitatem vel ceræ, vel olei, etiamsi non determinetur à scriptoribus, solent tamen practicantes pro vncia vna olei addere butyrum, adipem, cremorem ana, exempli gratia, drachmam j. & semis, vel drachmas duas, & si vultis habere copiam horum linimentorum, recurrite ad Ludouicum Bertaldum, apud quẽ reperiuntur multa cuiuscunque generis. Istud tamen ad hunc modum descriptum in medium affero pro exemplari.

℞. Olei simplicis vnc. j.
Ceræ drach. j.
Butyri, vel pinguedinis gallinæ drac. iij.
Mucaginum drach. ij.
Pulueris scrup. ij.
Misce pro linimento.

Possunt recõdi in vasis vitreis, aut saltẽ vitreatis, vel in vasis æneis, aut plũbeis.

Duratio est varia; nam factum ex oleo, cera, & pulueribus potest durare ad annum; cum resina verò durat diutiùs, cum pinguedinibus, & mucaginibus parum, & multò minùs, si apponatur lac. Verum quidem est, quòd si oleis succi percoquantur, talia linimenta per annum durare possunt: at linimenta hæc non solent seruari in officinis, sed vbi necessitas vrget, melius est, vt statim componantur. Hęc breuiter de linimẽtis, sed quia in illis habitus est sermo de mucaginibus, operæ pretium est, vt nõnulla de illis dicamus.

In primis mucagines sunt veluti muci quidam, qui extrahi consueuerunt à varijs rebus, vt ex glutinosis radicibus, atq; quibusdam seminibus, vt sunt semina lini, fœnugręci, maluæ, cydoniorum. Radices, vt sunt althęæ, & cortex psyllij, cuius & radices, vbi aqua tepida maceratæ fuerint, multa mucagine abundant: à ficubus multa mucago extrahi solet, ex gummi arabico, tragacantha, & vtiocola, idest glutine piscium vulgò dicta. Solet etiam extrahi multa copia mucaginis à bdellio, sagapeno, ammoniaco, & galbano, quibus conficitur emplastrum de mucilaginibus.

Mucago efficax est ad emolliendum, humectandum, & dolorem leniendum, solet pro quauis vncia aquæ, vel liquoris alterius addi radicum, vel seminum etiã vncia vna. Si quis tamen cuperet crassiorem reddere mucaginem, esset augenda seminum, aut radicum quantitas.

Et quia in hoc tractatu de mucaginibus solet fieri mentio cuiusdam lactis, quod virginale appellant, quod apud Renodæum, & Bertaldum legi, & est, vt inquit ille, inuentum à iuniorum sedulitate, qui non paruam apud vulgus gloriam captant, dum ex duobus succis vnicoloribus, & aquis simul mixtis, lacteam quãdam substantiam albam, viscidam, & lentam instar lactis oculis hominum subijciunt. Dicitur autem lac virginale partim à colore, quem habet lactis, partim à consistentia, & viribus, quibus pollet maximè ad vitia cutis dolenda, dum vergineum colorem faciei inducit. Multæ formę à prędictis Authoribus huius pręsidij describuntur, vnã affero loco exẽpli.

℞. Lithargyri subtiliter puluerizati vnc. iij.
Aceti ex vino albo optimi lib. semis.
Misceantur, agitentur, & sic tres horas relinquantur, deinde panno villoso ita filtrentur, vt liquor infusus, in excipulum subiectum guttatim stillet, tum aquæ sic filtratæ alia aqua, vel pluuialis, vel fontana, cui parum salis fuerit dissolutum commisceatur: ex vtriusque enim concursu lac virginale prodibit. Vide Renodæum *instit. pharm. lib. 5. cap. 12.*

Facultas ipsius est ad tollẽdũ faciei ruborẽ, herpeta, & aspritudines cutis auferre.

Relinquitur adhuc in hoc tractatu de linimentis aqua, quæ appellatur aluminosa, ita appellata quòd ab alumine prodit, quod est basis ipsius ad multa eximiæ virtutis. Habetur ex eodem Renodęo.

Eius confectionem multi succi ingrediuntur, quos recentes habere meliùs est, quàm asseruatos: vel ante, vel post æstatē paratur, sed ferè circa finem Augusti, aut initium Septembris; tunc enim agrestæ succus copiosus est, & acidissimus, quia immaturus, & proinde huic aquæ conficiendæ magis aptus, extrinsecè vtiliter adhibetur ad inflammationes, herpetas, & alias plerasque cutis infectiones cohibendas, detergendasque; admota quoque super lingua ob febres acutas nigricante, illius non modò scabritiem delet, sed calorem temperat, & ad colorem naturalem reducit: eius probatior descriptio hęc est.

℞. Succorum plantaginis,
portulacæ,
Agrestæ,
Aluminis rupei ana lib. j.
Albumina ouorum num. xij.
Agitentur omnia simul baculo, aut rudicula, & postea destillentur in alembico.

Sunt (inquit Renodæus) qui præstantiorem reddunt ad phtyriasin, & alias affectiones cutis, succos solani, & limonum commiscentes, vocantque aquam aluminosam magistralem.

DE VNGVENTIS,

CAPVT XXVIII.

APud antiquos vnguenta celeberrima erant vsu, & nomine, ita vt qui non solùm ea pararet, aut venderet, sed alia quęuis medicamenta huiusmodi, ab ijs tamen per antonomasiam vnguentarius diceretur. Appellabātq; vnguenta olea omnia aromatica, vel aromatibus permixta, & potissimùm à Galeno ea vnguentorum nomine signabantur, quæ ex odoramentis constabant, veluti sunt foliatum, spicatum, quamuis huiusmodi vnguenta ab Athenæo scriptum sit, non solùm ad inungenda tam viuorum, quàm mortuorum corpora vsurpasse, sed etiam cibis permiscuisse. Nostris verò temporibus angustiori acceptione vnguenta dicūtur illa medicamēta, quæ tātùm externis adhibita, & illita partibus auxilium ijs ferre putantur, vt quæ alia medicamenta non facilè ferant.

Vnguentorum consistentia parum differt à linimentis, & ceratis; nam linimentum auxilium est, quo partes liniendo iuuantur, vnguenta, quo inunguntur; ceratum verò, quod ex cera, & oleo componitur, quamuis ab antiquis Medicis hæc tria sæpiùs confundebantur, sed omissis antiquorū opinionibus, curabimus vnguēta describere vtà Modernis describuntur, & præsertim ab Antidotario Bononiensi.

Ad vnguentorum autem cōfectionem ea seruatur olei proportio, vt pro quauis olei vncia pulueris vna drachma, & duæ drachmæ ceræ commisceantur, & vt dicebat Gal. lib. 4. de comp. med. per genera c. 2. vbi scribit ceræ quadruplū olei esse adijciendum, pulũerum verò octoplū.

Est tamen animaduertendum calorem, vnguentorum consistentiā reddere molliorē, frigus verò è contra spissiorē. Hinc est, ꝙ hyeme plus olei, æstatē minùs admisceri solet. Sed iā describam⁹ vnguēta.

Vnguentum Agrippæ Nicolai.

℞. Rad. bryoniæ lib. ij.
Rad. cucumeris asinini lib. j.
Scyllæ lib. semis.
Ireos vnc. iij
Rad. filicis,
Rad. ebuli,
Tribulorum aquaticorum ana vnc. ij.
Ceræcitrinæ vnc. xv.
Olei albissimi lib. iiij.
Radices omnes recenter incisæ, & contusæ macerētur in oleo per dies octo: mox coquantur: postea exprimātur, & in oleo colato expresso cera reuoluatur, & fiat vnguentum secundùm artem.

Ad hydropicos, lienosos, & ventre dolentes vtile est: œdemata, & neruorum vitia sanat.

Durat per annum.

Notat

Notat hoc loco Renodæus Latinos codices omnes scribere vnguentum de Agrippa, at à Myrepsio vocari Grippa, vixque probabile inquit esse ad Regem Agrippam delatum, & fortasse sic dicitur, quòd fiat ex simplicium agrestium succis per macerationem in oleo relictis, vnde agrypon, quasi sit succus agrestis, à quo detorta est Agrippæ nomēclatura, sed de nominibus parum curandum est, dummodò res ipsa dignoscatur.

Vnguentum Apostolorum Auic.

℞. Terebinthinæ,
Ceræ albæ,
Resinæ,
Ammoniaci ana drach. xiiij.
Aristolochiæ longæ,
Thuris masculi,
Bdellij ana drach. vj.
Myrrhæ,
Galbani ana drach. iiij.
Opopanacis,
Floris æris ana drach. ij.
Lithargyri drach. viiij.
Olei libras duas, si fuerit æstas, lib. tres si hyems.
Aceti quantùm sufficit ad dissoluendum ammoniacum, galbanum, & opopanacem, & fiat vnguentum.

Efficax est ad vulnera, & vlcera contumacia. Item fistulas absumit, carnem mortuam, & amissam restaurat.

Aetas eadem.

Inuentio huius vnguenti Auicennæ refertur, qui tamen (vt puto) nec numerū Apostolorum, nec legem Christianam vnquam secutus est; nam si agnouisset Christianam legem, sciuisset etiam Apostolos non vnguentis, sed verbis, & signo Crucis, & sola vestium vmbra ęgrotos sanasse. Qui tamen hoc nomen inuenerunt, non debēt improbari, vt qui compositionem, ex tot simplicibus, quot olim fuerunt Apostoli, constantem designant.

Modus præparandi est, vt primùm accipiatur gummi, & in aceto per duodecim horas maceretur, deinde coletur, & igne lento coquatur ad spissitudinem mellis, quibus adhuc calentibus, terebinthina diluenda, & vniendaq; venit, inter ea lithargyrus leuigatus in oleo lēto igne nutriatur, tum eadem cera liquabitur, & resina, quibus ab igne semotis, gummi dicto modo apparata commiscebuntur; deinde aristolochia, myrrha, thus, & ærugo, cuius dosim multi augent, vt vngētum efficiant validiorem, quod fieri minimè debet, cùm ex hac tinctura acrimoniam acquirat unguentum vehementiorem vlceribus infestam.

Vnguentum Aregon Nicolai.

℞. Rosmarini,
Maioranæ,
Rad. iridis,
Serpylli,
Rutæ,
Rad. althææ ana vnc. iiij. & semis.
Foliorum lauri,
Saluiæ,
Sabinæ ana vnc. iij.
Laureolæ vnc. viiij.
Nepitæ, idest calaminthæ vnc. vj.
Mastiches,
Olibani ana drach. vj.
Pyrethri,
Euphorbij,
Zingiberis,
Piperis ana vnc. j.
Adipis vrsini,
Olei laurini ana vnc. iij.
Olei moschellini vnc. semis.
Petrolæi clari vnc. j.
Butyri vnc. iiij. aut quantùm sufficit.
Olei communis lib. v.
Hieræ, & radices Maio mense collectæ in oleo macerentur diebus septem, deinde coquantur, & colentur, colato oleo adijce reliqua, atque adde ceræ albę lib. j. & semis.

Ad omnem dolorem frigidum stomachi, & ventris, ad vterina mulierum vitia, distensiones, quartanas, epilepsias, resolutiones, spinæ dolores, & renum ualet. In quartana ante inuasionem inungito.

Durat per biennium.

Qui ad huius vnguenti apparatum, Medicorum libros euoluunt, tot varietates, quot Auctores, & descriptiones ipsius inueniunt.

Nos in compositione huius antidota-

rium Bononiense sequimur, tanquam ceteris omnibus, & diligentius, & verius.

Vnum notat hic Stecchinus, nempè quòd olei quinque libræ proponuntur, in quibus nō potest tanta herbarū quantitas ebulliri, nec quidem infundi, aut immergi; nam herbæ sunt ad libras sex, & vnc. vndecim, quare inquit opus esse addere alias duas libras, aut tres, ad hoc vt possint concoqui secundùm Nicolai ordinē. Verùm si rectè animaduertatur descriptio, videbimus adesse præter oleum commune adipis vrsini, &
Olei laurini ana vnc. iij.
Olei moschellini vnc. semis.
Petrolæi clari unc. j.
Butyri vnc. iiij.
Quæ omnia attingunt circa libram; nam pinguedo liquatur, ita vt videantur gerere vices olei, in quibus omnibus possunt infundi prædictarum herbarum libr. sex, & etiam ebulliri, id quod experientia multoties probatum est, & vnguentum compositum fuit.

Vnguentum Martianum Magnum, vel Marciatum.

℞. Ceræ albæ lib. ij.
Olei lib. viij. aut quantùm sufficit.
Rosmarini,
Foliorum lauri,
Rutæ ana vnc. viij.
Tamarisci vnc. vj.
Ebuli,
Sabinę,
Balsamitę,
Saluię,
Polij,
Calaminthę,
Arthemisię,
Enulę,
Bettonicę,
Brancæ vrsinæ,
Spargulę,
Herbę venti, idest parietarię,
Pimpinellę,
Agrimonij,
Absynthij,
Herbæ p[...]lysis, idest herba sancti Petri,
Costi herbæ,
Cymarum sambuci,
Herbæ crassulæ, idest telephij, & vulgò faua grassa.
Mille folij,
Semperuiui,
Chamædryos,
Centaurij,
Centūneruiæ, idest plantaginis maioris,
Fragariæ,
Quinquefolij ana vnc. iiij. & semis.
Rad. althææ,
Cymini,
Myrrhæ ana vnc. iij.
Fænugræci vnc. j. & semis, & serup. j.
Sem. vrticæ,
Violarum,
Papauer. albi,
Menthæ Saracenicæ, idest herbæ sanctæ Mariæ,
Menthæ cr spæ, idest menthastri,
Lapathioli, idest rumicis syluestris,
Polytrichi,
Cardoncelli, pro eo carduij benedicti.
Matris syluæ,
Florum chamomillæ,
Herbæ moschatæ, idest geranij,
Primi dodonei,
Linguæ ceruinæ,
Crispulæ, idest oculi bouis,
Camphoratæ, idest santolinæ vulgaris,
Styracis calamitæ,
Medullæ ceruinę ana vnc. semis.
Butyri vnc. j. & semis.
Adipis vrsini,
Adipis gallinacei,
Adipis anserini,
Mastiches ana vnc. j.
Thuris vnc. semis.
Olei nardini vnc. ij.

Herbæ omnes Maio mense colligantur, & incisæ macerentur in vino odorifero per dies septem. Octauo deinde die coquantur, donec ferè consumatur vinum. Postea cola, & colaturæ expressæ adde oleum, & coque, donec consumatur vinum. Mox adde ceram, & reliqua secundùm artem.

Confert ad refrigerationem capitis, thoracis, stomachi, iecoris, lienis, aliosque dolores à frigiditate natos, lienem quoque induratum emollit, præcipuè

autem

autem ad hydropicos confert.

Durat per biennium.

Multi sunt, qui putant hoc vnguentum debere vocari Martianum à Martiano, alij verò qui dicunt Martiatum à Martiatone Medico peritissimo illius inuentore: sed quicunque fuerit huius vnguenti Auctor, præstantissimum remedium est, & ad multa efficacissimum, multis autem cõstat simplicibus, ideo magnum vocatur ad differentiam alterius minoris ab Alexandrino traditi. Sunt, qui loco tamarisci amaracum substituunt, alij verò sampsucũ, seu maioranam: verùm tamariscus mihi magis probatur, quòd nullam habeat repugnantiam cum virtutibus, & effectibus, quos descriptio vnguenti pollicetur.

Vnguentum Album, siue de Cerussa.

℞. Cerussæ lotæ in aqua ros. vnc. x. & viij.
Lithargyri albi loti vnc. j. & semis.
Olei ros. lib. ij. & vnc. iiij.
Ceræ albissimæ vnc. vj.
Confice secundùm artem.
Durat per biennium.

Vnguentum Album, siue de Cerussa coctum.

℞. Olei communis lib. ij.
Cerussæ subtilis lib. j.
Coquantur lento igne secundùm artem, donec sit percoctum, cui adde
Cerę albę mundę vnc. iiij.
Durat per biennium.

Scribitur à Mesue vnguentum de cerusa, quod valde compositum est, nec est in vsu, sunt & alię descriptiones magis vsitatæ, prima est, quę recipit cerussæ vnc. duas, olei rosati quantùm sufficit, & fiat vnguentum in mortario: quidam addunt modicum aceti, & quidam addunt lithargyri vnciam vnam, & semis. Secunda descriptio est, in qua additur modicum aceti: est & alia descriptio, quę appellatur emplastrum de cerusa, fitque ad hunc modum.

℞. Olei rosati,
Cerussę ana vnc. j.
Bulliant simul ad inuicem vsque ad reductionem pastę, ex qua fiũt magdaliones, cerussa terenda est seorsũ, & per setaceum traijcitur.

Vnguentum Dialthææ simpl. Nicolai.

℞. Rad. altheæ lib. ij.
Sem. lini,
Sem. fænugręci ana lib. j.
Olei lib. iiij.
Cerę lib. j.
Terebinthinę vnc. ij.
Resinę vnc. vj.
Radices, & semina contusa macerentur tribus diebus in aquę lib. viij. aut quantùm sufficit.
Quarta die coquantur, donec remittant crassam, & viscosam mucilaginem, eam deinde exprime; mox recipe expressę mucilaginis lib. duas, & coque in oleo. Cùm deinde aquosum illud in mucilagine consumptum fuerit, ceram addito, & fac secundùm artem.
Durat per biennium.

Huiusmodi vnguentum vsu celeberrimum est ad emolliendum, calefaciendũ, & humectandum: pectoris dolorem ex frigore contractum delet, laterumque doloribus felicissimè adhibetur: per se aut etiam cum butyro illitum, aut etiam oleo chamæmelino admixtum, viscerum duritiés laxat, spleniticis, & hepaticis adhibetur, & stomachi inflammationes discutit.

Valet etiam ex sententia Pharmacopęę Augustanę ad neruorum incontinentiam, & duritiem, eosque pręcisos glutinat, vulnera claudit, resolutis neruis benefacit, & perfrictis partibus: regioni vesicæ ad inguina illitum, periodicasque febres tollit, emollit, lenit, concoquit, incidit, digerit.

Vnguentum Dialthææ compositum cum gummi Nicolai.

℞. Rad. althęę lib. ij.
Sem. lini,
Sem. fœnugręci ana lib. j.
Scyllę recentis vnc. vj.
Olei lib. iiij.
Ceræ libr. j.
Terebinthinæ,

Gummi

Gummi hederæ,
Galbani ana vnc. ij.
Colophoniæ,
Resinæ,

Radices, & lini semina contusa macerentur tribus diebus in sufficienti quantitate aquæ. Deinde coquantur, donec mucilago crassescat. Postea recipe mucaginis expressæ lib. duas, & adde reliqua, & fac vnguentum secundùm artem.

Valet ad dolorem pectoris ex frigiditate, pleurisim super pectus inunctum sanat.

Durat per biennium.

Vnguentum Aegyptiacum Mesue.

℞. Florum æris vnc. v.
Mellis vnc. xiiij.
Aceti acris vnc. vij.
Coquantur omnia simul, donec fiat vnguentum spissum.

Confert ad vlcera antiqua, fistulosa, saniem abstergendo, carnem excrescentem absumendo, & emortuam vehementer exsiccando, & ob id incipientes gangrænas cohibet.

Durat per biennium.

Huic compositioni vnguenti ægyptiaci Ambrosius Paræus libro 33. cap. 36. addit vitriolum Romanum, & salem communem, & Syluius æruginem pro æris flore, quæ quamuis eadem prædita sit facultate, Mesues tamen non quærit eam, quia etiam acriùs mordet.

Istud nostrum compositum, magis est in vsu, & valentissimum ad saniem exiccandam, sordes detergendas, & carnem absumendam, vlceribus malignis, putrilaginosis, antiquis, & cuniculosis conuenit, & carnis excrescentiæ medetur.

Vnguentum Populeon Nicolai.

℞. Oculorum populi arboris recentis lib. j. & semis.
Axungiæ procinæ præparatæ lib. ij.

Oculi populi contundantur, & macerentur in axungia, donec sequentes herbæ colligi queant æstate, videlicet.
Fol. papauer. agrestis,
Mandragoræ,
Cymarum rubi tenerrimarum,
Fol. hyoscyami,
Solatri,
Vermicularis, idest semperuiui minoris,
Lactucæ,
Semperuiui maioris,
Bardanæ, idest lapæ maioris, vulgò salsanacij.
Violariæ,
Scatuncelli, idest vmbilici veneris ana vnc. iij.

Herbæ contundantur, & misceantur oculis populi, & axungiæ, & dimittantur per decem dies. Deinde coquantur super lento igne in vini odorati sufficienti quãtitate, donec vinum consumatur. Postea coletur, & exprimatur, & fiat vnguentum.

Contra nimium calorem valet, & temporibus illitum somnum conciliat.

Durat per biennium.

Notat hic Renodæus descriptionem huius vnguenti populei Nicolaum Salernitanum ex Myrepsio accepisse: Nicolaus verò Præpositus eiusdem vnguenti descriptionem mutuatus est à Salernitano; neuter tamen debitum honorem primo inuentori reddidit, cùm nomen ipsius subtacuerit, quemadmodum neque ipse nomen afferat, sed vult populeon à sua basi, nempè à tenellis populi nigræ oculis, seu vt loquitur vulgus, germinibus, quę primo vere in arboris summitate erũpunt, & mense Martio ante perfectam explicationem colliguntur, quibus pleraque refrigerantia, & somnum inducentia adiunguntur.

Omnes hę herbæ collectæ, & à sordibus purgatæ in pila terantur, & mixturę priori asseruatę concorporantur, atque rursus in loco tepido integram hebdommadam, vel diutius etiam fermentãtur, postea in cacabo ponuntur cum libra vna uini, uel aceti. Suntque, qui solatri succum ponunt, ut uiridiorem colorem acquirat.

Somnum conciliat, & febricitantibus, & caput dolentibus ob nimium calorem inunctum fronti, temporibus, aut plantis pedum, aut manuum carpis prodest.

Vnguen-

Vnguentum Album Pauli.

℞. Ceræ dealbatæ vnc. vj.
Olei rof. completi fimpl. lib. j. & femis.
Lithargyri,
Cerussæ ana vnc. ij.
Olei amygdalarum dulcium vnc. iij.
Albumina ouorum num. v.

Misceatur oleum rof. cum cera ad ignem lentum. Deinde amygdalinum addatur, quibus ferè infrigiditatis ouorum albumina benè quassata adde, donec incorporentur.

Valet ad omnes inflammationes, mediocriter refrigerando, & exicando.

Aetas eadem.

Vnguentum Diapompholygos, idest de Tuthia.

℞. Olei rosati vnc. x.
Ceræ albæ vnc. v.
Succi fructus vuæ lupinæ; idest solani satiui vnc. viij.
Cerussæ lotæ vnc. iiij.
Plumbi vsti, & loti,
Pompholygos, idest tuthiæ præparatæ ana vnc. ij.
Thuris vnc. j.
Confice secundùm artem.

Ad exiccanda erysipelata vtile est, ad vulnera sordida purganda, & ad vlcera tibiarum sananda, cæua aliorum locorum vlcera carne replet, & ad cicatricem ducit, & refrigerat.

Durat per biennium.

Vnguentum Comitissæ Galielmi de Varignana in cap. ad retentionem mensium, & exiccationem oris vteri.

℞. Corticum medianorum castanearum,
Glandium,
Arborum glandium,
Myrtillorum,
Caudæ equinæ.
Corticum fabarum,
Gallarum,
Acinorum vuarum,
Sorborum siccorum immaturorum,
Mespilorum exiccatorum immaturorum,
Rad. chelidoniæ,
Foliorum prunorum syluestrium ana part. æqual.

Misce, & crasso modo terantur, & in aqua plantaginis coquantur, & colentur, postea

℞. Ceræ q. v. illamque oleo myrtino dissolue, & nouies cum prædictâ aqua lauato, & in vnaquaque lotione noua aqua vtaris. Postea

℞. Corticum mediorum castanearum,
Corticum med. glandium,
Corticum med. arboris gland. ana pug. j.
Cineris ossium cruris bouum,
Sem. myrtillorum,
Acinorum vuarum ana pug. semis.

In puluerem subtilissimum redigantur. Postea recipe huius pulueris partes duas, trochisc. de carabe partem vnam. Misce cum prædicta cera, & oleo masticino, & oleo myrtino ana quantum sufficit, sint verò æquales partes, & fac vnguentum.

Abortum prohibet; hæmorrhoidas sistit, laxatos renes roborat, & mensium abundantiam compescit.

Durat per biennium.

Aliud vnguentum huius generis describitur à Fernelio cap. 6. & est facilioris præparationis, fit autem ad hunc modum.

Vnguentum adstringens Fernelij.

℞. Olei rosati sæpiùs in aqua aluminosa loti lib. j. & semis.
Ceræ albæ vnc. iiij.
Gallarum immaturarum,
Nucum cupressi,
Baccarum myrti,
Balaustiorum,
Malicorij,
Corticum glandium,
Acaciæ,
Rhois, idest summachiorum,
Mastiches ana vnc. j.

Cum succis mespilorum, & sorborum fiat vnguentum.

Plantius scribit huiusmodi vnguentum facilè vsurpandum esse pro vnguento comitissę. Modus præparationis à Ioanne Renodæo ad hunc modum describi-

per

omnia tenuissimè pulnerizanda, & dies circiter quatuor maceranda in succis sorborum, & mespilorum, vel horum vno tantùm, deinde lento igne siccanda, tum ceræ oleo rosato liquatæ commiscenda, spathula agitanda, & accuratè commimiscenda.

Fluxiones omnes intercipit, vuluæ, vteri, sedis, intestinique prolapsum cohibet, & profluentem sanguinem sistit, mammillas pendentes retrahit, minores efficit, & ventris rugas à partu tollit. Fernelius cap. 6. Antidotarij.

Vnguentum de Arthanita maius Mesuæ.

℞. Succi arthanitæ lib. iij.
Succi cucumeris asinini lib. j.
Olei irini lib. ij.
Butyri vaccini lib. j.
Pulpæ colocynthidos vnc. iiij.
Polypodij vnc, vj.
Euphorbij vnc. semis.

Arida omnia contundantur, & macerentur in succis per dies octo, affuso etiã oleo in vase vitreo diligenter obturato. Nono deinde die coquantur lento igne aliquandiu, postea colentur, colaturæ adde sagapeni in aceto dissoluti drach. vij. & semis.
Myrrhæ drach. iij.

Coquantur iterum ad consumptionem succorum. Postea adde
Ceræ vnc. v.
Felis taurini drach. vij. & semis.

Ferueant simul, donec liquescat cera. Postea insperge paulatim sequentium rerum tenuissimum puluerem.

℞. Scammonij,
Aloes,
Mezereon,
Colocynthidos ana drach. vij. & semis.
Euphorbij drach. iij.
Salis gemmæ drach. iiij. & semis.
Turbith drach. vij. & semis.
Piperis longi,
Zingiberis,
Chamomillę ana drach. iij.

Confice secundùm artem.

Illitum stomacho, vomitu purgat, hypogastrio autem inunctum, aluum deijcit, ob id hydropicos mirè iuuat serosum excrementum educendo, vermes quoque necat, & educit.

Durat per biennium.

Vnguentum de Arthanita minus Mesuæ.

℞. Succi arthanitæ,
Viscositatis aquæ, quę exprimitur ex radice filicis,
Succi contengit, idest ebuli ana vnc. viiij.
Succi extremitatum tamarisci vnc. ij.
Oesypi humidæ drach. v.
Olei irini lib. ij.
Ammoniaci,
Bdellij ana drach. j. & semis.
Aceti quantùm sufficit ad dissoluendum ammoniacum.
Ceræ citrinæ vnc. vj.
Corticum radicum capparis vnc. j. & semis.
Spicæ drach. iiij.
Fiat vnguentum secundùm artem.

Splenis tumores, etiam scyrrhosos dissoluit, & strumas.

Duratio eadem.

Ex his duobus vnguentis, quæ Mesues descripsit, vnum maius appellatur, & adscribitur Alexandro, sed quis nam sit hic Alexander, vix à scriptoribus intelligitur; secundum fuit inuentum à Medico quodam, qui Philo appellabatur Hebræus. Descriptio primi à multis Authoribus negligitur, inter quos est Renodęus, Pharmacopœa Augustana, & alij, & certè si consideremus vsum, quem Mesues ei adscribit, quòd extra abdomen inunctum aluum moueat, nempè ad hypogastrium, & ad regionem ventriculi vomitorium reddatur, mihi videtur prorsus inutile, parumque opus esse tanta medicamentorum copia valentissimè purgantium, cùm Galenus solo cyclamini easdem vires tribuat.

Sed non desunt Auctores scribentes medicamenta, quæ non ventri modò, sed etiam volis manuum, ac pedum illita purgandi vim habeant, vt apud Paulum, Aetium, Oribasium, & Actuarium videtur; non desunt etiam nostra ætate, qui pilas parant, quæ naribus admotæ tum

per

per vomitū, tum per aluum deducāt, quę parum proficua tamen in praxi obseruantur; proinde Costæus admonet prudentiores Medicos, ne his nugis fidem præstent. Ego multoties ijs vsus sum, etiam post assumptum medicamentum, sed absque aliquo fructu. Simile medicamentum describit Petrus Scholtius consilio 165.

℞. Succi mercurialis,
Succi cumeris asinini,
Colocynthidis ana drach. iij.
Ellebori nigri,
albi ana drach. semis.
Aloes drach. j. & semis.
Fellis taurini drach. j.
Mellis quantùm sufficit: fiat vnguentum, quo inungatur abdomen circa vmbilicū.

Quare si aliqui adeo delicati sint, vt quodcunq; medicamentorum genus per os assumendum renuant, non desunt clysteres, aut suppositoria per partes inferiores intus missa, quæ absque difficultate aluum mouent, quibus satius est vti, quàm ad huiusmodi medicamenta, descripta extra admota recurrere.

At magis mihi probatur vsus vnguenti minoris de arthanita appellati, eò quòd habet emolliendi tumores duros facultatem, vnde Manardus scriptū reliquit super hunc Mesuæ locum vnguentum hoc extra applicatū induratū tumorem lienis minuere, quamuis ob cyclaminis, atque ebuli succum insigniter turbare possit vētrem, licet meo iudicio Antidotarium hoc absque his duobus vnguentis integrū remaneret, cū ferè ab omnibus scriptoribus feratur vtrunque non esse in vsu.

Vnguentum Rosatum Mesuæ.

℞. Axungię porcinæ recentis quantitatem, quam volueris, & lauetur nouies in aqua calida, & tantundem cum aqua frigida, lotione vltima. Deinde teratur cum ea rosarum rubearum æquum pondus. Dimittantur marcescere per dies septem. Postea coquantur in duplici vase cum facilitate, ac percolentur; & rursus tantundem rosarum cum ea tere, & dimitte per alios dies septem marcescere, tuncque cum ea affundatur succi ros. pars dimidia, olei amygdalarum dul. recentis pars sexta, & rursus coquatur cum facilitate, donec succus euanescat.

Quòd si parum opij in aqua rosacea soluti inter decoquendū inijciatur, fit efficacius, præsertim ad insomniorum leuamē.

Phlegmonas, erysipelata, herpetas sedat, cephalalgiam calidam, ventriculi, & iecoris, calidam intemperiem mitigat. Renum ardoribus, & hæmorrhoidum inflammationi vtile.

Si vltra annum seruetur, rancidum fit.

Notat Matthiolus in librum primum cap. 42. Dioscoridem sub olei nomine comprehendere oleum omne, quod per se tantum est (nulla alterius olei admistione) aut ex arborum fructibus, aut herbarum diuersorum generum seminibus, aut stirpium resinis elicitur: verùm vnguenti appellatione oleum omne genus intelligit, cui, & odoramenta, & alia simplicia medicamenta admiscentur, vt in præsentia de rosato agens, & deinde in sequentibus manifestè ostendit, quo fit, vt apud Dioscoridem oleum vocetur, quod simpliciter expressum fit; vnguētum verò oleum quodlibet, cuius componēdi ratio pluribus constet medicamentis, & Galenus libro 6. simplicium medicamentorum de oleo agens (sic inquit) ex dictis cognoscere iam liceat, & de alijs olei generibus, quæ æquiuocè ipsis dicūtur vnguētis, puta rosaceo, mellino, liliaceo, & quæcunque id genus, floribus, fructibus, germinibus, folijs in oleo maceratis conficiuntur, horū quodq; vbi vna cū aromatibus præparantur, vnguentum fit.

Notat etiam hoc in loco idem Matthiolus, quòd oleum rosaceum, quod hoc tempore officinæ completum appellant, à Dioscoridis rosaceo longè recedat, ac etiam eo præstantius existimandum est summum ob artificium, quod in ipsa parandi ratione diligentiores adhibent Myropolæ, quod eorum tandem per pauci (ita vt ingenium est multorum à labore procliuo ad ignauiā) illud secundū Mesuę temperant, tametsi plures ab eo optimi rosacei conficiendū modū sint consecuti.

Addit idem Matthiolus, quòd rosaceum fit etiam rosis nō affatim dehiscentibus in officinis, demissis modò calentis balnei viribus, modò insolato, per quàm

longo. Sunt, & qui, vt magis viribus præstet oleum, priùs ex aqua rosacea lauant, deinde plusculo temporis spatio ter, aut quater rosas infundunt: demum expressione peracta immaturarum succum adijciunt, ac inde diu insolant; postremò oleũ à succo secernunt, & diligenter asseruant.

Hoc inflammationes discutit, roborat, adstringit, fluxionesque cohibet, ne ad ægras partes defluant, potum torminibus dysentericis medetur, capitis vulneribus aptissimum est, quòd roboret, siccet, resoluat, inflammationesque non modò prohibeat, sed etiam exstinguat, quod Galeno maximè probatur secundo de compositione medicamentorum secundùm locos, vbi de dolore capitis scribit, qui vel ex vulnere, vel casu excitatur, cuius etiam meminit lib. 10. simpliciũ medicamentorum de sanguine agens.

Vnguentum Pectorale magistrale.

℞. Mucilaginis sem. psyllij,
Tragacanthæ,
Sem. lini,
Fœnugræci ana drach. j.
Adipis gallinæ,
Medullæ vituli,
Butyri recentis loti cum aqua viol. ana vnc. j. & semis.
Olei violati,
Olei amygdal. dul. ana vnc. j.
Ceræ albæ quantùm sufficit.
Fiat vnguentum.

Laterum dolores, & pectoris mitigat, tussim sedat, maturat, excreationem iuuat, humores crassos digerit, & attenuat. Nec vltra annum potest seruari.

Vnguentum Album Camphoratum.

℞. Olei ros. lib. iij.
Cerussæ lib. j.
Ceræ albæ vnc. viiij.
Camphoræ drach. j. & semis.
Albumina ouorum num. ij.
Misce, & fiat vnguentum.

Inflammationibus, erypelatis, ambustisque conuenit.

Durat per biennium.

Sunt, qui aliud vnguentum cerussæ magis artificiale describunt ad hunc modũ.

℞. Cerussæ,
Olei rosati ana vnc. xv.
Ceræ albæ vnc. iiij. & semis.
Albumina ouorum num. iij.
Aquæ rosatum,
Aceti rosati ana vnc. j. & semis.

Fit ad hunc modum: cera, & oleum dissoluuntur in vase vitreo, ne oleum viride fiat; deinde ponatur in alio vase, & statim dum calidum est, adiungitur cerussa, & miscetur, quousque sit refrigeratum, deinde additis albuminibus ouorum cum aceto, & aqua rosarum agitatis, in alio vase imponitur, & seruatur.

Vnguentum Rubrum Camphoratum, siue de Minio.

℞. Olei rosati lib. j. & semis.
Lithargyri vnc. ij.
Minij vnc. iij.
Cerussæ vnc. j. & semis.
Tuthiæ,
Camphoræ ana drach. iij.
Ceræ in æstate vnc. ij. hyeme vnc. j.
Fiat vnguentum in mortario plumbeo.

Refrigerat, & siccat potissimè, ideoque igni sacro fœlicissimè adhibetur: cancros, & exedentia vlcera sanat.

Et per biennium durat.

Aliud vnguẽtũ de minio facilis præparationis reperio, quod hoc modo cõponitur

℞. Minij puluerizati lib. ij.
Terebinthinæ claræ,
Aquæ rosaceæ multoties lotæ vnc. viij.
Ceræ albæ vnc. vj.
Olei rosati lib. j.

Modus autem conficiendi talis est: dissoluitur primùm cera cum oleo, addendo terebinthinam, parum miscendo, & dum calidum est, adde minium, & post ipsius refrigerationem, reponatur in vase cum hac animaduersione, ne multùm misceatur; nam tunc color minij viuus emoritur.

Notat hic Stecchinus minium hoc fieri Venetijs arte quadam eleganti, & qui macinationi eius student, breuis sunt vitæ; præterea aliud faciunt cerussa longè elengatius, & à Dioscoride sandix appellatur, & adeo colori rubeo eminet, vt eo multi falsificent cinnabarim.

Vnguen-

Vnguentum Isis, siue Viride minus. Gal. 2. de comp. med. per genera cap. 2.

℞. Resinæ pini lib. ij.
Ceræ lib. j.
Olei communis vnc. viij.
Aeruginis æris vnc. iij.

Resinam, & cerã in oleo liquabis, deinde ęruginẽ æris subtilissimè tritã addito.

Recentia vulnera, & quæcumque non magna sunt, sanat.

Idem durationis tempus.

Huiusmodi vnguentum connumerat Galenus inter emplastra.

Vnguentum de Bdellio primum Mes.

℞. Bdellij drach. vj.
Euphorbij,
Sagapeni ana vnc. semis.
Castorij drach. iij.
Ceræ drach. xv.
Olei leucoij drach. x.

Bdellium, & sagapenum dissoluantur aqua, vel succo rutę agrestis, & asphodeli, & erit validius, cætera aqua calida vniantur, & fiat vnguentum.

Epilepsiam, paralysim, spasmum, cæterosque neruorum affectus frigidos, & scirrhosos iuuat. Per biennium durat.

Vnguentum Digestiuum magistrale.

℞. Olei ros.
Terebinthinæ ana lib. j.
Ceræ albæ vnc. vj.

Lauentur cum aqua plantaginis, & fiat vnguentum. Durat per annum.

Huiusmodi vnguentum digestium magistrale valde vsitatum est Bononiæ, & ad vulnera curanda, à principio saltem, quousque digesta fuerint. Deberent Pharmacopœi ipsum componere, & semper in officinis conseruare; longè enim præstantius, & vtilius est eo, quod Chirurgi aliqui componunt ex luteo oui, & terebinthina; nam sordidum est, neque id pręstat, quod facit istud, si præsertim vel aqua rosacea, vel plantaginis multoties abluatur, deinde reponatur, conserueturque per integrum annum.

Vnguentum ad Scabiem.

℞. Sulphuris viui,
Salis ana lib. semis.
Axungiæ porcinæ lib. ij.
Olei lauri lib. semis.

Misce, & fiat vnguentum S. A.

Duraturum per annos binos.

Vnguentum aliud ad Scabiem.

℞. Styracis liquidæ vnc. j.
Terebinthinæ lotæ,
Butyri loti ana vnc. ij.
Succi limonum vnc. j. & semis.
Cerussæ lotæ vnc. j.
Salis vnc. ij.

Misce, & fiat vnguentum.

Duratio eius ad duos annos extẽditur.

Vnguentum ad Vermes.

℞. Centaurij minoris,
Persicariæ,
Foliorum persici,
Abrotani,
Absynthij,
Rutæ ana manip. j.
Ligni aloes,
Rasuræ cornu ceruini,
Dictamni Cretici,
Rad. dictamni,
Myrrhæ ana drach. ij.
Pulpæ colocynthidos,
Farinæ lupinorum ana vnc. semis.
Aloes succotrinæ,
Succi porrorum nondum remissorum, siue transplantatorum,
Felis taurini ana vnc. ij. & semis.
Olei absynthij vnc. iiij.

Tritis terendis, & aceto aspersis acerrimo, cum cera sufficienti fiat vnguẽtum.

Vmbilico, & stomacho applicatum vermes efficacissimè enecat.

Suamq; facultatẽ exercet per bienniũ.

Vnguentum Album Commune.

℞. Olei ros. completi simpl. vnc. ij.
Cerussæ optimæ vnc. j. & semis.
Ceræ albæ vnc. j.

Liquefacta cera cum oleo, apponatur cerussa subtiliter puluerizata. Vltimò

cum aqua rof. lauetur.

Aduersus vlcera, scabiem, & adustionem valet.

Et per biennium durat.

Vnguentum ex Succis.

℞. Olei rosati compositi lib. j.
Olei rosati omphacini lib. semis.
Succi foliorum plantaginis,
solani hortesis,
centaurij minoris,
lapathi ana vnc. iij.
Bulliant omnia cum succis ad eorum consumptionem. Deinde adde ceræ albæ quantum sufficit ad formandum vnguentum molle; quibus benè agitatis donec tepida fiant, insperge
Lithargyri tenuissimè puluerizati vnc. iij.
Recrementi plumbi puluerizati drach. vj.
Pompholygis præparatæ vnc. semis.
Hordei combusti, & puluerizati drach. iij.
Boli armeniæ veræ puluerizatæ,
Camphoræ vsualis,
His simul permixtis admisceto
Vnguenti Gal. infrigidantis,
Vnguenti populei ana vnc. ij.

Herbæ virides cùm per hyemem ad succos extrahendos haberi nequeant, earum succi opportuno tempore secundùm artem seruentur, vel habeantur herbæ diligenter in vmbra exiccata, quæ cùm oleo aliquandiu bulliant. Postea coletur, & exprimatur reliquis additis, sed cum satis diu conseruetur medicamentum, potest etiam, vbi recentium herbarum est copia, per totam hyemem præparari, & vltra.

Herpetibus, & mali moris vlceribus curandis maximè est vtile.

Aetas eadem.

Aliud Vnguentum ex Succis secundùm Descriptionem Recentiorum.

℞. Olei rosati optimi lib. j.
Ceræ nouæ candidæ vnc. viij.
Foliorum plantaginis,
Solatri,
Lapathi,
Centaurij minoris sicci, si viride desit. ana manip. ij.

Cera primùm in oleo lento igne liquescat, addantur postea herbę prædictæ, cęlo sereno, orto iam sole, loco ad orientem spectante, ęstate, vel autumno ineunte collectæ; bulliant, donec probè decoctæ fuerint. Postea colentur, torculariq́ue exprimantur: expressum verò, abiectis herbis, denuò moderatè ferueat, quousque omnis aquea humiditas absumpta fuerit, solidiusculamq́ue vnguenti formã acquisiuerit; quo ferè iam refrigerato camphoræ puluerizatæ semiunciam inspergito; tandiuq́ue medicamentum agitabis, quoad sit frigidum, ac fictili vitreato vase, vel plumbeo tectum conseruabis.

Valet ad vlcera inflammata, depascentia, & phagædenica.

Duratio eius accedit ad annum, & paulò vlterius.

Huiusmodi vnguentum à Iulio Cæsare Arantio descriptum habetur lib. de tumoribus præter naturam, cuius inuentor apparet ex titulo inscriptionis, quæ est ad hunc modum.

Vnguenti nostri de succis parandi ratio, caput illius libri est vltimum.

Vnguentum de Plantagine.

℞. Florum, & sem. perforatæ,
Secundi corticis sambuci,
Plantaginis ana manip. iij.
Vini optimi albi,
Olei rosati completi,
Succi solatri hortesis,
semperuiui maioris,
centaurij minoris,
lapathi acuti ana lib. iij.
Misce, & bulliant in vase vitreato ad coctionem herbarum: decoctum coletur cum expressione; & adde
Pinguedinis coriariorum lib. iij.
Mellis communis lib. ij.
Terebinthinæ claræ lib. j.
Ceræ citrinæ recentis lib. j.
Butyri recentis lib. semis.
Thuris,

Lithargyri ſubtiliter pulueriʒati ana vnc. j.
Camphoræ vnc. ſemis.

Iterum bulliant ad conſumptionem vini, & ſuccorum. Et fiat vnguentum ſecundùm artem.

Idem pollet, quod ſuperius: inſuperque ab igne, vel aqua feruenti vlcera facta ſanat.

Duratio eadem.

Vnguentum Potabile.

℞. Butyri recentis ſine ſale lib. j. & ſemis.
Rubię tinctorum,
Caſtorij,
Spermatis ceti,
Tormentillæ ana vnc. j. & ſemis.

Bulliant ſimul in vini odorati ſufficiente quantitate ad vini conſumptionem, ac fiat vnguentum ſecundùm artem. Deſcribitur à Pharmacopœa Auguſtana fol. 320.

Nullum aliud vidi Antidotarium, in quo ſcriptum ſit id genus vnguenti.

Vnguenta, quæ hoc in loco deſcribibimus, ſunt medicamenta externa, linimenti in modum applicanda externis partibus, at auctor huius vnguenti vult intus eſſe per os aſſumendum; nam ſcribit eius facultates iuuare eos qui ex alto ceciderunt, vlcera interna glutinare. Niſi ore eſſet aſſumendum, non poſſet has facultates præſtare, proptera ſcribit eius doſim ab vncia ſemis ad integram concedi, & id genus medicamenti vult eſſe magni vſus apud claſſiarios Oceani ſeptemtrionalis. Puto in noſtris his partibus nunquam aliquem eo vſum fuiſſe.

Vnguentum Fuſcum Nicolai.

℞. Olei lib. j. & ſemis.
Ceræ nouę vnc. iiij.
Picis græcæ,
Colophoniæ nigræ, ſeu naualis,
Sagapeni ana vnc. ij.
Maſtiches,
Galbani,
Thuris,
Therebinthinæ ana vnc. j.

Huiuſmodi vnguentum dicitur etiã nigrum: exteriùs admouetur, & contrariũ eſt ſuperiori: vulnera repurgat, & inter ſarcotica à Chirurgis vſurpatur: multa haber, vnde emolliat, & concoquat: carnem generat, & putridam depaſcit.

Vnguentum Alabaſtri.

Reperio apud Authores duplicem eſſe deſcriptionem huius vnguenti alabaſtrini. Vna refertur ad Nicolaum Myrepſiũ. Altera verò adſcribitur Benedicto Victorio Fauentino Bononienſi, quæ inter ſe differunt, & ratione deſcriptionis, & ratione facultatis. Primum à Nicolao deſcribitur ad hunc modum.

℞. Sabinæ viridis vnc. ij. & ſemis.
Cypariſſi pilularum, ideſt nucum cupreſſi drach. ij. & ſemis.
Roſmarini viridis,
Saluiæ,
Foliorum hæderæ terreſtris,
Milleſolij,
Arthemiſiæ,
Herbæ benedictæ, nominatę viridis,
Fœnugræci,
Seminis lini ana vnc. ij. & ſemis.

Omnia ſimul in mortario contuſa inijce in aquæ libris duodecim, & concoque. Deinde adijce olei libras duas, & ſemis, & iterum bulliant, donec vniuerſa aqua abſumatur, coletur, rurſuſque bulliant, & adijce
Ceræ,
Colophoniæ,
Terebinthinæ,
Galbani,
Gummi hederæ,
Picis Hiſpanicæ,
Reſinæ,
Thuris,
Maſtiches ana vnc. ij. & ſemis.
Styracis calamitæ,
Thymiamatis,
Spicæ ana lib. ſemis.
Olei balſamini vnc. j. & ſemis.

Et fiat vnguentum molle.

Hęc eſt prima deſcriptio, quę habetur in Antidotario Bononienſi, & apud Caleſtanum. Verum Caleſtanus addit ſpicam Nardi, notatq́ue ſpicam hanc ex qua paratur prædictum vnguentum, fuiſſe ex Hieru-

Hierusalem Romã delatam eo tempore, quo D. N. Iesus Christus fuit à Iudæis crucifixus, additq; eãdem esse spicam, aut potius idem esse vnguentum, vt à Sacris Scripturis habetur, quo Marta, & Magdalena sorores vsæ fuerunt, & illud idem, quod sparsum fuit supra caput eiusdem Christi Domini in domo Simonis leprosi.

Quid verò sit herba benedicta, quæ in hoc vnguento conficiendo concurrit, nõ admodum clarè demonstrat, nisi quod ex mente aliquorum sit caryophyllata; alij dicunt valerianam; alij perfo ratam dictam hypericon magis probatur garyophilata.

Quod attinet ad facultates, scribit idẽ Calestanus esse mirabile medicamentum pro hemicranea, pro rigore in febribus, pro dolore lumborum, & renum. Valet etiam ad lapidem frangendum, & ad affectus hystericos, & præterea multum valet pro contusionibus, & pro ijs, qui ex alto ceciderunt. Confert etiam luxationibus ossium, & membris contortis. Hæc est descriptio primi vnguenti de Alabastro, & facultates.

De facultatibus ipsius in Antidotario Bononiensi scriptum est conferre cõtusionibus vterinis, & nephriticis affectibus

Secundum Vnguentum de Alabastro.

Descriptum id est in Antidotario Bononiensi, & in Pharmacopœa Augustana ad hunc modum.

℞. Succi chamomillæ recentis vnc. iiij.
rosarum recent. vnc. ij.
rutæ recent.
bettonicæ recentis ana vnc. j. & semis
rad. althææ vnc. ij.
Olei rosati omphacini lib. j. & semis.
Alabastri optimi, & purissimi vnc. iij.

Puluerizetur subtilissimè alabastrum, & per noctem, & diem infundatur in oleo rosato omphacino. Deinde omnia simul misce, & cum cera alba optima quantùm sufficit, fiat vnguentum.

Quamuis in Bononiensi Antidotario & Augustano eadem sit descriptio, & in vtroq; Antidotario eędem prorsus describantur vires; nihilominus apud Bononienses nulla habetur mentio Authoris, in Augustana verò pharmacopœa adscribitur, vt dictum est, Benedicto Victorio Fauẽtino Bononiensi, quemadmodum etiam à Ludouico Bertaldo.

Facultas huius medicamenti est omnem capitis dolorem mitigare, si is fuerit per consensum, aut per essentiam in febre, & extra febrem, & in omni tempore paroxismi excepto principio: liuores ex percussionibus aufert.

Durat per annum, & vltra, nisi euadat rancidum.

Notat hoc in loco Author Pharmacopœæ Augustanæ, quod Norimbergenses Medici accipiunt huius vnguenti vnciam semis, & grana tria opij pro quocunque dolore capitis acerrimo auferendo.

Reperio rursus aliam descriptionem huius vnguenti alabastrini apud Calestanum, quam scribit esse inuentionis Gregorij Carauitæ nostri Bononiensis, qui fuit insignis Chirurgus, cuius memoriam habuimus in nostris Miscellaneis in appendice ad curationem febrium malignarum, ac pestilentialium tractatu de oleo scorpionum descripto à Matthiolo, & à Fallopio, hanc descriptionem Calestanum testatur habuisse à proprijs manibus ipsius Carauitæ ad hunc modum exaratam.

Vnguentum Alabastrinum Carauitæ Bononiensis.

℞. Alabastri pulucrizati subtiliter lib. j.
Comarum fœniculi recentis cum suo semine vnc. iij.
Florum chamomillæ recentis vnc. viij.
Rutæ viridis vnc. ij.
Summitatum rubi recentis num. 80.
Olei rosati lib. iij.
Ceræ nouæ vnc. viij.

Contundantur primum herbę separatę, sapę in modum, deinde bulliant in vase vitreato cum oleo, & cera, & alabastro, & cum vino generoso quantum sufficit, quousque oleum consumptum fuerit, coletur ita calidum, & exprimatur, & cremata materia, quæ est ipsissimum vnguẽtum, incorporantur tria albumina cum tota spuma ouorum, & ita agitantur, quousque

usque desinunt in aquam, & seruatur.

Istud vnguentum alabastrinum, quod adscribitur Carauitæ, videtur magis artificiosum, & magis etiam esse in vsu apud Medicos, & Pharmacopœos Italos. Sunt etiam aliqua medicamenta in hac compositione apta ad resoluendas contusiones, & echimoses, quemadmodum sunt fœniculus cum suis seminibus, flores chamomillæ, & rutæ. Sunt etiam, & alia, quę refrigerandi, & attēperandi humores calidos vim habent, à quibus excitari possent dolores in capitis cute, & faciei, vnde scribitur à Calestano ipsum valere ad eos, qui in terram cadunt, & sanguinem attenuare sub cute retentum, vt in flagellatis, sanareque liuorem; valetque ad dolorem ducentem ortum à febre.

Vnguentum Infrigidans Galeni.

℞. Ceræ albæ vnc. j.
Olei ros. omphacini vnc. iiij.
Aquæ fontis frigidissimæ quantùm sufficit ad multum, diuque lauandum, & subigendum, quod tandem iterum pauco aceto albo similiter subigendum.

Valenter refrigerat, febribus ardentibus, & cephalalgiæ calenti, & cum pulsu dolorifico saluberrimum est.

Seruatur per annum: & vt meliùs conseruetur, superponatur tantum aquæ frigidæ, vt supereminéat vnguento; quæ æstiuo tempore bis in hebdomada mutetur.

Huiusmodi infrigidans, quod inter vnguenta describimus, à Mesue, & Galeno multis in locis ceratū appellatur. Huius fundamentum Mesues scribit esse oleum rosaceum omphacinum, quod fieri debet ex rosis incompletis; oleum enim factum ex rosis incompletis maioris est infrigidationis. In hoc componendo, admonente Stecchino, multi sinunt refrigescere oleum, & ceram, vt abluere postea valeant: verùm quando hoc modo abluitur, in vnguento remanent veluti noduli quidam, qui elegantiam eius omninò tollunt, vnde melius erit, liquefacta cera cū oleo, superinfundere aquam frigidam, & admiscere probè, & tunc vnguentum erit album, si præsertim aqua sæpius mutetur; multa enim ablutione redditur medicamentum excellentius, & tandem cum aceto albo conquassetur, & reponatur. De hoc loquitur Galenus pluribus in locis 10. Methodi med. cap. 10. & lib. 1. simpl. & lib. 6. sanitatis tuendæ, vbi aceti vice subigendo manibus diu in mortario miscet succum semperuiui, solani, cotyledonis, psyllij, polygoni, tribuli, portulacæ, lactucæ, & similium. Animaduertere oportet in vsu huius vnguenti, quòd quando applicatur, statim tollendum est; nam vbi incaluit, calefactum calefacit.

Vnguentum Santalinum Mesuæ.

℞. Rosarum drach. xij.
Santali rubri drach. x.
albi,
citrini ana drach. vj.
Boli armeniæ drach. vij.
Spodij drach. iiij.
Camphorę drach. ij.
Ceræ albæ drach. xxx.
Olei rosati lib. j.
Conficiatur secundùm artem.

Cera, & oleum si lauentur, fiet prēstātius. Phlegmonas, & intemperaturas omnes calidas ventriculi, hepatis, & partium aliarum potentissimè extinguit, renum præsertim.

Ad annos duos seruatur.

Vnguentum hoc santalinum, quod à Mesue ceratum dicitur, frigidum esse idem scribit. Manardus verò ait suspicari, ne multùm vergat ad calidum, quia putat, santala omnia calida esse, quemadmodum camphora, & spodium, & addit, quod Recentiores pro spodio antispodium ex ambustis cannis accipiunt, quod vel calidum absolutè est, vel partes multas calidas habet. Syluius verò opinatur minus refrigerare, quàm titulo polliceatur, & rationem adducit; nam quæ pro santalis miscentur, ligna sunt calida, & camphora, & spodium parum frigeant, imò verò potius caleant, quod vtrunque multas partes calidas habeat, & camphora sit arte suppositititia. Addit & Syluius aliquos esse, qui sic vnguentum santalinum, vt sequens ceratum Galeni refrigerans, parant, liquando ceram cum

oleo

oleo in vase duplici, deinde vbi refrigeratum est aqua frigida, manibus, aut rudicula diu agitant; postea dictos pulueres miscent: nihilominus si obseruemus experientiam, videbimus ipsum refrigerare, & santala minimè calefacere certissimum esse, si vera accipiantur. Quod ad spodium attinet, ostendi iam superiùs esse medicamentum incognitum, & potiùs imaginarium, & loco huius accipiendas esse rosas rubeas immaturas, & miror Costęum aliàs dicentem spodium esse incognitum medicamentum, nunc dicat spodium, nempè ebur, si post vstionem lauetur, refrigerare. De ebore superiùs dictum à me fuit in medicina nullum habere vsum, quemadmodum omnia ossa elephantum; nunc Costæus dicit ebur adustum habere facultatem refrigerandi, si abluatur, cùm tamen, ea quæ adurunṫur, acquirant caliditatem, vt notum est.

Quod ad camphoram attinet, si concedatur esse calidam, parum sunt drachmæ duæ cum reliquis, quæ hic sumuntur, quę libras circiter duas pendent. Imo eadem, dum penetrationem frigidę facultatis adiuuat, ex vsu est ad refrigerium, quare hoc medicamentum vim habere refrigerandi rationi satis est consentaneum, vnde Costæus pulchrè animaduertit, quòd istud vnguentum, dum applicatur, non refrigerat semper, id quod sæpè euenit incuria eorum, qui ægris inseruiunt, quorum munus esset ceratum interdum detrahere, & priusquam nouum inducant parti prioris sordes cutem obstruentes spongia ex aqua calida detergere. Addit, quòd sæpè etiam id contingit ratione cerati, nimium quàm par sit solidi, cui insignis quoque inest vis desiccandi: nam dum cutem (eius humorem absumendo) densat, interiorum humorum, vaporumque prohibet perspiratum; quamobrem (inquit) non damnandum est ad refrigerij vsum, sed potius corrigendum, quod illi aliena ferè culpa vitium accidit. Corrigi autem hoc posterius potest affuso liberalius oleo, & linimenti potiùs, quàm cerati consistentia illi comparata. Sed hoc loco idem Costæus videtur accipere istud medicamentum, potiùs sub forma cerati, quàm sub forma vnguenti, quia ceratum adhęrere cuti potest, eamque sua corpulentia obstruere, quod non cõtingit, si fiat sub forma vnguenti mollioris, præsertim vt communiter componitur, quod si modico aceti rosati albi abluatur, maiorem facultatem refrigerandi, & penetrandi habet.

Vnguentum Triapharmacum Mesuæ, quod de Lithargyro vulgò dicitur.

℞. Lithargyri subtilissimè triti,
Aceti ana lib. j.
Olei veteris lib. ij.
Fiat vnguentum secundùm artem.

Prodest scabiei, & cutis vlceribus.

Solet fieri hoc vnguentum cum quibusdam succis, vnde dicitur vnguentum de lithargyro cum succis.

Duæ sunt triapharmaci descriptiones à Mesue datæ, vna illius, quod appellat tripharmacum sarcoticum, & epuloticũ; alia illius, quod propriè appellatur vnguentum ex lithargyro, primum est id à nobis descriptum, quod recipit lithargyrum, oleum, & acetum, aliud verò, quod recipit lithargyri, aceti ana vnc. j. olei vnc. ij. coque igni lento ad crassitiem, huic vnguento adduntur succi, appellaturque vnguentumde lithargyro cum succis, fitque ad hunc modum.

Vnguentum de Lithargyro cum Succis.

℞. Olei rosati lib. j.
Lithargyri subtiliter leuigati lib. semis.
Succi plantaginis,
solatri,
semperuiui ana vnc. j. & semis,
Et fiat vnguentum, hocque est in communissimo vsu.

Vnguentum Resinum Magistrale.

℞. Olei communis lib. j. & vnc. iij.
Resinæ pini,
Ceræ citrinæ optimi coloris,
Terebinthinæ claræ ana lib. j.
Est sarcoticum.
Per biennium durat.

Vnguen-

Vnguentum Resinum Sarcoticum,

℞. Resinæ pini,
Terebinthinæ,
Ceræ citrinæ,
Olei communis ana vnc. iij.

Dissoluta cera, & resina cum oleo, vltimò terebinthina, omnia colentur, & in cacabo ad ignem lentum bulliant, deinde permittantur infrigidari.

Caua vlcera carne replet.

Eademque est duratio.

Vnguentum Damascenum Magistrale.

℞. Vnguenti resini supradicti lib. j.
Viridis æris subtil. triti vnc. semis.
Misce ad ignem.

Est sarcoticum, vt alia.

Hæc tria vnguenta, nempè resinũ magistrale, & resinũ sarcoticũ simul cũ damasceno in Antidotario Bononiensi scripta sunt vnum post aliud, ferè eandem habentia facultatem exiccandi, & extergendi, nihilominus istud damascenum validius mundificat vlcera putrida, & sordida. Est animaduertendum, quod vnguentum resinum videtur habere rationem basis in hoc damasceno, in cuius quidem compositione alij ponunt viridis æris vnciam semis, alij verò diminuunt ad drach. j. & ponunt tantũmodò drach iij. & fortè melius, ne tam validè abstergere valeat. Quò ad modum componendi, opus est, vt parum misceatur, quia perdit proprium colorem, & propterea vbi incipit refrigerari, oportet ipsum ita relinquere sine mixtione, neque debet esse admodũ calidum ne viride æris deorsum ad fundum cadat, quare necessarium est ita quietum remanere, quousque refrigeratum fuerit, & si videatur colorem viridem amisisse, parum ad ignem admiscendum est.

Est adhuc animaduertendum, quòd vnguentum resinum à quibusdam appellatur citrinum, ratione sui coloris, vel à suo colore, quem habet citrinum; differt tamen ab vnguento citrino, vt paulò infra videbimus.

Vnguentum Diachylon Mesuæ simplex, & est vnguentum de mucilagine.

℞. Mucilaginis fœnugreci,
sem. lini,
rad. altheæ ana lib. j.
Olei veteris clari lib. iij.
Lithargyri lib. j. & semis.

Coquantur secundùm artem, & fiat vnguentum.

Seruatur per annum.

Scirrhos hepatis, lienis, ventriculi, & aliarum partium, ipsas etiam chœradas emollit.

Huiusmodi vnguentum describitur à Mesue quidem, sed sub nomine emplastri, quod tamen maiorem similitudinem habet cum vnguentis, nisi quòd est solidioris substantiæ, & est multùm in vsu, vt inquit Christophorus Georgius de honestis: vsus eius est conueniens ad dissoluẽdum apostemata dura, & melancholica, propter mucilagines ingredientes, & interdum fit istud medicamentum cum additionibus, addendo scilicet vnciam vnam pulueris ireos pro vna libra massæ emplastri: communiter tamen in vsu est sine additionibus. Auicennas in 5. canone, & Hali 10. practicæ, & Serapio in proprio Antidotario describunt hoc emplastrum in forma vnguenti, quos Auctores sectati sunt Bononienses in suo Antidotario.

Hoc loco vnum notat Costæus, quod quamuis, & hic, & in alijs medicamentis multa recipiantur, quæ ad emolliendum, & discutiendum parantur, tantum abest, vt discutiat, vel emolliat, vt non secus atque metallica omnia, lapidosaque, ac terrena medicamenta exiccet, cùm adstringenti vi aliqua emolliendi; & discutiendi potestati aduersatur, Id tamen sicuti, & cera, vt quod in suo genere moderatissimum est, passim pro materia tantùm vsurpatur, in qua variæ facultates excipiantur, & esset quidem ad huius medicamenti compositionem, atque ad medicamenti intentionem, quæ præcipua

est vim duros tumores emolliendi obtinet, & coctioni quoque cõferre aliquid potest, sed vt hæc Mesues ex varijs, qualiacunque occurrerant, collegit; ita pharmacopœi est eadem, qualia hic describuntur, conficere; Medicorum verò pro affectuum ratione immutare, ita vt ex ijs quæ à Costæo dicuntur medicamentum hoc potius vim exiccandi, quàm emolliendi facultatem habeat, quod omnibus alijs doctoribus, & communi practicantium scholæ, & experientię ipsi repugnat.

Vnguentum Viride Maius.

℞. Ceræ nouæ,
Resinæ, **
Terebinthinæ ana vnc. iiij.
Thuris,
Masticheś,
Viridis æris ana drach. iij.
Confice secundùm artem.

Recentia vulnera, & quæ non magna sunt, sanat.

Vnguentum Basilicon Magnum Mesuæ.

℞. Ceræ albæ,
Resinæ pini,
Seui vaccini, **
Picis naualis,
Terebinthinæ,
Thuris,
Myrrhæ,
Colophoniæ ana partes æquales.
Olei quantum sufficit, & fiat vnguentum.

Vlcera phlegmone carentia, præsertim partium neruosarum mundificat, & carne implet.

Ad biennium durat.

Istud vnguentum basilicum, quod, & tetrapharmacum impropriè dicitur, minus verò potest dici tetrapharmacum, quòd verè ex quatuor rebus nõ constet. In huiusmodi basilico videtur esse difficultas quædam; nam cùm Mesue dicat conuenire vlceribus, in quibus non est intemperies calida, præsertim partium neruosarum; in alio verò textu scriptum est conuenire vlceribus, in quibus est calefactio; Christophorus scribit vbique hoc vnguentum descriptum haberi, & esse in comuni vsu, & semper præparatum reperiri; & est conueniens vulneribus consolidandis, neruorum maximè, & capitis, quibus non coniungitur mala complexio calida: est enim mundificatiuum vlceribus, & ad ipsa consolidanda valet.

Et Manardus dubitat, quomodo valeat vulneribus, in quibus est calefactio, cùm sit calidum, proinde putat deesse negationem, & legendum non esse calefactio, hoc est dictu, quod ea vlcera consolidat, in quibus non est calefactio, & ita scripsisse Auicennam dicit: Costæus verò scriptum reliquit huiusmodi medicamenti vsum esse ad vlcera cum leui inflammatione Galeni exemplo, nec est à ratione prorsus alienum, neque inconsultò negatio addenda est, vbi constanter vetus versio affirmat.

Vnguentum Basilicum Minus Mesuæ.

℞. Resinæ,
Picis,
Ceræ ana partes æquales.
Olei quantùm sufficit.

Vnguentum hoc à viribus, quibus pollet maximis ad humores coquendos, seu suppurandos, basilicum, seu regium dici notat Renodæus, constareque, vel quatuor tantùm simplicibus, ob id tetrapharmacum dictum, seu basilicum maius appellari, & vtrunque esse suppuratiuum, aut pus mouens; quamuis simplex imbecillius sit composito, & minus calidum, & veluti temperatum, propterea coquendis, & in pus vertendis humoribus magis idoneum: & re vera maturatiuum medicamentum temperatum est, & calori nostro natiuo cognatum. Vnde docente Galeno sua quantitate potiùs agit, quàm qualitate, & contra remollientia medimenta potiùs qualitate, cùm sint validiora, non ita tamen superfluum humorem absumere.

Hinc

Hinc ergo basilicum minus, quod tetrapharmacum est quasi symmetrum, optimum suppuratorium est, & humores coquendo in pus ritè conuertit, non secus atque manus vola temperatissima parti cuipiam prauis humoribus scatenti longo tempore admota.

Ad huius basilici confectionem resina, & pix nigra, quæ non dum nauibus inseruiuit, accipienda, est, & cum oleo primum liquanda, & vbi parum refrixerint pistillo agitanda, vt vnguenti consistentiam acquirant: huiusmodi vnguentum dolorem mitigat, humoremque noxium parti impactum coquit, illius acrimoniam lenit, & carne vlcera implet.

Vnguentum Macedonicum.

℞. Ceræ,
Colophoniæ,
Picis,
Pinguedinis vel medullæ, vitulinæ,
Thuris electissimi ana vnc. ij.
Misce, & secundùm artem fiat vnguentũ cũ cęteris, & ab igne sublato thus tenuissimè puluerizatum inspergatur, per hyemem si conficiatur cæteris paulo maior debet esse pinguedinis portio.

Vulnera concoquit, & replet.

Durat ad annos duos.

Vnguentum Tetrapharmacum.

℞. Ceræ,
Colophoniæ,
Picis,
Medullæ, vituli ana vnc. iij.
Fiat vnguentum secundùm artem ita vt de Macedonicum.

In vulneribus pus mouet, & præcipuè in fracturis capitis.

Aequali tempore durat.

Vnguentum ad Vrinam Mouendam.

℞. Olei scorpionum simplicis vnc. ij.
persicorum,
nardini ana vnc. semis.
nuclei cerasorum,
terebinthinæ ana drach. ij.
Succi seij,
erucæ,
raphani,
sysimbrij aquatici ana vnc. semis.

Coquantur ad succorum consumptionem, & adde
Adipis cuniculi taxi ana vnc. j.
Specierum electuarij iustini vnc. semis.

Cerę quantùm sufficit, fiat vnguentum, ex quo vngatur renum regio, vesicæ, & perinæi.

Vnguentum ad Menstrua prouocanda.

℞. Olei pulegij,
sabinæ,
cinnamomi ana vnc. j.
cheirini,
irini ana vnc. semis.
Axungiæ anseris antiquæ vnc. j. & semis.
Marmottæ vnc. j.
Olei spicæ odoratæ drach. ij.
Terebinthinæ vnc. j.
Pulueris sabinæ,
Pulegij,
Rutæ ana drach. ij.
Seminum apij,
Scœnanthi,
Spicæ celticæ,
Granorum iuniperi,
Aseri ana drach. j.
Ceræ quantùm sufficit, fiat vnguentum.

Vnguentum ad facilitandum Partum.

℞. Axungiæ gallinæ,
anatis,
anseris,
porci ana vnc. ij.
Butyri recentis,
Olei irini ana vnc. j.
Trochiscorum de myrrha vnc. semis.
Aristolochiæ vtriusque,
Cinnamomi,
Styracis,
Myrrhæ ana drach. j.
Ceræ quantum sufficit, fiat vnguentum.

Vnguentum ad Retentionem Fœtus.

℞. Radicis bistortæ,
Corticis castanearum ana drach. ij.

Lapidis hæmatitis vnc. ſemis.
Lachrymæ draconis,
Balauſtiorum,
Aluminis,
Acaciæ,
Hypociſthidos ana drach. j.
Roſarum rubearum drach. j. & ſemis.
Ceræ vnc. ij.
Olei myrtini,
roſati omphacini ana vnc. iij.
Aceti,
Vini,
Succi cydoniorum ana vnc. iiij.
Vngatur venter inferior, & renes.

Vnguentum ad profluuium Capillorum.

℞. Ladani vnc. ſemis.
Thuris drach. ij.
Infunde per duodecim horas in oleis roſati omphacini, & myrtini ana quantum ſufficit.
Et cum modico ceræ fiat vnguentum.

Vnguentum ad Hæmorrhoidas Pharmacopœæ Auguſtanæ.

℞. Thuris vnc. mediam.
Licij,
Myrrhæ,
Croci ana drach. iij.
Opij drach. j.
Decoquantur in lactis caprini vnc. quatuor, ad conſumptionem tertiæ partis, cui adde
Mucilaginis pſyllij vnc. ſemis.
Olei roſati vnc. iij.
Vitellum oui j.

Vnguentum pro Hæmorrhoidibus Saxoniæ.

℞. Mucilaginum ſeminum pſyllij,
cotoneorum ana vnc. ſemis.
Olei roſ. completi vnc. j.
Ceræ citrinę parum,
Vitelli oui num. j.
Fiat vnguentum ſecundùm artem, quę eſt, vt mucilagines extractæ ſint cum aqua ſolatri, deinde diſſolue etiam cum oleo, & in mortario plumbeo miſceantur diligenter, addendo reliqua, & ita per ſex horas maneant.
Durat per menſem.

Aliud Vnguentum pro Hæmorrhoidibus Benedicti Victorij Fauentini.

℞. Olei violati,
Butyri recentis,
Olei ſeminum lini ana vnc. j.
Vitellorum ouorum recentium num. iiij.
Aqua florum violarum quantum ſufficit.
Ceræ albæ drach. vj.
Fiat in mortario plumbeo S. A.
Durat per menſem.
Modus ipſum componendi talis eſt. Oleum abluatur aqua florum violarum, quod cum cera, & butyro ſimul liquefiat; poſtea reponatur in mortario plumbeo, & oua ibi adiungantur, & miſceantur omnia per aliquod temporis ſpatium, ſeruetúrque in mortario plumbeo ad vſum.

Vnguentum Digeſtiuum Magiſtrale Antidotarij Bononienſis.

℞. Olei roſ.
Terebinthinæ ana lib. j.
Ceræ albæ vnc. vj.
Lauentur cum aqua plantaginis, & fiat vnguentum.
Durat per annum.

Vnguentum Aureum Meſue.

℞. Ceræ nouæ vnc. vj.
Olei communis lib. ij. & ſemis.
Therebinthinæ vnc. ij.
Reſinæ pineæ,
Colophoniæ, idest picis grecæ ana vnc. j. & ſemis.
Thuris,
Maſtiches ana vnc. j.
Croci drach. j.
Subtiliter puluerizentur, maſtiches, thus, & pix ſeorſim primò, vltimò ſimul vniantur, deinde liquefactis oleo, cera vltimò, terebinthina, & ſic infrigidatis addantur pulueres, & ſubſequatur crocus baculo agitando.
Vulnera, & plagas glutinat, & per biennium durat.
Iſtud vnguentum dicitur aureum, quia opti-

optimum, & excellentius est inter vnguenta, sicut aurum inter metalla. Inquit Syluius id vnguentum ab auri pretio, & colore dictum esse; est enim omnium pręstantissimum, vnde non sunt audiendi, qui dicunt colorem hunc accipere à cinnabari, cùm ab illa minimè recipiat.

Notat hic Manardus resinam colophoniam pro eadē re intelligendam esse, si simul coniuncta scribantur, si distincta per resinam pineam, per colophoniam, ea, quæ colophone affertur. Notat etiam Costæus antiquos resinæ nomine absoluto, terebinthinam intellexisse, quasi inter resinas omnes principem. Apparatus huius vnguenti facilis est admodum, vt ne quidem tyrunculos artis lateat, rectéque admonet Renodæus perperam facere, qui lucri potiùs, quàm nominis auidiores absque croco, & mastiche parant; sic enim immutata illius virtute, & colore negato, nec amplius aureum, nec regium est.

Vnguentum è Citrijs, vel Citrinum, vel de pomo Citrij.

℞. Chrysocollæ drach. ij.
Camphoræ drach. j.
Coralli albi vnc. semis.
Gersæ serpentariæ vnc. j.
Amianthi, idest aluminis plumæ vnc. j.
Vmbilicorum maritimorum,
Tragacanthæ,
Amyli
Chrystalli,
Antali, idest calcinellorum,
Dentali idest, conchularum marinarum paruarum,
Olibani albi,
Nitri ana drach. iij.
Alabastrites, idest alabastri drach. ij.
Cerussæ vnc. vj.
Axungiæ porcinæ recentis non salitæ, sed mundę lib. j. & semis.
Seui caprini præp. vnc. j. & semis.
Adipis gallinacei præparati vnc. j.

Axungiam porci, & adipem gallin. in duplici vase simul liquefacito, & illis adhuc tepidis impone corticum citrij mali minutim incisorum eam, quam possunt sustinere, quantitatem, macerenturque per mensem vnum, postea colentur, & adde seuum caprinum, deinde reliqua tenuissimè trita semper agitando ad ignē. Vltimò insperge camphoram, & boracem seorsim subtilissimè trita semper agitando, donec refrixerint.

Ad liuores, & lentigines faciei, & cicatrices subtiliandas, & dealbandas pollet. A sole factas vstiones, impetigines, ac pustulas à salsa pituita in cute apparentes, & ad oculorum ruborem tollendum efficax est.

Seruatur per annos duos, & quandiu bonum seruat odorem.

Huiusmodi vnguentum tam à scriptoribus celebratum, & ab omnibus ferè, qui de hac materia pharmaceutica tractant, descriptum, videtur mihi magis operosum ad sui compositionem, quam vtile pro morbis auferendis; nam videtur magis ad artem cosmeticam, seu exornatoriā, quàm ad morborum curatricem spectat; quia, vt rectè admonet Renodæus, constat multis, quæ cutem erugant, & detergunt, prauumque illius colorem emendant, meliorem conciliant, & ad laudabilem statum reducunt; & quamuis nomen habeat à citrio, non colorem, assumit quia album est, inde citrium potiùs, quàm citrinū appellari posset, at nec curandum est de nominibus, dummodò rem ipsam declaratam habeamus.

Verùm, vt inquit idem Renodæus, cùm multis nominibus, seu vocibus Barbaris sit repletum, explicatione indiget, ne vocum ambiguitate, ac multiplici acceptione Pharmacopœi tyrones decipiantur, ideo pro amiantho, seu amento dulci, alumen scissum vulgò plūbeum, non gypsum coctum sumatur: pro vmbilicis marinis intelligantur belliculi marini, figuram vmbilici humani referentes: pro antalio rubus quidem marinus intelligendus est longitudine digiti minoris, foris triatus, & inter buccina numeratus: pro dentalio conchula parua, longa, rotunda, candida, intus leuissima, incurua, altera parte acuminata, in qua vermis marinus viuit, & aliquando exit, & cùm antalia, & dentalia, conchylia sint, & veluti buccina, non malè ipsorum defectu turbines marini, & cochleæ vsurpantur:

pantur: per gersam, aut velut cerussa quę intelligenda est ex radice diacantheæ, seu serpentarię; vel eius penuria ex radice iari, & aqua rosarum confecta, cuius prę-pararatio ab eodem Renodæo ad hunc modum affertur.

Radices dracontee, seu serpentariæ maioris vere collectæ abluendæ, à sordibus purgandæ, & siccandæ, deinde in mortario lapideo tenuissimè puluerizādę, & fictili, aut vitreo vasi idoneo exceptæ aqua rosarum insuccandi, tum lænteo tecto ad solem siccandæ, postea rursus terendæ rosacea irrorando, & vt ante insolandæ, & exiccandæ (his omnibus ter, quaterque iteratis) tandem puluis vino odore madefaciendus, & in pastillos cogendus, qui in vmbra siccati vsui reponendi sunt, & pro gersa vsurpandi.

De præparatione.

Præparatio huius vnguenti sic suscipitur: axungię primùm simul in vase fictile liquantur, quibus duo mala citria in talleolas secta noctem integram macerātur, mane sequenti coquuntur, & percolantur, interea marmor, chrystallus, corallium, vmbilici, antalia, & dentalia tenuissimè puluerizentur, vt etiam reliqua, sed seorsim, maximè verò cāphora, amylum, thus, amianthum, & borax; gersa autem, quòd friabilis sit, leui ad cribrum inuersum attractu comminui solet, omnia vt decet leuigata, adipibus liquatis, colatis, & adhuc calentibus commiscebuntur, & agitabuntur, vt concrescant in vnguentum; minor enim videtur quantitas adipis ad pulueres, qui propterea minuendi, vel ille augendus; nam pro libra pulueris sępiùs pharmacopœi axungiæ requirunt, vel adipis libras septem, aut octo, ferè autem puluis seruatur, & rectè, atque vtendi tempore axungijs commiscetur; sed huiusmodi pręparatio tam laboriosa, atque difficilis superat omne emolumentū, quod ab hoc vnguento haberi potest.

Vnguentum Defensiuum Optimum.

℞. Foliorum, & baccarum myrti,
Rosarum rubearum,
Gallarum,
Corticum granatorum,
Balaustiorum,
Boli Armeniæ Orientalis,
Sang. draconis veri omnium subtiliter
puluerizatorum ana vnc. semis.
Olei ros. omphacini,
rosati compositi odorati,
myrtini compositi ana vnc. viij.
Aceti ros. parum.
Ceræ albę cum oleis ante puluerum inspersionem dissolutę quantum satis est, & fiat vnguentum mediocris consistentiæ.

Cuius facultas erit efficax per annum.

Distortis articulis, & contusis partibus statim ab initio admotum mirificè prodest; dolorem enim sedat, influentem humorem cohibet, affluxum digerit, & laborantem articulum roborat.

Vnguentum de Calce simplex.

℞. Calcem viuam septies aqua rosa ablutam, & totidem cum oleo omphacino, vel rosaceo concute ad formam linimenti. Adde albumina duorum ouorum, & ceram quantum sufficit.

Valet ad ambustos, ex quauis causa, ad pruritus erysipelata, & antiqua tibiarum vlcera.

Non durat vltra annum, propter facilem albuminum corruptionem.

Istud genus vnguenti potest fieri varijs modis, primò sunt aliqui, qui calcem viuam semel abluunt, & in fundo residere permittunt, & aquam spongia exprimūt diebus decem continuis, deinde aqua rosacea lauant, eamque exiccari permittunt, deinde recipiunt huius calcis ita præparatę vnc. iij.
Olei rosati lib. j.
Cerę albę vnc. iij.

Ceram in oleo liquant, huic ab igne exemptę, & iam concrescere incipienti calcem leuissimè tritam admiscent, & reponunt.

Alij hoc modo parant, calci viuę superinfundunt aquam puram, cui mox detractę addunt tantundem olei communis, & agitant simul, donec fiat vnguentum.

Alij accipiunt calcem, & tenuissimè contundunt, atque in mortario cum oleo rosato quantum sufficit, faciunt vnguentum,

tum, illudque per spatium duarum horarum miscent. Huiusmodi vnguentum pro ambustis valde elegans est, & quamuis ab Auicenna fuerit descriptum nihilominus non est in vsu.

Vnguentum de Cyclamine.

℞. Olei laurini,
Butyri recentis ana vnc. iiij.
Olei de capparibus,
Succi cyclaminis,
sysimbrij aquatici, aliàs crescioni,
Ceræ citrinæ ana vnc. ij.
Cetrach subtiliter puluerizatæ vnc. v.
Misce, & bulliant ad consumptionẽ succorum, & fiat vnguentum secundùm artem.

Splenem obstructum, & induratum mirè iuuat.

Non seruatur vltra annum.

Vnguentum ad Auferendam Carunculam, seu Carnositatem in Virga.

℞. Resinæ pini,
Ceræ citrinæ ana vnc. j.
Olei sulphuris optimi vnc. ij.
Antimonij præp. subtiliter pulu. drach. j.
Misce, & lento igne fiat vnguentum.

Durat per biennium.

Aliud Vnguentum ad idem.

Pul. sabinæ,
antimonij, præparati.
præcipitati optimi ana drach. j.
Olei chalcanthi drach. v.
Misce, & cum modico ceræ excipiantur, & fiat vnguentum.

Duratio eadem.

Vnguentum post ablatam Carunculam.

℞. Olei amygdalarum dulc. recentis vnc. j.
Terebinthinæ claræ,
Pulueris cerussæ ana drach. ijs.
Cum modico cerę misceantur, & fiat vnguentum.

Melius est vsus tempore, tunc recens componere.

Et hæc de vnguentis: multa alia reperiuntur apud Vuecherum, Bertaldum, & alios.

DE CERATIS.
CAPVT XXX.

QVæ ab omnibus cerata appellãtur, vix in hac Mamertina Ciuitate, & in toto Siciliæ Regno sunt vsualia; omnia enim medicamenta externa, quæ crassarum sunt partium cuti apponenda vocant emplastra more Gręcorum, quę Paulo chiracopa, & ab aliquibus etiam malagmata dicuntur, de his loquitur Galenus 7. de compositione medicamentorum per genera cap. 13. & Paulus de chiracopis scribit lib. 7. cap. 20. Iam verò, quæ à nostris nuncupantur, vt dixi cerata, pręter pinguedines, olea, & ceram, alia medicamenta admittunt etiam resinam, vt possint diutiùs, firmiùs, ac tenaciùs adhærere. Admonet Bertaldus à modernis cerata, exempli causa diacalcithes, & alia quæ verè cerata sunt, inter vnguenta describi, vt est infrigidans Galeni, ceratum santalinum Mesuæ, & alia id genus, quę verè cerata dici deberent, quòd ceram multam contineant.

Ceratum verò propriè, ac legitimè sumptum, medicamentum est formam mediam habens, inter emplastrum propriè dictum, & vnguentum; non enim ita molle est, vt vnguentum, nec ita solidum, vt emplastrum, quæ si propriè considerētur crassiorem, & solidiorem habent substantiam. Cerata autem constant ex rebus metallicis, & tandiu coquuntur cum suis liquoribus, quousque manus non amplius inquinent, vt diachylon, & diapalma.

palma. Est alia species, cerati, quæ constat ex resinis, gummi, & pulueribus, & cerata appellantur, quia cum his ceram etiam permiscent, similiter, & oxicrocium, & ista firmius inhęrent ipsis emplastris. Sunt modò, & alia, quæ multùm olei recipiunt, ceræ verò parum, & cerolea rectè nuncupantur, sub quo genere posset collocari infrigidās Galeni, santalinū, & alia id genus; minus quoque propriè cerata nuncupantur, si adipes, axungiam, butyrum, œsypum, medullam, & stactem admittant, sic etiam, cùm emplastra oleis permiscentur, vt liquidiora fiant, cerata etiam dicuntur, quapropter cerata, siue propriè, siuè impropriè accipiantur, constant ex oleis, cera, ac aliquando additis pulueribus: adiunguntur præterea metalla, vel mineralia, animalium partes, gummi, resinæ, & id genus, quę etiam omnia sunt emplastrorū materia, sed quia recipiunt nonnunquam oleum, & metallica multa, ob id impropriè cerata dicuntur, si ceram non admittant, vt est diacalcitheos, diachylon, & huiusmodi.

Quę verò ceronea dicūtur, non solùm ex prędictis rebus constant, sed maiorem picis copiam, resinę, & gummi recipiunt, ad hoc vt firmiùs adhęreant; tametsi sępè confunduntur cerata, & emplastra.

Est, & alia cerati species impropriè dicta, sed magis propriè dicitur sparadrappum, quod Empirici componunt ex ceratis, siue emplastris liquefactis, in quibus telam vetustiorem immergūt, & sępè eam inculcant, donec vtraque telæ superficies coinquinetur, & benè incrassetur, quo peracto permittunt ipsam telam paulùlum refrigescere, postea ita incrustatam supra lapidem ponunt, qui oleo, vel aqua aspersus sit, & ligno, vel vitro vtramque superficiem telę adæquāt. Est tamen animaduertendum, differentiam huius medicamenti non sumi à tela, sed à rebus, ex quibus componitur.

Alia sunt cerata, quę ex emplastris adstringentibus ac roborantibus componuntur catagmata dicta, quę vsurpari solent ad ossa attrita, luxataue, ad ea solidanda, restauranda, ac roboranda, vt est ceratum Ioannis A vigo pro fracturis, alia tandem sunt, quę facultatem exiccandi, & vlcera cicatrizandi habent, qualia sunt, epulotica, vlceribus accommodata, inter ea, quod vsitatissimum est illud, spasadrappum Vigonis appellatur.

Ceroneorum, & ceroleorum pulcherrimā instituit tabellam Lud. Bertaldus libro de ceratis trac. 4. cap. 3. vbi, & facultates ipsorum, multorumque formas, & figuras describit eodem tractatu cap. 6.

De modo componendi Cerata.

Varia apud scriptores est dosis ceræ pro concinnandis ceratis; nam alij idem pondus obseruant, vt in vnguentis, vt scilicet pro quauis vncia olei drachma vna accipiatur, aut drachma vna, & semis specierum, cerę verò vnciæ sex, vel paulò plus cum pauca resina. Fuchsius cerę quadruplum esse vult, vt si olei sint vnciæ duæ, ceræ sint vncia sex. Sunt etiam quædam cerata, quæ maiorem ceræ quantitatem, quàm olei admittuntur, vt apparet apud Valerium Cordum in suo cerato de mucaginibus, quod recipit vncias viginti ceræ, olei verò vncias quatuor, & semis, & terebinthinæ vncias duas.

Verùm idem Fuchsius vnum animaduertit, quòd Medici, & pharmacopœi, arbitrio eorum possint, & ceram, & oleum recipere, vt nunc solidius, nunc nitidius ceratium faciant, quod Mercurialis omninò reprobat. Primò quia, si liceret vnicuique ponere eam quantitatem, quæ sibi placeret, nulla appareret ars. Secundò si liceret huic vnam proportionem seruare, & illi alteram, atque nihilominus ij rectè facerent, sequeretur sub diuersis proportionibus, vnam & eandem vtilitatem habere, quod absurdum est, ideo semper seruanda est proportio: est autem talis, vt pro qualibet vncia resinę, vel ceræ vncia semis pulueris accipiatur, minus verò olei, quàm fieri potest, eò quòd oleum prohibet cōsistentiam; quare cum multiplicatur oleum, necessarium est multiplicare resinas: unde Galenus de medicamentis per genera in emplastris viridibus Archigenis conficiendis monet re-

net resinam debere esse duplum ceræ, vt sint exempli gratia, resinæ libre duæ, ceræ libr. vna olei vnciç tres; quare sufficit vnc. vna olei ad libram vnam resinæ, & ceræ.

Admonet etiam idem Mercurialis, quòd postquam confecta sunt cerata, esse iterum liquanda, atque alijs medicamentis miscenda; additque ex Galeno lib. 1. de medicamentis per genera, esse eliquanda, & permiscenda in duplici vase, & non ad ignem, vt chirurgi, ac pharmacopœi faciunt; nam si friguntur olea, & pinguedines, valdè deprauantur, ex cuius quidem viri auctoritate, melius est proportionem seruare, in conficiendis ceratis, non autem permittere onus pharmacopœis. In Græcorum emplastris sumitur vncia vna pulueris, metallorum vncia vna, & semis, olei, ceræ vnciæ quatuor, ad oleum libra minus: verùm si resinam admittant, in cæteris obseruandi sunt canones Mesuç, & aliorum doctorum.

De vsu Ceratorum.

Vsus ceratorum est, vt firmiùs adhæreant partibus, quàm olea, & linimenta. Notat Bertaldus, quòd vbi partes præ nimio sensu, aut dolore crassius medicamentum sustinere non valeant, tunc cerata liquidiora esse oportet, quale est ceroleum, vel alia emplastra ad similem formam redacta. In alijs verò crassiora fiunt, vt diutiùs, & firmiùs hæreat. Cerata autem ad medicos vsus destinata, administrantur, vt vnguenta, & linimenta, vt est infrigidans Galeni, quod vsurpatur ad inflammationes, & erysipelata, & ad alios vsus; alia verò calida admouentur, vt est ceratū Gal. pro stomacho; alia quidem supra corium, vel alutam distenduntur, sicut sunt ferè omnia alia cerata.

Solent varia cerata simul admisceri, vt reliqua medicamenta, vel ratione concursus morborum, affectæ partis, vel causarū; in hoc ordine sunt etiā symptomata superuenientia, constitutio temporis, regio, ætas, & tempora morborū. Cæterùm cerata, veluti alia localia, non nisi purgato corpore administrantur, nisi adsit aliquod impedimentum; vnde in fluxionibus cerebri in principio applicātur capiti ad fluxionem cohibendam.

In coctura ceratorum oleum seligendum est nouum, seu vetus, siue salsum, nec non maturum, vel immaturum, lotum, vel illotum, simplex, aut compositū, igniquе vel balneo tepenti cum cera noua, vel alba, aut resina, vel pingue; aut vnctuosum aliquod simile positum liquefiat; demum colentur, & in fine adijciantur pulueres, & reponantur: quod si ablui desiderent, abluantur antequam pulueres permisceantur. Pinguia debent esse repurgata, & cum metallicis nutritis permiscentur, ac coquuntur.

Cerata à partibus nomen mutuarunt, vt stomachica, alia à numero, vt diapentes, alia à morbo, vt ceratum ad herniam Arnaldi, ab Auctore, vt ceratum Andromachi; & rursum quæ cerata dicuntur verè differunt à linimentis, & vnguentis, quòd ceram recipiant. Alia, quæ resinam, lachrymas, aliaque simplicia sicca recipiunt, non admodum ab emplastris differunt; vt ceratum ad herniam Arnaldi, licet mollius, vt adhæreat esse debet. Si verò ceratum durius desideretur, diutiùs coqui debet, aut ei plus ceræ, aut resinæ adhibeatur. Nolo hic præterire Rondoletij ceratum ad dolorem iuncturarum.

Ceratum ad dolorem iuncturarum.

℞. Mucaginis fœnigræci ex aceto vnc. iiij.
Farinæ seminum lini,
Pulueris chamomillæ,
Hermodactylorum ana drach. ij.
Olei vulpini lib. semis.
lumbricorum,
de croco ana vnc. iij.
Incorpora cum cera, & fac ceratum.

Huic cerato iam descripto, placet addere formulas quasdam, & primò.

Ceratum pro Ventriculo.

℞. Cinnamomi selecti,
Caryophyllorum ana drach. j.
Galangæ,
Macis drach. semis.
Nucis moschatæ scrup. ij.
Calami odorati drach. j. & semis.
Ligni aloes scrup. j.
Galliæ moschatæ,
Balaustiorum ana vnc. semis.

Rosarum purpurearum drach. ij.
Mastiches,
Ladani ana drach. j.
Oleorum mastichini,
menthæ ana vnc. j. & semis.
rosacei vnc. semis.
Cum vncia semis ceræ, terebinthina, & resina, quod satis est, fingatur ceratum; scutiforme ventriculo adhibendum, & serico obducatur.

Ceratum ad Vterum.

℞. Olei eryngij vnc. j. & semis.
liliacei,
nardini ana vnc. j.
nucis moschatæ,
Calami odorati,
Cinnamomi ana drach. j.
Artemisiæ,
Abrotani,
Saluiæ ana drach. j. & semis.
Opopanacis,
Sagapeni ana drach. ij.
Dissolutis gummi in vino cum cera, quod satis est, fiat ceratum vtero admouendum.

Ceratum adstringens.

℞. Ceræ,
Terebinthinæ ana vnc. ij.
Picis naualis vnc. j.
Thuris,
Myrrhæ ana drach. ij.
Opopanacis,
Bdellij ana drach. j. & semis.
Lithargyri,
Lapidis magnetis ana drach. ij. & semis.
Mumiæ drach. j. & semis.
Oleorum rosati vnc. ij. & semis.
myrtini vnc. j. & semis.
Cum istis omnibus iuxta artem fiat ceratum.
Sunt modò, & alia cerata, quæ communia dicuntur, ab omnibus Antidotarijs descripta, & præsertim à Bononiensi, & primum est illud, quod sequitur.

Ceratum, seu Vnguentum Barbarum Galeni.

℞. Picis,
Ceræ,
Resinæ pini,
Resinæ frictæ,
Bituminis ana lib. j.
Lithargyri drach. x.
Cerussæ drach. v.
Aeruginis drach. v.
Opopanacis drach. iij.
Olei, Hyeme vnc. viiij. Aestate verò vnc. vj.
Quæ liquari possunt, siccis in mortario aceto leuigatis, affundantur.
Redditur ad sedandum dolorem aptius, addendo hyoscyami, opij ana drac. j. & semis.
Ad recentia vulnera, scirrhos, hominumque morsus, condylomata inflammata, ad articulorum vitia omnia in principio, & ad podagram valet.
Durat ad annos duos.

Ceratum Barbarum, ex Paulo lib. vij.

℞. Bituminis Iudaici,
Picis naualis,
Ceræ,
Resinę pineę ana lib. j.
Terebinthinę vnc. ij.
Spumę argenti vnc. j.
Cerussę vnc. j. & semis.
Mannę thuris,
Opopanacis,
Zingiberis ana vnc. ij.
Olei veteris, vel ros. vnc. iij.
Aceti quantum sufficit.
Cruentis vulneribus vtile, & pręcipuè sutura coniunctis, fracturarumque callos roborat.

Ceratum, siue Vnguentum, siue Emplastrum Isis, Pauli Aeginetæ lib. vij.

℞. Squamæ ęris,
Aeris cremati,
Mali terrę rotundi,
Salis ammoniaci,
Thuris,
Ammoniaci electi ana vnc. j.
Aluminis scissilis drach. vj.
Myrrhę,

Aloes,
Galbani ana vnc. j. & semis.
Succi rad. dracunculi vnc. j.
Ceræ citrinæ lib. j.
Colophoniæ lib. ij.
Olei veteris vnc. iij.
Aceti quantum sufficit.

Hoc medicamentum, si sub dosi trium vnciarum olei conficiatur, solidam cerati, vt vocant, formam acquiret; si quis autem substantiam vnguenti velit efformare, libram vnam olei reliquis admisceat.

Scirrhosis tumoribus emolliendis, ac strumis, pedumque clauis mirificè prodest.

Efficax est per annos binos.

Ceratum Diachylon magnum descriptione filij Zaccharia ex Mesua.

℞. Lithargyri mundi tenuissimè triti, & per cribum excussi lib. j.
Olei irini,
chamomæli,
anethini ana vnc. viij.
Mucilaginis sem. lini,
fœnugræci,
ficuum pinguium,
passularum,
Succi ireos,
scyllæ,
Glutinis alchanach, idest piscium ana drach. xij. & semis.
Terebinthinæ vnc. iij.
Resinæ pini,
Ceræ citrinæ ana vnc. ij.
Conficiatur secundùm artem ceratum.
Fiat etiam cum gummi. Gummi sunt.
Bdellij,
Sagapeni,
Ammoniaci ana vnc. j.
Idem præstat, quod superius, sed valentiùs.

Dummodo non excedat annum.

Istud ceratum à Mesue scribitur inter emplastra, & videtur ab eo dupliciter descriptum: vnum est, quod appellat emplastrum diachylon magnum, aliud verò dicit esse expertum à filio Zaccharia, & istud est, quod ab Antidotario Bononiensi describitur sub nomine filij Zacchariæ, illudque est diachylon magnum sine gummi, aliud verò cum gummi, vnde Renodæus duplex instituit caput huius medicamēti, à Pharmacopœa Augustana quatuor differentiæ diachylonis describuntur, vnum quod diachylon compositum appellat, & est emplastrum de mucaginibus, aliud diachylon magnum, & tandē aliud, quod dyachilon cum gummi Vigonis appellat. Magnum istud diachylon illud prorsus est, quod supra descripsimus ex mēte Mesuæ, in cuius quidem descriptione, & apparatu Paulus Aegineta multùm dissenti à Mesue, Oribasius à Paulo, cuius Mesuæ ordinem sequitur Renodæus quodam sed negligit vuas passas, & loco alchanach nonichtiocolam, hoc est piscium collam seu gluten vt plerique auctores ponunt, sed loco huius ponit viscus, quo aues capiuntur, quemadmodū faciebat Petrus de Argillata Bononiensis Chirurgus insignis, qui sæpè hoc emplastro vtebatur, & ipsum proprijs manibus componebat; & omnia hæc siue emplastra, siue cerata appellentur, omnia eadē serie describuntur, quòd non solùm nomine, sed viribus etiam plurimùm conueniant; emplastrum autem diachylon cum gummu Vigonis ab Augustanis ita descriptum est.

Ceratum Diachylon cum gummi Vigonis à Pharmacopœa Augustana descriptum.

℞. Radicum altheæ lib. semis.
Seminum lini,
fenugreci ana vnc. j.
Violarum,
Seminis maluæ,
altheæ,
cydoniorum ana vnc. semis.
psyllij drach. ij.
Radicum ireos vnc. ij.
Olei chamomælini,
anethini,
liliorum,
lini,
irini ana vnc. iij.
Pinguedinis gallinæ,
anatis,
anseris ana vnc. iij.

Olei amygdalarum dulcium,
Oesypi humidi,
Succi glycyrrhizæ ana drach. x.
Terebinthinæ vnc. j.
Seui vitulini lib. semis.

Bulliant omnia simul baculo agitando vsque ad consumptionem mucilaginis, deinde cum cera alba quantùm sufficit, fiat ceratum molle, addendo
Sagapeni,
Opopanacis,
Bdellij mollis,
Galbani ana drach. iij.
Ammoniaci drach. v.

Dissolutis in aceto fiat emplastrum, secundùm artem.

Ceratum Diachylon paruum Mesuæ.

℞. Lithargyri vnc. vj.
Olei veteris clari lib. j.
Mucilag. psyllij vnc. iiij.
iusquiami vnc. j. & semis.
sem. lini,
rad. maluæ ana vnc. ij.

Conficiatur secundùm artem ad spissitudinem cerati.

Idem præstat. Et eodem tempore durat.

Huiusmodi diachylon à quibusdam appellatur diachylon album, vt à Renodæo, & alijs; describitur huiusmodi diachylon ab eodem, alio modo quàm à Mesue; nam aufert ab ipsius descriptione mucilagines psyllij, & mucilagines hyoscyami, vnde finis, & vsus est etiam diuersus, quia Mesues scribit tumores calidos digerere, & maturare. Renodæus verò scribit istud emplastrum esse malacticum; nam hepatis, lienis, ventriculi, & aliarum partium emollit: & tumores duros resoluere, additque in hoc cerato oleum, & lithargyrum potiùs materiam, & corpus præbere, mucagines verò efficaciam actioni, & præparationi; sed cùm mucilagines propositę sint calidę, habent resoluendi facultatem, vt seminum lini, & fænugreci, at diachylon Mesuæ habet facultatem digerendi, & coquendi tumores calidos, quare non est idem diachylon Renodæi cum illo Mesuæ, quod mucilagines seminum hyoscyami, & psyllij admittit, quæ sunt frigidæ naturæ, idque Costæo præbuit occasionem inquirendi *quomodo huiusmodi mucilagines frigidæ*, nempè hyoscyami, psyllij, & maluæ possint componere medicamentum, quod *habeat facultates illas*, quas adscribit Mesue suo diachyloni, cùm calidis inflammationibus sint vsui.

Responderi potest duobus modis, primò, huiusmodi mucilagines inter se mixtę temperant, ita medicamentum vt fiat idoneum, & satisfaciat intentioni à Mesue propositæ; nam applicitum initiò inflammationibus repellit, hyoscyami, & maluæ ratione, in augumento verò ratione totius temperamenti concoquere, & digerere potest: secundò potest etiam, & iisdem temporibus dolorem sedare, siue id fiat ab ipso veluti stupore inducto ipsi parti, siue quòd sua frigiditate calorem internum naturalem per antiperistasim concentrat, siue quòd poros cutis obstruat, plurimùm spiritus, & caloris in ipsam *partem cogens, quo nomine fit illa maturatio*, & digestio, cuius meminit Mesues, vbi dicit hoc medicamentum applicitum digerere, & maturare tumores calidos, quare magis probatur mihi huius diachylonis Mesuei descriptio, quàm Renodæi castigatio, & quamuis ante Mesuem à Serapione, & Auicenna data sit huius medicamenti descriptio, quæ non est talis, qualem descripsit Mesues, ideo rectè mea sententia tota myropolarum familia Mesuem inuentorem ipsius medicamenti agnoscit, quamuis si in singula libra commisceatur ireos vncia vna iuxta Christophori sententiam diachylon ireatū poterit appellari, & habere simul cum emplastica facultate pręterea leuiter dissoluēdi.

Ceratum Oxycroceum Nicolai.

℞. Ceræ,
Picis,
Colophoniæ,
Croci ana vnc. iiij.
Terebinthinæ,
Galbani,
Ammoniaci,
Myrrhæ,
Thuris,

Masti-

Mastiches ana vnc. j. & drach. iij.

Galbanum, & ammoniacum in sufficienti quantitate aceti dissoluantur. Et rursus ad lentorem coquantur, donec acetũ euanuerit. Tunc addantur liquefacta simul, cera, pix, colophonia, & terebinthina. Post quàm omnia sint commixta, inspergito myrrham, thus, & mastichem subtilissimè trita. Vltimò crocum tenuissimum, & fiat secundùm artem ceratum.

Prodest ossium fracturis, eorumque doloribus celeberrimum est præsidium.

Virtus eius est efficax per annos duos.

Oxycrocij duas reperio descriptiones, easque excellentissimas licet vna melior sit altera, & vtraque in communi vsu posita; prima Nicolai ab Antidotario Bononiensi descripta; altera ab Pharmacopœa Augustana deprompta, quæ est ad hunc modum.

Ceratum Oxycroceum Vigonis.

℞. Olei myrtini, ⁂
rosarum,
omphacini ana lib. j. & semis.
Succi radicum altheæ lib. ij.
Radicum, & foliorum fraxini, ⁂
consolidæ minoris,
myrti ana manip. j.
Omnia priùs aliquantulum contusa bulliant in vino nigro quantùm sufficit ad consumptionem medietatis, cum
Myrrhæ,
Thuris ana vnc. semis.

Deinde fortiter colentur, cuius colaturæ addantur.
Seui hircini lib. semis.
Terebinthinæ vnc. ij.
Mastiches vnc. j.

Iterum cum prædictis oleis bulliant ad consumptionem decoctionis, postmodum colentur addendo
Lithargyri aurei,
argentei ana vnc. iij.
Boli Armenię, ⁂
Terræ sigillatæ ana vnc. ij.
Minij drach. x.

Coquantur lento igne, & cum cera noua sufficiente, semper baculo agitando, fiat emplastrum.

Hoc præstantius est priori, quare hoc vti possumus in principio fracturararum, quia multa sunt in eo, quæ habent maiorem reprimendi, & restringendi facultatem, ne humores in partem affectam fluant. Primum oxycroceum maiorem habet resoluendi facultatem, & ideo in fine iam ferruminatis ossibus ad ea corroboranda, simulque ad dolorem leniendum, & robur parti indendum. Ambo deberẽt, & semper in officinis conseruari, quemadmodum in Italia in omnibus officinis, aut saltem in præstantioribus vtrumque seruatur.

Ceratum album coctum.

℞. Olei lib. ij.
Cerussæ lib. j. & semis.
Ceræ albę vnc. iij.

Coquantur secundùm artem, vt ad formam cerati reducantur.

Refrigerat, & exiccat, & per biennium durat.

Ceratum ex Chalcitide, quod à palma Phœnicinum appellatur.

℞. Olei veteris,
Lithargyri ana lib. iij.
Axungiæ veteris purgatæ à membranis, & sale lib. ij.
Chalciteos vnc. iiij.

Liquatis igne axungia, & oleo in vase stannato, asperge lithargyrum, & chalcitim, mouendo continenter tribus palmæ ramis recentibus, & coque ad iustam crassitiem, iniecto ipsi inter coquendum ramo palmæ vno recenti, minutim inciso. Si desideratur palma, agitetur cannæ radice.

Ad vulnera cruenta, tumores pestilentes, & exituras, ad ambusta, rupta, contusa, & inde nata echimomata, valet.

Ad plures annos seruari potest.

Medicamentum hoc à Galeno libro primo de compositione medicamentorũ per genera cap. 4. sub cerati nomine scriptum est: à Mesue verò inter vnguenta describitur, & appellatur vnguentum palmeum, à Galeno verò dicitur ceratum diachalciteos. Multi sunt Pharmacopœi, qui ponentes differentiam inter vitreolum,

lum, incerato verò Galeni ponunt iuxta Galeni sententiam chalcitim, in reliquis verò hæc duo medicamenta sunt similia inter se, quamuis aliqui sint, qui chalcitim vstam ad tres drachmas diminuunt; at Galenus apposuit dosim chalcitidis sine vstione. Renodęus hoc loco scribit eos qui diminuunt dosim chalcitis inter coquendum hoc medicamentum tenellos ramulos palmæ minutim incisos consilio Galeni inijcere, sed Galenus vult ab initio spatha vtendum esse, & tenuia palmæ segmenta inijcienda, vbi medicamẽtum cerato similem consistentiam habuerit; nam si à principio ea immittas, succus iniectorum, quem manere volumus, ex decoctione consumeretur. Vult etiam vt spathæ, qua medicamentum initio mouetur, pars in cacabo intincta, postquam inaruerit, vt quę proprium succum non amplius seruet, amputata reijciatur, quare non rectè videtur dictum, quod isti, qui chalcitis dosim minuunt ex Galeni sententia inter coquendum tenellos ramulos palmæ minutim incisos inijcere debeāt, sed vbi medicamentum cerato similem consistentiam habuerit. Addit aliud Galenus in hoc conficiendo medicamento, quod palmæ ramum non multis diebus ante abscissum arbore esse oportet, quippè temporis interuallo arescit, & succum amittit: pridie igitur per hyemẽ auferatur, æstate vel eodem ipso die, quo coquendum est pharmacum.

Quod ad dosim chalcitidis, inquit, quòd si illius vncię sex immittantur medicamen ad magna vulnera promptius, atque ad ea, quæ cicatricem ęgrè ducũt efficacius fiet. Multi scribunt ex sententia etiam Galeni, quòd vbi palma deficit, eius loco accipiatur arundo, quod tamen non videtur esse rationi consonum; nam palma adstringendi facultatem habet, arundo verò minimè, vnde Galenus dicebat chalcitidi, & palmę repellendi, & adstringendi facultatem inesse, itaque loco palmę accipiatur ramulus alicuius arboris adstringentis, vt quercus, vel mespili, aut balaustij, qui recenter sit incisus. At verò Mesuę ad verbum assumpsit hoc medicamentum à Galeno, quamuis à quibusdam Pharmacopœis loco chalcitidis apponatur chalchantum, seu vitriolum. Multas, & longè plures dotes huic cerato adscribit Galenus per totum caput de compositione medicamentorum per genera, & fortè nullum est huius generis medicamentum, quod virtutibus ęquiparari ei possit.

Ceratum Diadictamni, siue sacrum Gal. V. de compositione medicamentorum per genera.

℞. Olei veteris lib. ij.
Argenti spumę lib. j.
Aeruginis ęris vnc. j.
Squammę ęris drach. vj.
Aloes,
Galbani,
Propoleos,
Aristolochię longę,
Aeris vsti ana vnc. j.
Cerę citrinę vnc. iij.
Colophonię liquidæ, vel eius loco
Terebinthinæ purissimæ lib. semis.
Mannæ thuris,
Ammoniaci pinguissimi ana vnc. j. & semis.
Diphrygis,
Rad. gentianæ ana drach. vj.
Dictamni Cretici drach. x.

Oleum primò cum spuma argenti, donec syncerum, spisiusque reddatur, & manum nihil inficiat, decoquere oportet: vase deinde sublato ab igne, æruginem, & squammas inijcere, ac denuò tātisper, dum nullum recrementum separetur per decoctionem, decoquere, lebeteque rursum deposito, resinam, & ammoniacum liquata immittere, & commouere, quoad cesset feruere, denuoque igni superponere, & vbi parum ebullierint, ęs atque diphryges addere, & tertiò dum incrassescat decoquere. Mox ceram immiscere, qua donec manus non inquinet, decocta, propolis addatur, & paulò post his admodum refrigeratis aloem, mannam thuris, dictamnum, aristolochiam, gentianam, omnia in pollinem leuigata inserges.

Facit ad recentia vulnera cruenta, neruorum pręcisiones, vetera vlcera subpascentia, contusa, putredines, carbunculos,

los, parotidas, perniones, abſceſſus, ſtrumas, furunculos, durities, & quàm plura alia, quæ leguntur apud Gal. lib. v. cap. 1. de compoſ. med. per gen.

Tribus annis ſeruari poteſt.

Ceratum Oeſypi Gal. adſcriptum Meſuæ.

℞. Ceræ flauæ vnc. iij.
Olei chamomęli,
irini ana lib. ſemis.
Maſtiches,
Terebinthinæ ana vnc. j.
Spicæ nardi drach. ij. & ſemis.
Croci drach. j. & ſemis.
Reſinæ vnc. ſemis.
Oeſypi vnc. x.
Fiat ceratum.

Emollit, & digerit tumores duros hepatis, ſplenis, vteri, neruorum, iuncturarum, & aliarum partium, eſtque anodinum.

Et durat per annum.

Tria cerata œſypata deſcribuntur à Meſue diſt. 11. de vnguentis, & emplaſtris; quorum primũ appellat œſypi Galeni, aliud Filagrij, & tertiũ Pauli, quamuis Paulus ſuum ceratum œſypatum alio modo deſcribat, quàm hic à Meſue deſcribatur, eoque relicto, ſunt aliqui, qui magis recipiunt ceratum Filagrij, alij verò magis adhęrent opinioni illius, qui Galeno adſcribitur, idque probatur magis à Collegio Bononienſi, iſtudque magis in vſu eſſe videtur, proptera venio in hanc opinionem, vt qui iſtud componit, & cõſeruat, poteſt alijs duobus carere, & quoniam œſypus eſt ipſius baſis, ideo à Meſue deſcribitur, quomodo fiat œſypus, nempè vult, vt accipiãtur ouium lanę ſuccidæ libræ circiter quinquaginta, aqua calida horis octo merguntur, ſemel feruefiunt, exprimuntur, colatum reliquum igni lento in vaſe ſtanneo, vt ille loquitur, percoquitur ſemper ad mellis fluxilis craſſitiem, fundum mouendo lata rudicula lignea, ne vratur.

Modus autẽ cõponendi: medicamentũ primò ſeorſim puluerizatur crocus, maſtiches, ſpica, & ſtyrax, ſi apponatur, vt puto eſſe ponendum, deinde omnium pulueris commiſcetur, ammoniacum in aceto maceratur, liquatur, & coquitur ad mellis conſiſtentiam, poſtea cera in oleis liquatur, quibus omnibus ab igne ſubtractis, miſcendus eſt œſypus, tunc ammoniacum ſolutum, & terebinthina, tandem pulueres ſemper agitando, quouſque accipiant formam, & ſpiſſitudinem cerati.

Ceratum Galeno adſcriptum, ſtomachum confortans, ex Meſuæ.

℞. Roſarum,
Maſtiches ana drach. xx.
Foliorum abſynthij ſicci drach. xv.
Spicæ Indæ drach. x.
Tere ſubtiliter, & accipe,
Ceræ mundæ vnc. iiij.
Olei roſ. lib. j. & ſemis.

Diſſoluantur igne, & lauentur pluribus lauationibus in aqua roſ. deinde iterum diſſoluantur, & lauentur in vino veteri, & ſucco cydoniorum, & aceto pauco. Deinde miſceantur reliqua, & fiat ceratum, & adminiſtretur.

Ventriculum, & hepar roborat, horum dolorem à frigido lenit, appetentiam excitat, coctionem iuuat.

Eſt efficax per annum.

Hoc loci admiratur Coſtæus Meſuem qui fieri potuit, vt iſtud ceratum hoc in loco poſuerit, vbi frigide intemperiei præſidium pollicetur; nam oleum roſaceum, & roſaceam aquam ad calidarum intemperierum refrigerium vſurpamus, quemadmodum etiam, & cotoneorum ſuccus refrigerat, videtur quandam ſolutionem afferre, quæ eſt quod oleum roſaceum temperatæ ſit qualitatis, non modò olei gratia, ſed etiam roſarum, in quibus calidæ aliquæ ſunt partes, quæ non ſatis ſunt ad temperiem frigidam ventriculi remouendam etiam ſi abſynthiam, maſtiche, ſpica, vinum, & vinum vetus calefaciendo prodeſſe poſſunt, quæ tamẽ ſi frigidior ſit ventriculus, hęc ſatis eſſe non poſſunt ſed & nardinum, & ſpicatum oleum, & alia ſimilia addi poſſunt, quare nec Manardus, nec Syluius admittunt hoc ceratum fuiſſe à Galeno ſcriptum, imò verò ambo ſcribunt, quod ceratum ſtomachicum, quo aſſidue vtebatur Galenus

lenus, ab eo descriptum est lib. 8. de compos. medicam. secundum loca, & libr. 8. meth. med. quod etiam Paulus describit ad hunc modum.

Ceratum Stomachicum.

℞. Ceræ albæ vnc. j. æstatę verò drach. vij.
Aloes,
Masticheş ana drach. semis.
Olei nardini,
omphacini ana quantum sufficit.

Huiusmodi ceratum non videtur esse adscribendum Galeno, quandoquidem Manardo Auctore aquæ rosarum tempore Galeni non dum erant inuentæ, quibus Mesues scribit istud ceratum esse abluendum, quamuis dicere possemus loco aquæ stillatitiæ rosarum, posse sumi decoctionem rosarum, aut (quemadmodum Reuerendi monachi de Araceli faciunt) abluere cum aqua infusionis rosarum. Sed cùm multæ partes in hoc cerato habeant refrigerandi facultatem, adderem iuxta consilium Christophori de Honestis galliæ alephanginæ drach. vnam, quæ simul cum pulueribus admisceatur, deinde fiat ceratum secundùm artem, ita vt descriptio huius cerati à Mesue tradita, si ei addatur gallia alephangina, miram habeat corroborandi stomachum facultatem.

Ceratum Magistrale pro ventriculo roborando.

℞. Rosarum rubearum,
damascenarum,
Menthę,
Maioranę,
Absynthij,
Calamenthi ana manip. ij.
Cinnamomi.
Nucis moschata,
Galangæ,
Garyophyllorum,
Cardamomi,
Croci,
Piperis albi,
Ligni aloes ana vnc. v.

Contundantur crasso modo, & infundantur in lib. quinque aquę ardentis trium decoctionum, & infusa maneant in cineribus calidis per triduum, deinde colentur, cum valida torculi expressione, & hęc tota infusio ponatur in phiala vitrea, in qua infundantur.

Masticheş electæ,
Styracis calamitę,
Bdellij,
Belzoini ana vnc. iij.
Ammoniaci in aceto pręparati vnc. vj.
Ladani vnc. ij.
Olei ex nuce moschata vnc. semis.
Resinę pini electi lib. j. & semis.
Terebinthi è Cypro lib. semis.
Moschi,
Ambrę grisę ana scrup. semis.

Imponantur hęc pariter per aliud triduum in cineribus calidis, & super phiala imponatur ventosa vitrea benè clausa, & lutata, cum petijs in ouorum albumine madefactis, deinde ablata ventosa permittatur euaporare aqua pręedicta, & remanebit ceratum, quod efficax erit per biennium, & si placeret aquam pręedictam seruare ad alios vsus, superponatur operculum rostratum.

Istud ceratum secundum, quod proponitur à nostro Collegio Bononiensi, egregium quidem est, sed difficilis compositionis, & pro intemperie valdè frigida ventriculi, & in locis vltramontanis, & frigidis maximè idoneum, at in his Trinacriæ partibus nimis validum est, possuntque Pharmacopœi ab ipsius compositione abstinere, nisi ab aliquo Medico præscribatur data opera.

Ceratum de pelle Arietina Arnaldi de Villanoua lib. ij. cap. iij. & est Nicolai.

℞. Lithargyri aurei,
Lapidis hæmatitis,
Sanguinis draconis,
Boli Armeniæ,
Masticheş,
Ammoniaci,
Mumiæ,
Galbani,
Thuris,
Costi,

Sum-

Lumbricorum terrestr. ana drach. ſemis.
Picis naualis,
Colophoniæ,
Ceræ albæ,
rubrę ana drach. ſemis.
Conſolidæ maioris,
minoris,
mediæ ana drach. iij.
Roſarum,
Myrrhæ,
Aloes ana drach. j. & ſemis.
Paleæ marnæ vſtæ,
Gallarum,
Balauſtiorum,
Ariſtolochiæ rotundæ ana drach. iij.
Viſci quercini,
Terebinthinę ana drach. ij.
Sanguinis hominis rufi vnc. viij.

Conficitur hoc modo. Decoque pellem arietinam in fruſta ſectam, donec tota diſſoluatur, fiatque gluten, omni penè euaneſcente aqua, cuius accipe lib. vnam panno colatam, & viſcus quercinum prunis diſſolutum in ſtannea ſartagine, & aſſiduè ſpathula mouendo. Deinde ceram, picem, colophoniam, & reliqua ordine continuo. Gummi vino diſſoluantur; poſtremò ſanguis, terebinthina, & pulueres minutiſſimè triti, ac lumbrici vino loti, atque ſeorſum alio cocti, piſtillo calidiuſculo commoueantur, & alijs commiſceantur.

Loco ſanguinis humani accipiatur ſanguis ſuillus, ex Gal. xj. ſimpl. & Dioſc. ij. cap. LXX.

Peritonæo relaxato, omenti, & inteſtinorum hernijs, vmbilicoque relaxato prodeſt.

Tribus annis, & vltra ſeruari poteſt.

Huiuſmodi ceratum de pelle arietina difficilis eſt compoſitionis, ſed inter alia cerata, quæ adſtringendi facultate pollen omnium conſenſu primas habet. Modus componendi à Collegio Bononienſi egregiè deſcribitur, vt apparet, dum proponitur primùm ebulliendam eſſe pellem arietinam. A Stecchino verò proponitur pellis hædina cum omnibus pilis, vultque coquendam eſſe per diem integrum, quouſque tota liquefacta ſit in exigua aquæ quantitate, & ſit veluti gluten: plerique opium addunt, quod tamen non reperitur in Antidotario Bononienſi: in reliquis quoad modum componendi conueniunt. Pharmacopœa Auguſtana notat Ambroſium Paręum huic compoſitioni addere olei myrtini, & maſtichini ana libram vnam, aut quantùm ſufficit, & fiat ceratum.

Multa ſcribit Caleſtanus in obſeruatione huius cerati.

Ceratum de Spuma Argenti, vel de Lithargyro Galeni primo de compoſ. med. per genera.

℞. Lithargyri lib. j.
Olei vetuſtiſſimi lib. ij. & ſemis.
Aceti acerrimi vnc. vj.

Coquantur oleum, & lithargyrum ſimul, ita vt manus non inquinent.

Vlcera difficilia curat, fiſtulas iungit, cruenta glutinat.

Pluribus annis ſeruari poteſt.

Ceratum Diapyritis Galeni iiij. de compoſit. medicamentorum per genera.

℞. Bituminis,
Lythargyri ana vnc. ij. & ſemis.
Picis,
Ceræ ana vnc. j. & ſemis.
Pyritis,
Terebinthinæ ana drach. xxv.
Propoleos,
Aluminis ſciſſi ana drach. xv.
Ammoniaci pinguiſsimi vnc. j. & ſemis.
Galbani,
Aloes ana vnc. j.
Aeruginis ęris,
Mannę thuris ana drach. v.
Olei vetuſtiſsimi lib. iij. & vnc. iiij.

Coquatur oleum cum lithargyro quãtùm ſufficit: deinde adijciantur bitumen, cera, pix, reſina, propolis, quibus liquefactis, refrigeratiſque ęrugo, & lapis pyrites immittantur, deinde cùm vas fuerit remotum ab igne, & quę in eo fuerint, modicè refrixerint, ammoniacum, alumen, galbanum, manna thuris inijciantur, & poſtea in aquam frigidam immittantur.

Valet ad vlcera curatu difficilia, &

gædenica. Facit item ad fistulas, emollitque omnem duritiem.
Ad multos annos seruatur.

Ceratum ex Sandice, hoc est de Minio, Homo appellatum, ex Aetio iiij. Tetrab. serm. iij. cap. xliij. **

℞. Sandicis, idest minij libr. j.
Olei oliuarum dulcissimi lib. ij.
Coquito, donec ampliùs non inquinent, & vtere confidenter. Vlcera diuturna, ac maligna, & in tibijs orta, solum per se adhibitum cicatrice obducit.
Et per annum, & vltra seruatur.

Ceratum pro Fœtus Retentione Magistrale.

℞. Boli Armeniæ, **
Terræ sigillatæ,
Sang. draconis ana vnc. semis.
Thuris,
Mastiches,
Myrrhæ ana drach. ij. **
Pilorum leporis ambustorum,
talpæ combustorum ana drach. j. & semis.
Acaciæ,
Hypocistidos ana drach. j.
Sem. acetosæ, **
plantag.
portulacæ,
cydoniorum ana drach. j. & semis.
Puluerizentur omnia subtilissimè, & cum oleo rosato omph. incorporentur pulueres, deinde cum pice, & cera quantùm sufficit fiat ceratum.
Potest per plures annos seruari.

Ceratum Viperinum. **

℞. Pinguedinis viperæ vnc. iij.
Vnguenti populei lib. j. & semis.
Lithargyri vnc. iiij.
Picis græcæ vnc. vj. **
Ceræ albæ vnc. iiij.
Coquantur vnguentum, & lithargyrum, & in fine cocturæ adde
Spinæ viperinæ subtil. puluerizatæ vnc. duas.
Minij subt. pulu. vnc. j.
Fiat ceratum secundùm artem.
Valet ad discutiendos tumores duros, & ad gummi gallica resoluenda.
Efficacissimum est per biennium.

Ceratum Polychrestum.

℞. Opopanacis,
Galbani ana vnc. semis.
Bdellij,
Ammoniaci ana drach. vj.
Olei oliuarum lib. semis.
Ceræ nouæ vnc. j. & semis.
Lithargyri subtilissimè puluerizati vnc. iiij. & semis.
Zalaminę,
Myrrhæ,
Aristolochiæ rotundæ,
longæ ana drach. ij.
Thuris,
Terebinthinæ vnc. j.
Misce, & fiat ceratum secundùm artem.
Vim habet emolliendi, concoquendi, digerendi, extergendi, moderateque exiccandi, carnem gignendi, glutinandi, & cicatrizandi.
Ad annos tres seruatur.

Ceratum de Mucilaginibus.

℞. Mucilaginis altheæ,
fœnigręci,
sem. lini ana vnc. vj.
Bdellij,
Ammoniaci,
Opopanacis ana vnc. ij.
Olei de lilio,
Fæcis olei linosæ ana vnc. iij.
Lithargyri,
Terebinthinæ ana vnc. iiij.
Styracis calamitæ vnc. ij.
Picis naualis vnc. iiij.
Ceræ nouæ lib. ij.
Medullæ bouis, vel sepi castrat. vnc. iij.
Puluerizentur pul. & fiat ceratum secundùm artem.
Emollit, resoluit, maturat, omnem duritiem, & inflammationem.
Duratio eius ad annum, & paulò vlteriùs extenditur.

Sparadrappum.

℞. Vnguenti populeis lib. semis.
rosati, aut infrigidantis Gal. vnc. iij.
Olei rosati completi lib. j. & semis.
Pinguedinis vituli vnc. viij.
Axungię porcinę vnc. ij. & semis.
Succi plantaginis,
solatri ana vnc. iij.
Misce, & bulliant ad consumptionem succorum, deinde cola, & adde
Cerussæ vnc. vj.
Lithargyri aurei,
argentei ana vnc. ij.
Minij,
Terræ sigillatæ ana drach. x.
Item misce baculo, quoad nigrum colorem acquirat: quo facto adde.
Ceræ albæ quantùm sufficit.
Camphoræ secundùm artem contritæ drach. j.
Et fac sparadrappum.
Vlcera corrosiua, maligna, venenosa, formicosa, & curatu difficilia curat.
Idque per biennium efficit.

Ceratum Matricale, vel de Galbano.

℞. Galbani præparati vnc. j. & semis.
Assæ fætidæ vnc. semis.
Myrrhæ rubeæ drach. ij.
Bdellij mollis drach. j.
Matricariæ puluerizatæ,
Artemesiæ ana drach. semis.
Sem. dauci scrup. j.
Gummi dissoluantur in aceto, & fiat ceratum.

Ceratum de Bettonica.

℞. Terebinthinæ,
Resinæ pini,
Ceræ flauæ ana vnc. ij.
Bettonicæ puluer. vnc. semis.
Mastiches,
Thuris ana drach. ij.
Mumiæ drach. j. & semis.
Misce, fiat malagma.

Ceratum Gratiæ Dei Nicolai.

℞. Terebinthinæ lib. semis.
Resinæ lib. j.
Ceræ albæ vnc. iiij.
Mastiches vnc. j.
Verbenæ,
Bettonicæ,
Pimpinellæ ana manip. j.

Herbæ pistentur, & in vino albo odorato bulliant vsque ad consumptionem tertiæ partis, colentur, & deinde herbæ abijciantur, ac cera, resina, & mastiche cum colatura ponantur, & bulliant iterũ, agitando donec optimè incorporentur, & tunc deponantur ab igne, & addatur terebinthina, & totum agitetur benè cum spathula, & fiat emplastrum.

Pulchrè, & eleganter hoc ceratum Renodęus, quod emplastrum vocat, scribit esse potiùs ad ostẽtationem *specioso nomine designatum*, non secus atque apud Aetium tetrabibli secũda sermone 4. cap. 55. est Isoteos Antidotus, apud Paulum emplastrum isis, & aliud emplastrum homo dictũ, ex sandice, & oleo, cũ meminit Aetius; audita enim eiusmodi nomenclatura nõ modò rustici, sed qui inter vrbanos se esse putant sapientiores ad emendum medicamentum accurrunt, non secus chimici bellissimè remedia proponunt, qui cum videant sua elixir vitę iam nunc nimis trita potiones quasdam, modò liquores celestes, modò potiones Angelicas nominant, sed vtcumque sit huiusmodi medicamentum Dei gratia dictũ videtur apud Auctores in aliquo pretio esse: verùm si consideremus virtutes, & facultates, quas promittunt, vt sunt vulnera, & vlcera repurgare, & partes, quibus applicatur corroborare, videbimus alia medicamenta huius generis supra allata à nobis esse maioris efficaciæ, & roboris, ita vt hoc medicamentum ex abundantia à nobis propositum videatur non tamen Pharmacopœum aliquem cogo, vt ipsum faciat, & componat, sed ex occasione, si videbitur alicui Medico posse *satisfacere indicationibus sibi ritè propositis*.

Ceratum Diapenthe Mesue:

℞. Ceræ flauæ vnc. iij.
Styracis liquidæ drach. ij.
Terebinthinę vnc. j.
Mucaginis icthyocollæ, vel gummi hederæ.
Olei Irini quantum sufficit.

Hoc formam habebit ceroti recentiorum, si exiguum quid addatur Irini olei, si plus cerotum fiet antiquorum.

Hoc in loco notat Costæus in huiusmodi ceroto, quod diapenthe, seu ex quinque rebus dicitur, reperiri nomen quoddam Zanach, quod Syluius interpretatur icthyocolla, vel gummi hederæ. Alij mucum cochlearum intelligunt: quòd loco is hederæ fortasse gummi, ea inter psylothra à Dioscoride reponitur, & exurente facultate agnoscitur, sperari autem ex conuulsione licere cum reliquis discussorijs, & emollientibus: at icthyocolla, vel cochlearum mucus, quem ad conuulsionem, nodosque, ac neruorum, & articulorum tumores duros præstare vsum posse non assequor, & Costæus hoc loco nec icthyocollam, neque hederæ succum probat, imò verò addit vnum, quod est non posse manere simul gummi hederæ, & icthyocolla, cùm inter se contrarię sint naturæ: quarę ipse loco icthyocollæ ammoniacum substituit, aut viscus quercinum; nam ex Arabum sententia, hoc tum molliendi, tum coquendi, tum ex alto foras extrahendi facultatem habet, quod in huiusmodi medicamento maximè requiritur.

Ceratum ad tumores scirrhosos ex lue venerea ortos Amati Lusitani centuria prima curatione 26.

℞. Diachylonis albi,
Ammoniaci,
Bdellij,
Sagapeni ana partes æquales.
Argenti viui extincti drach. j.
Misce, & fiat cerotum secundùm artem.

DE EMPLASTRIS.

CAPVT XXXI.

QVAE medicamenta topica in solidiorem massam coacta, Arabes cerota, & Gręci antiqui docente Galeno libro primo de compositione medicament. per genera cap. 12. emplastra vocarunt: iuniores inquit Renodæus aphoniæ cuiusdam gratia, ς addita litera maluerunt emplastra nominare, qua detracta, eorum qualitas, non emplastrita, sed emplastica, seu ἐμφρακτικά & vt dicebat Ludouicus Bertaldus, emplastra neotericorum sunt malactica Gręcorum. Constant enim ex crassioribus, & nihil aliud sunt, nisi medicamentum aggregatum ex herbis, radicibus, floribus, & pulueribus crasso modo contusis, & cum liquoribus coctis, vel permistis.

Emplastra igitur recentiorum parum distant à cataplasmatis, quia ex ijsdem fiunt. Differunt verò in hoc, quia cataplasmata componuntur ex herbis, vel radicibus contusis, oleo, vel aliquo liquore irrigatis, & simul coctis, vel calefactis, statimq; confici possunt, dū necessitas vrget: emplastra verò ex multis alijs rebus conficiuntur, & asseruantur. Differunt etiam emplastra modernorum, ab emplastris Gręcorum forma, siue consistentia, & vtendi modo; nam emplastra in massam asseruātur, & cerata in magdaliones; hæc subtiliter extenduntur super linteum, illa crassius apponuntur. Rursus ceratum longiori tempore ad sedem affectam admittitur, emplastrum verò sępius renouatur. Differunt etiam à pultibus; nā pultes ex farinis, aqua, lixiuio, vel aliquo alio liquore remisius, sed nō asseruantur.

Sub genere emplastrorum ab Antidotario Florentino recensentur pultes, quarum bases sunt farinę coctę in lacte, vel lixiuio, aut sapa; sępissimè constant ex medulla panis cocta, ijsdem liquoribus additis oleis, vel alijs rebus, & nonnunquam luteis ouorum, vel farina, & pulpa fructuum.

Plura emplastra describuntur ab auctoribus, pręsertim ab Antidotario Bononiensi, inter quę primum describitur emplastrum ex meliloto.

Emplastrum de Meliloto.

℞. Melloti vnc. vj.
Florum chamomillę, **
Comarum absynthij,
Sampsuci,
Fęnugręci,
Baccarum lauri,
Rad. altheę ana drach. iij. **
Apij,
Ameos,
Cardamoni,
Ireos,
Spicę nardi, **
Cyperi,
Cassię ligneæ *ana drach. j. & semis.*
Ammoniaci drach. x.
Styracis,
Bdellij *ana drach. v.* **
Terebinthinæ vnc. j. & semis.
Ficus pingues num. xij.
Sepi caprini,
Resinæ ana vnc. ij. & semis.
Ceræ vnc. vj. **
Olei sampsucini,
de spica ana quantum sufficit.
Aquæ, cui incocta sint fænumgræcū, chamomælum, melilotus, quantum satis erit exquisitæ infusioni aliorum.

Mollit duritiem omnem ventriculi, hepatis, lienis, viscerum, & reliquorum.

Conseruatur per annum.

Huiusmodi emplastrum non omnibus locis eodem modo præparatur, vnde mirum non est, si eundem euentum sperare minimè possimus; alij enim sunt, qui volunt bdellium, & ammoniacum esse in aceto potiùs, quàm in decocto meliloti, chamomæli, & fænigræci, quia dicunt, longè faciliùs dissolui in aceto, quàm in hoc decocto, & re vera cùm huius emplastri materia alia sit infundenda, alia dissoluenda, alia denique eliquanda; ex cōsilio Costæi melilotus, & fenūgrecum, semina dura, & lentæ sunt substantiæ, seruatis eorum viribus macerari priùs debent; radix altheæ, infundenda est; nam si terantur succi, & lentoris illius expers, qui ad demoliendum quæritur nullo fructu vsurparetur; ficus aridæ infundi quoque debent, vt molliores redditæ maceratione faciliùs terantur. Hoc vnum animaduerto, quod omnia seorsim, & artificiosè præparari debeant, antequam illius confecturam aggrediantur, & vbi omnia secundùm artem fuerint parata, nempè quæ infundenda sunt infusa, fit emplastrum hoc modo, videlicet cera, resina, & seuum hircinum simul liquanda, hisque addenda gummi macerata, colata, & ad mellis crassitiem cocta, terebinthina deinde, pulueres simul vniti, quibus omnibus probè subactis adduntur olea sampsuci, & de spica secundùm Mesuem.

Alij verò determinant dosim, vt Calestanus, qui determinat pro vnoquoque libram vnam, & scribit feliciter se vsum fuisse. Alij sunt, qui ponunt vnc. vj. qui reprehenduntur à Renodæo dicente, quod si pro vnoquoque oleo acciperentur vncię sex, non posset istud medicamentum reduci ad formam emplasticam, quę ipsius opinio, si vera esset, multò magis dicendum esset, si pro vnoquoque libra assumeretur, & eo magis si adderentur duę libræ pro quouis oleo, vt Author thesauri Apothecariorum scribit, quare cùm huiusmodi medicamentum debeat fieri à perito Pharmacopœo, videtur dicendum meliùs esse, vt tantum olei apponatur in hoc emplastro faciendo, quantum sufficit ex arte, hoc obseruato, vt curet semper minorem humiditatem remanere in ipso conficiendo, ne facilè corrumpatur, situm contrahens, ita vt minor copia olei sampsucini, & olei de spica quantum fieri potest, est apponenda, non tantùm, vt euitetur forma vnguenti, quantùm vt conseruetur à corruptione.

Emplastrum de Crusta Panis Montagnanæ.

℞. Menthæ,
Mastiches,
Spodij,
Corallorum rub.
Santalorum rub.
alborum ana drach. j.
Crustę panis tostę in aceto dimidia hora maceratę vnc. ij.
Olei mastichini,
cydoniorum ana vnc. j.
Farinę ordei quantum sufficit.
Fiat emplastrum citra ignem.
Valet in vomitu puerorum, & ijs, qui cibum retinere non possunt.
Durat vsque ad annum.

Emplastrum de Baccis Lauri Mesuæ.

℞. Thuris,
Mastiches,
Myrrhæ ana vnc. j.
Baccarum lauri vnc. ij.
Cyperi,
Costi ana vnc. j. & semis.
Mellis colati quantùm sufficit.
Ventriculi, intestinorum, hepatis, & aliorum viscerum dolorem à flatibus, & frigida causa ortum mitigat.
Durat per biennium.

Emplastrum Diaphœnicon Alexandri ex Mesuæ.

℞. Dactylorum maturitati propinquorum vnc. v.
Panis biscocti vnc. j.
Carnis cotoneorum coctorum in vino austero vnc. j. & semis.
Styracis,
Mastiches,
Ladani,
Acaciæ,
Agrestæ,
Foliorum lambrucæ,
Rosarum,
Santalorum citrinorum,
Myrrhæ,
Ligni aloes,
Ramich ana vnc. semis.
Ceræ vnc. iiij.
Olei rosẽ vnc. xv.
Vini austeri quantùm sufficit ad infundendum infundenda.
Ventrem totum inferiorem, ne aliarũ partium recrementa suscipiat, roborat, coctionem iuuat, ob hæc vomitum, choleram morbum, lienteriam, dysenteriam hepaticam iuuat.
Efficax est per annum integrum.

Emplastrum Synapismũ Democritiex Mes.

℞. Ficuum siccarum pinguium partẽ vnam, & infunde in aqua tepida per diem, ac noctem, tunc exprime fortiter, vt nullus humor in eis remaneat. Deinde synapi tritum cum aceto cum eis misceas diligenter, diù commiscendo ad ęquale pondus. Si autem vehementioris virtutis facere volueris, pone de synapi partes duas. Si verò minoris, ex ficubus partes duas, & ex synapi partem vnam.
Ad podagram, gonagram, ischiadem, ipsamque arthritidem, ostocopon, hemicraniam, obliuionem, lethargum, si à causa frigida proficiscantur, valet.
Duratque eius virtus per annum.

Emplastrum Filij Zaccharia.

℞. Ceræ citrinæ vnc. iij.
Medullæ cruris vaccæ,
Adipis anatis,
gallinæ,
Mucilag. sem. lini ana vnc. iij.
Olei lini quantùm sufficit.
Et si fortiùs volueris, adde mucilaginem althææ, & fęnigręci, & per oleum lini, oleum cheirinum, vel eum efficacius quoque reddes, si œsypum, & mucilaginem glutinis piscium addideris.
Iuncturarum, tophos, & nodos duros mollit, dissoluit, & crassa, lentaque pulmonis, & thoracis excrementa expectoratu magis habilia reddit.
Facultas eius valida est ad annum.

Emplastrum Capitale Montagnanæ.

℞. Ladani,

Gumi

Gummi elemi,
Vernicis solidæ,
Thuris,
Styracis liquidæ,
calamitæ ana drach. j.
Si validius adde
Myrrhę drach. j.
Cum cera, & pice nauali quantùm sufficit fiat emplastrum secundùm artem.

Catarrhum compescit, si supra regionem suturæ coronalis, & sagittalis capite abraso ponatur.

Emplastrum pro tumore aquoso in capitibus puerorum orto, quem Græci hydrocephalon appellant.

℞. Pulueris absynthij,
Chamomillæ,
Meliloti ana vnc. ij.
Butyri recentis,
Olei chamæmelini ana vnc. iiij.
Farinæ fabarum,
Seminum lini ana vnc. j. & semis.
Et cum cera quantùm sufficit fiat emplastrum, quod extendatur super linteum, & ponatur supra caput.

Emplastrum ad idem.

℞. Mellis optimi lib. semis.
Salis vnc. semis.
Origani subtiliter puluerizati vnc. iij.
Farinæ seminum lini vnc. j.
Misce, & cum cera quantum sufficit, fiat emplastrum secundùm artem.

Duplex est emplastrum diaphœnicon Mesuę, vnum frigidum, quod dicitur diathinium Alexandri, superius descriptum; alterum dicitur emplastrum diaphœnicum calidum Mesuę, nunc describendum.

Emplastrum Diaphœnicum calidum Mesuæ.

℞. Ceræ vnc. ij.
Olei rosati,
nardini ana vnc. iiij.
Simul liquentur, deinde
℞. Dactylorum siccorum num. xxxx.
Panis biscocti drach. viij.
Macerentur in vino odorato per biduum, postea
℞. Carnis cydoniorum in vino coctorum vnc. j.

Contundantur, & permisceantur superioribus, & adde subsequentia in mortario benè contusa.

℞. Mastiches,
Thuris,
Absynthij Rom. ana drach. ij. & semis.
Ligni aloes,
Macis,
Myrrhæ,
Aloes lotæ,
Spicæ nardi,
Acaciæ,
Gallię moschatæ,
Trochiscorum ramich,
Calami arom. ana drach. j.
Ladani drach. ij.
Misce fiat emplastrum.

Ventriculum, & hepar firmat, ob id lienteriam, & dysenteriam hepaticam iuuat. Id verò, quod frigidam dicitur, ventrem totum inferiorem, ne aliorum partium recrementa suscipiat, roborat, coctionem iuuat, ob hæc vomitum, choleram morbum, lienteriam, dysenteriam hepaticam, vt pręcedens iuuat, nec multùm compositione variant.

Cera raro venit in emplastra, quæ admittunt ladanum; est enim id ceræ loco. Ambrosius Paręus lib. 25. cap. 27.

Emplastrum Alexandri ex Allijs.

℞. Spicarum allij mundatarum vnc. iij. & semis.
Styracis,
Bdellij,
Aloes ana vnc. iij.
Terebinthinę vnc. iiij.
Axungię porcinę recentis,
Adipis anseris ana vnc. v.
Mastiches,
Thuris ana drach. j. & semis.
Euphorbij vnc. j. & semis.
Croci vnc. semis.
Cerę flauę lib. j.
Olei nardini, & vini odoriferi q. s.
Fiat emplastrum secundùm artem.

Ventriculi, & reliquorum viscerum affectus à flatu, aut pituita cruda, crassa, & len-

& lenta natos, abscessumque ventriculi, & hydropem incipientem iuuat.

Syluius scribit istud emplastrum esse anodinum, coctionem iuuare, partesque à frigida intemperie laborantes roborare.

Notat hic Costeus vim allij præsertim crudi loco caustici medicamenti esse, quare dubitat, an crudum, aut coctum hoc loco sit sumendum, & certè dubitatio nō videtur inanis, cùm Alexander dicat tantummodò spicas allij esse sumendas, sed cùm allia cruda sint potentiora, quàm cocta, videtur rationi magis consonum, vt cruda potiùs, quàm cocta recipiantur quia non sunt caustica.

Emplastrum ad Hydropem.

℞. Stercoris colūbini aceto macerati lib. j.
Sulphuris viui vnc. j.
Nitri, vnc. semis.
Pulu. rad. enulæ,
Baccarum lauri,
Anethi,
Flor. chamomillæ ana drach. vj.
Sem. nasturtij drach. ij.
Decoquantur omnia in vino ad consistentiam, adde
Mellis vnc. ij.
Terebinthinæ vnc. j. & semis.
Succi ebuli vnc. ij.
Iridis vnc. j.
Farinæ fabarum vnc. j. & semis.
Fiat emplastrum.

Illud etiam emplastrum post emplastrorum coronidem adijcere placuit, cùm adeo celebre, & probatum fuerit præceptoribus meis Patauinis, Ioan. Bap. Montano, Aloysio Bellacacto, & alijs ad hydropem supra alia emplastra excellens, & valde efficax. Commendant id quoque Norimbergenses fol. 210.

Huiusmodi emplastrum describitur à Pharmacopœa, seu medicamentario pro Republica Augustana. Pro hydrope vsus sæpissimè sum cum stercoris bubuli præparati sulphuris viui, & nitri vnc. j. & felici cum successu, præsertim in tympanite.

Emplastrum de Rhabarbaro Io. Manardi.

℞. Rhabarbari electi vnc. semis.
Aloes hepaticæ vnc. j.
Lixiuij fortis lib. j.
Saponis Veneti lib. semis.
Ceræ vnc. ij.
Decoquantur ad duritiem iustam.

Commendatur ad duros tumores, & tophos, præsertim in morbo gallico.

Emplastrum in Pleuritide.

℞. Rad. altheæ vnc. iij.
Maluarum vnc. ij.
Caricarum paria x.
Capita liliorum num. vj.
Fœnigræci vnc. j. & semis.
Aquæ hordei excoriati quantùm sufficit.
Coquantur secundùm artem, & in iure colato adde
Olei chamæmeli lib. ij.
amygd. dulc.
violarum,
liliorum ana vnc. vj.
Coquantur ad liquoris consumptionem, cui adde
Farinæ hordei lib. j. & semis.
frumenti vnc. vj.
Violarum pulueriz. vnc. iij.
Seminis caulium,
Pinearum ana vnc. ij.
Adipis gallinæ,
anseris,
porci non salitæ ana vnc. iiij.
Butyri vnc. vj.
Medullæ pomorum dulc. lib. semis.
Theriacæ,
Mithridatij,
Vnguent. marciati,
Dialtheæ ana vnc. ij.
Ceræ quantùm sufficit, fiat emplastrum.

Emplastrum Aliud ad idem.

℞. Farinæ hordei,
Fænigræci,
Seminum lini ana vnc. ij.
Radicum altheæ vnc. iiij.
Anethi,
Violarum ana vnc. ij.
Olei amygdalarum dulcium,
violati,
chamomillæ ana vnc. viij.
Ceræ,

Butyri

Butyri recentis ana vnc. iiij.
Fiat emplastrum secundùm artem.

Lenit dolorem in pleuritide post primum diem applicatum.

Emplastrum pro ventriculo ad vomitum compescendum.

℞. Carnium cydoniorum coctor. in aceto vnc. iij.
Crustæ panis tostæ in aceto infusæ vnc. j. & semis.
Farinæ hordei vnc. j.
Mastiches,
Menthę ana vnc. semis.
Macis,
Garyophyllorum,
Coralli vtriusque,
Spodij,
Santal. omnium ana drach. j.
Cum oleo cydoniorum, & de mentha fiat emplastrum.

Alij addunt spicam, calamum odoratum, absynthium, schœnantum, & cyperum. Hisce tribus emplastris finem imponere volui supellectili emplastrorum, quibus absolutis iam deueniendum est ad cataplasmata.

Emplastrum pro corroborando ventriculo, & appetitu inducendo.

℞. Taccamacchę vnc. j.
Theriacæ optimæ drach. ij.
Styracis drach. j. & semis.
Ambræ grana v.
Cum oleo absynthij destillato fiat emplastrum, & distendatur super corio secundùm artem.

Emplastrum de Bistorta ad retinendum fœtum.

℞. Bistortæ vnc. j. & semis.
Ligni aloes,
Santalorum citrinorum,
Nucis moschatæ,
Berberis,
Anthoræ,
Mastiches,
Acaciæ,
Corallorum rubeorum,
Charabe,
Cinnamomi,
Garyophyllorum,
Balaustiorum,
Spicæ nardi,
Schœnanti,
Florum chamomillæ,
Rosarum rubearum incompletarum,
Thuris ana drach. j.
Aliptæ moschatæ,
Galliæ moschatæ ana drach. semis
Styracis calamitæ drach. j.
Moschi grana v.

Cum cera, terebinthina, & pice nauali quantùm sufficit, fiat emplastrum lumbis applicandum.

Fœtum retinet, hoc vtebatur Felix Castellius Bononiensis olim præceptor meus.

Emplastrum ad vteri robur, quo vsus sum ad roborandum vterum pro Domina Principe de Rocca Fiorita, quam simul cum clarissimo Io. Francisco Castello curabamus.

℞. Taccamacchæ,
Ladani ana vnc. semis.
Mastiches drach. ij.
Specierum electuarij de gemmis drach. j. & semis.
Trochiscorum de gallia moschata scrup. semis.
Cum oleo mastichino quantum satis est, fiat emplastrum applicandum supra regionem vmbilici.

DE CATAPLASMATIS.

CAPVT XXXII.

SCripsit Ioannes Renodæus in suo Antidotario cap. 2. cataplasma à Græcis, & Latinis dici medicamentum quoddam molle, dolori sedando, repellendo, molliendo, laxando, calefaciendo, pus mouendo, vacuando, & digerendo aptum, quod exteriùs applicari debeat, habereque dicit consistentiam pultis, à qua sæpè nomen assumit, sed propriè loquendo puls alimentum dicitur, cataplasma medicamentum topicum. Cataplasmatum autem, alia sunt cocta, & alia cruda: cruda constant ex herbis contusis, & loco affecto applicatis, adduntur nonnunquam vitella ouorum, nonnunquam oleum, vel butyrum, vel axungiam recipiunt, vt & succos, vinum, lac, adiecta farina, vel puluere ex certa indicatione præscripto.

Cocta constant etiam ex prædictis coctis in lacte, aqua, vel hydromelite, vino, aut aliquo alio liquore; componuntur etiam, ex ouis, butyro, vel oleo frixis in sartagine, additis herbis ad rem facientibus.

Sunt autem in triplici differentia; nam simplicia sunt ex herbis, radicibus, fructibus, præcipuè caricis, succis, stupis iniectis.

Alia verò ex ijs, sed additis liquoribus vt melle, butyro, quę suprascripta habentur.

Tertia parum distant ab emplastro, additis farinis, & pulueribus: differunt forma, & consistentia; nam ista crassius contunduntur, & statim etiam parantur, sed non asseruantur. In emplastris verò formandis maior diligentia requiritur, ac diutius asseruari possunt; cataplasmata etiam sępisime renouari debent.

Cataplasmatum formulæ quamplures apud varios Scriptores reperiuntur, quorum historia sat prolixa erit nobis describenda, quæ à Bertaldo affertur cap. de cataplasmate tractatu 6. quorum primum est sequens.

Cataplasma ad contusa.

℞. Fol. verbenæ,
Absynthij ana manip. j.
Cymini vnc. j.
Mellis quantùm sufficit, fiat cataplasma.

Cataplasma ad Pleuritidem.

℞. Parietariæ,
Foliorum caulium ana partes æquales.
Cum butyro fiat cataplasma.

Cataplasma ad difficultatem Vrinæ.

℞. Parietariæ,
Fol. raphani,
Sisymbrij aquatici ana manip. j.
Cum oleo scorp. simpl. fiat cataplasma.

Cataplasma ad Ventriculum.

℞. Absynthij Romani manip. j. & semis.
Menthæ manip. j.
Cum opt. vino fiat cataplasma.
Ad vomitum valet cataplasma ex mētha,
Cydonijs coctis in aceto,
& oleo de mentha.
Ad syncopem panem tostum cum vino maluatico infusum additis nonnunquam pulueribus
Garyophyllorum,
Nucis moschatę,
Macis authores commendant.

Cataplasma ad Vermes.

℞. Aloes vnc. semis.
Farinæ lupinorum vnc. j. & semis.
Santonici drach. j. & semis.

Scordij manip. j.
Fellis tauri vnc. j.
Cum melle fiat cataplasma.

Cataplasma ad capitis dolorem.

℞. Fol. hederæ manip. j.
Rutæ manip. semis.
Nucleorum persicorum num. x.
Aceti quantum sufficit.

Cataplasma ad Lachrymas.

℞. Thuris,
Farin. tritici,
Tragacanthi ana, & cum album. oui f. c.

Cataplasma ad Anginam incipientem.

℞. Alsinæ manip. j.
Fol. petroselini manip. semis.
Cum oleo amygdalino fiat cataplasma.

Cataplasma ad Carbunculum.

℞. Arnoglossę manip j.
Scabiosæ pug. semis.
Farinæ hordei vnc. j.
Succi buglossi quantùm sufficit, fiat cataplasma.

Ad hoc maximè pręstant radices
Buglossi,
Et cyrsij contusę, & applicitæ

Cataplasma ad dolorem Podagræ.

℞. Fol. ebuli manip. j.
Sambuci manip. semis.
Cum vino albo fiat cataplasma.

Cataplasma ad dolorem post partum.

℞. Artemisiæ,
Matricarię,
Abrotani,
Pulegij ana manip. semis.
Lutei ouorum num. vj.

Cum oleo liliorum frigantur in sartagine, & fiat cataplasma. Ad omnes dolores valet parietaria malaxata, & sedi affectæ admota. Fernelius existimat veteribus cataplasma, & malagma idem esse, Galenus tamen initio libri 7. de compos. medic. per genera, medicamenta solùm, quę partes præter naturam induratas emolliunt, iuxta antiquorum sententiam nominat, ita vt medicamentum malacticum, seu mollitiuum, & malagma non discrepare, nec rem diuersam constituere credibile est.

DE CATAPASMATIS, EMPASMATIS, & Diapasmatis.

CAPVT XXXIII.

Catapasmata propriè dicuntur pulueres odorati expluribus compositi, qui ad fragrantiam, & suauitatem vestibus inspergumtur. Pulueres quoque sic dici possunt, qui partibus corporis, vt stomacho post litum ad illius robur adhibentur, quemadmodum, & qui ex pluribus aromatis ad condimēta parantur, nec non ad vsus alios, veluti sunt pulueres sarcotici ad carnem in vlceribus generandam: catheretici ad hypersarcosim absumendam: epulotici ad cicatricem inducendam, Paul. cap. 13. lib. 7. Sed quia eiusmodi pulueres iam supra attigimus, de his ne verbum quidem effluxisset, nisi cataplasmatis, & catapasmatis paronomasia eò nos redegisset.

Similis vocum affinitas de empasmatis, & diapasmatis aliquid enūtiare, & differentiam inter vtrunque, & cataplasma aperire nobis commodè occasionem obtulit. Empasmata sunt, inquit Oribasius cap. 31. lib. 10. quę faciunt, vt immo-

derati sudores, aut alia per halitum digestio cohibeatur, aut quę, vt cutis extremitas scarificetur, aut pruritu tentetur, adhibentur. Diapasmata, quę ad suauem odorem cuti, aut toti corpori conciliandum, forma quacunque, aut pulueris, aut vnguenti, aut litus accommodata sunt. Cataplasmata sunt, quę ad modum superiore capite descriptum, & ad vsus dictos conficiuntur.

Empasmata autem inseruiunt, vel profusioni sudorum sistendę, qui immoderatè fluunt, nec critici sunt, & vires exoluunt naturę, vel hydropicis, ischiadicis, orthopnœicis. Quæ sudorum eruptionem compescunt, parantur ex gypso, myrto sicca leuigata, malicorio, rhoe Syriaco, sorbis siccis tritis, galla, acacia, & similibus adstringentibus. Quæ hydropicos, ischiade laborantes, & recta solùm ceruice spirantes iuuant, fiunt ex arena, fæce vini vsta, nitro, sale, sulphure, Sinapi, nasturtio, pipere, pyrethro, & similibus acribus, ex quibus dropaces, & sinapismi, quorum eadem est cum emplasmatis agendi ratio, parantur.

DE SINAPISMIS.

CAPVT XXXIV.

Sinapismum Veteres, Aetio libr. 3. cap. 191. teste, vocabant cataplasma ex sinapi, cuius conficiendi is fuit modus. Caricas pingues in aqua tepida pridie macerabant, sequenti die fortiter expressas probè conterebant, deinde acre sinapi priuatim terebant, & inter terendum dilutum caricarum affundebant, quo facillimè teri posset, non tamen aquosū fieret, postea in massam redigētes priuatim vtrunq; inter se miscebāt.

Sinapismi tria sunt genera, seu tres differentiæ, fortior scilicet, mediocris, & debilis; fortior vocatur ille, qui constat ex duabus partibus sinapi, & vna ficuum; mediocris verò ex duabus portionibus ficuum, & vna sinapi; languidior autem constat ex duabus partibus ficuum, & vna sinapi debet igitur habere mediam spissitudinem, inter cerata, & emplastra. Scripsit Gal. sinapismum materiam variam non habere, sed diuturnis affectibus post inutilem aliorum præsidiorum quàm efficacissimam habere: solet vtilissimè applicari dolori capitis, qui cephalæa appellatur, & etiam hemicraniæ, morbo comitiali, vertigini, & insaniæ. Affero quasdam formulas.

Sinapismus.

℞. Sinapi vnc. j. & semis.
Nasturtij vnc. semis.
Folij ranunculi,
Flammulæ ana manip. j.
Caricarum coctarum in aceto scyllino vnc. iij.
Fermenti acris vnc. j.
Misceantur pro sinapismo.

Alius Sinapismus.

℞. Sinapi,
Staphidis agriæ ana vnc. semis.
Euphorbij,
Pyrethri ana drach. j.
Stercoris columbini,
Sagapeni ana drach. i. & semis.
Castorij scrup. ij. & semis.
Nasturtij drach. j. & semis.
Olei euphorbij,
Petrolei ana vnc. j. & semis.
Aceti vnc. semis.
Misceantur cum cera ad formam emplastri.

Alius sinapismus.

℞. Olei costini vnc. j.
castorij,
Euphorbij ana vnc. semis.
Sinapi drach. ij. & semis.
Fimi syluestrium columbarum drach. j. & semis.

Saga-

Sagapeni drach. ij.
Euphorbij scrup. j.
Sem. nasturtij drach. j. & semis.
Castorij drach. j.
Aceti drach. ij. cum cera quantùm sufficit, fiat sinapismus.

Scripsit Mercurialis artem componendi sinapismos haberi ex Antillo apud Oribasium lib. x. collect. cap. 13. & apud Aetium lib. 3. cap. 191. Hisce præsidijs adduntur, & alia, quasi eiusdem generis, vt sunt cauteria, escarotica, fontanellæ, ruptoria, eorum alia cutem nostram adurunt, alia id leuiter faciunt, & vesiculas à cute efferunt, dicunturque vesicatoria; alia verò, quæ profundiùs, & vehementius vrunt, & crustas inferunt, dicuntur escarotica; alia non solùm cutem soluunt, sed etiam partes subiectas penetrant; & appellantur caustica, dicunturque, & fontanellæ, de quibus actum est in Miscellaneis, & nunc etiam dicimus, nam fontanellæ inuruntur, sed vsu à cauterijs omninò alieno; cauterium enim semper, vel vt plurimùm loco ægrotanti admouetur, vt siccet, & roboret; fontanellæ verò locum humectant.

Vesicatoria sunt medicamentum, quod excitat, nam admotum cuti epidermidem attollit, & pustulam excitat, qua rupta serum à cute effluit; si in corpore sicciore, ac parte superiore adhibetur, pauca copia seri effluit, si præsertim corpus siccum fuerit, si è contra humidius sit, & ad partes infernas adhibeatur, multum seri trahit, & presertim in hydropico, si in parte decliui, in crure nempe, aut in femore adhibeatur; & quamuis in hydropicis iuuamentum ferat, nempe his, qui ascite laborant, solet sæpè relinquere vlcus disepuloticum. Potest vesicatorium ad hunc modum confici, vt

Vesicatorium.

℞. Euphorbij scrup. semis.
Piperis grana vj.
Cantharidum præparatarum scrup. sem.

Fiat omnium puluis, qui excipiatur pauco fermento veteri, & aceto, fiat massa mollis, de qua exigua portio extendatur super panno serico, & fiat vesicatorium. Multæ aliæ formulæ horum vesicatoriorum reperiuntur apud Scriptores, quas breuitatis causa libenter silentio inuoluimus.

DE DROPACE, SEV PICATIONE.

CAPVT XXXV.

DRopax, medicamentum est topicum, interdum emplastri modo durum, interdū, vt malagma molle, pro vt postulat vsus, qui est in duplici differentia, alius simplex, alius compositus; simplex fit tantùm ex pice, & oleo diciturque picatio, alius compositus, qui præter oleum, & picem multa calefacientia recipit, vt piper, pyrethrum, bitumen, sulphur viuum, salem, cinerem sarmentorum. Nonnunquam adhibetur huiusmodi dropax, vt euellat capitis pilos, præsertim in acoribus, qui ab Arabibus, assaphati vocantur, qui non nisi euulsis, aut sępiùs abrasis capillis perfectè sanari possūt, ita vt dropax vt est Psylothrū medicamentū, ad cosmeticam artē facit, scilicet inseruit corporis cultui, & ornamento, neque vnguentum, aut emplastrum, vel aliud genus medicamenti, quod cuti applicatur formam habet, sed adhibitum pilos, ac lanuginem ita perdit, vt glabram cutem reddat; multa exemplaria habetis apud Scriptores, sed efficacissimum istud est.

Dropax.

℞. Calcis viuæ vnc. ij.
Auri pigmenti vnc. semis.

Lixiuij

Lixiuij fortis quantùm sufficit, & fiat linimentum, quo partes pilosę inungantur, & per horæ quadrantem, & eo minus sinantur, deinde tergantur, & locus aqua calida abluatur. Hoc genere liniměti vtuntur illi, qui in hypocaustis, seu stufsis manent, & lotioni hominum operam dant.

Scripsit Rondeletius in Turcarum dominio reperiri minerale quoddam, rusma, appellatum, quod agendi præstantia, omnibus psylothris iure anteponi debet; licet enim admodum sit temperatum, nec partem, cui adhibetur, vrat, pilos tamen celeriter, & sine dolore perdit, & loca leuia, glabraque reddit, nullo remanente pilorum vestigio, vt verò rectè applicetur, debet in tenuissimum puluerem leuigari, & cum portione media calcis viuæ in aqua dilui. Hanc mixturam Turcicæ mulieres paulò ante balnei, aut hypocasti ingressum partibus obscœnis, & axillis adhibent, quas depilare, & perpetuò glabras manere desiderant. Hæc Rondeletius; quid autem sit rusma declarat idem ex sententia Bellonis suarum obseruationum cap. 33. & lib. 3. quod est scorię ferri multum simile, sed leuius, nigrius, & quidpiam exustum referens, in quibus re vera differt ab illa.

DE SCVTIS.

CAPVT XXXVI.

Relinquuntur inter externa particularia medicamenta, quæ emplastri in modum applicantur, scutū, & frontale, Scutum est medicamentum quoddam, quod ventriculo peculiariter applicari solet, scuti formam habens, illiusque calorem suscitans, robur adaugens, & coctionem iuuans: solet id concinnari interdum ex emplastro quodam stomachico super aluta extenso, & admoto, & aliquando ea parte, qua proximè carnem contingit rara syndone inuoluto; Sæpiùs tamen fit ex arida materia, quæ ventriculo confert; vnde Ioannes Heurnius dicebat, cum ventriculi vis languet, scuti forma effingitur sacculus, & huiusmodi scuta admouentur loco vnguentorum, & epithematum. Materia nobis copiosissima suggeritur calefacientium, & roborantium, inter quæ ea eligenda veniunt, quæ ventriculum speciali dote respiciunt, *vt*,

Nux moschata,
Macis,
Garyophylli,
Calamus aromaticus,
Schœnantum,
Rosæ,
Mentha,
Absynthium,
Et alia multa, quæ suaui odore spiritus recreant, & amico calore iuuant coctionem: sic autem parari potest scutum, viribus ad dictos vsus efficacissimum.

Scutum pro Ventriculo frigido.

℞. Cyperi,
Ligni aloes ana drach. j.
Calami aromatici,
Schœnanti,
Cinnamomi,
Garyophyllorum,
Nucis moschatæ ana drach. semis.
Macis scrup. j.
Rosarum rubearum,
Maioranæ,
Absynthij,
Menthæ ana drach. ij.
Saluiæ drach. j.

Fiat omnium puluis, qui cotonio moschato exceptus, & intersutus, geminis linteis in formam scuti concinnetur.

Aliud scutum minori sumptu confectum, ad hunc modum concinnari potest, quod etiam ventriculo est applicandum.

Scutum aliud ad idem.

℞. Galangæ,
Ireos,
Piperis ana drach. j.
Baccarum lauri,
Cumini ana drach. femis.
Abſynthij vtriuſque,
Menthæ,
Saluiæ,
Roſmarini ana manip. ſemis.
Fiat omnium puluis, excipiatur carpto goſſipio, & fiat ſcutum regioni ventriculi admouendum.

Huiuſmodi duæ formæ ſcutorum applicantur, vbi ventriculus ab intemperie frigida læditur; deſcribunturque ambo à Ioanne Renodæo in ſuo Antidotario cap. de ſcutis. At vbi materia non ſit tam craſſa, nec ventriculus intemperatus ad tantam frigiditatem, poteſt fieri aliud ſcutum, vt eſt ſequens.

Scutum temperatum.

℞. Roſ. rubearum pug. j.
Maſtiches,
Corallorum rubr. ana vnc. ſemis.
Sem. aniſorum,
Fœniculi ana drach. j.
Garyophyllorum,
Nucis myriſticæ ana drach. ſemis.
Abſynthij,
Menthæ ana manip. j.
Fiat puluis, & inde fiat ſacculus ad formam ſcuti.

DE FRONTALIBVS.

CAPVT XXXVII.

Huiuſmodi medicamentum applicari conſueuit in doloribus capitis, & præſertim cum cephalæam caput patitur, aut hemicraniam. Dicitur autem frontale, eò quòd ſiue ſimplex fuerit, ſiue compoſitum, applicatur fronti. Aliquando autem contingit materiam facientem dolorem eſſe calidam, & proinde ad illius extinguendum ardorem, & etiam ad conciliandum ſomnum, cum ob febres perpetuas, & vigilias vires dilabuntur, ſanguinem corrumpunt, & mentem exagitant, tunc ſalutare eſt, topico refrigerante, & hypnotico ſuper oſſe coronali admoto, dolorem lenire, feruorem minuere, ſanguinem temperare, & fumos ſurſum repentes cohibere. Hoc genere medicamẽti diebus præteritis vſi fuimus in Antonino Brancaccio Medico doctiſſimo, qui erat in continua vigilia cum delirio, fuit autem medicamentum ad hunc modum paratum.

Frontale refrigerans.

℞. Lactis,
Olei roſati ana vnc. iij.
Micæ panis lib. ſemis.
Sem. papaueris albi vnc. j.
Quo præſidio, atq; alijs factis internis, & externis à me, & à doctiſſimo Vincentio Riſico Protomedico fuit liberatus. Itaque eſt hæc frontalia adhibere in huiuſmodi caſibus, ſed cauendum ne cerebro pituitoſo humectantia, & refrigerantia applicentur frontalia, præſertim hyeme, ac ſenibus, cùm nec quidem æſtate ipſis conueniant, neque quibuslibet frigidis naturis. Iuuenibus verò, & bilioſis, & calido morbo, qui moleſtiſſimum capitis dolorem, & immoderatam vigiliam induxit, quouis tempore admota proficiunt. Tandem omnia frontalia ſunt plus, minuſue humida, vel prorſus ſicca, & multiformia, & variam inter ſe conſiſtentiam habent; vel enim ſub forma vnguenti parantur, vel litus, vel opiatæ, vel cerati, vel malagmatis, & cum herbis intritis oleaginoſa quædam ſuperadduntur, & ex mixtura conficitur frontale.

Sicca quoque vniformia ſunt, ſed ex folijs, & floribus plantarum integris, vel pulueriʒatis, & duplici ſindone interſutis paran-

parantur.

Familiare est etiam mulierculis, quod fit hoc modo.

Frontale temperatum.

℞. Folior. lactucæ,
Et bettonicæ minutim incisorum,
Rosarum ana manip. j.
Madeant in oxyrhodino, & fiat, vt consueuit, frontale.

Frontale ad Capitis feruorem, & somnum conciliandum.

℞. Conseruæ nenupharis drach. vj.
Conseruæ rosarum vnc. semis.
Flor. papau. albi pug. ij.
Pistentur simul in mortario cum pauco vnguento populeone fiat frontale.

DE FOMENTIS seu fotibus.

CAPVT XXXVIII.

Quotidiana experientia nobis ostendit posse omnes nostri corporis partes per fomenta curari, quæ etiam apud antiquos Authores in maximo erant vsu, vt apparet apud Aetium, Trallianum, & alios Authores, qui, & aures, & oculos fotibus curabant; vsus enim ipsorum videtur esse in sedandis, & mitigandis doloribus, capitis præsertim, aurium, oculorum, thoracis, ventriculi, hepatis, lienis, testium, articulorum, partiũque minimè vulnere, aut vlcere lęsarum. Præstat etiam, & auxilium ijs, qui mingere nisi cum difficultate nequeunt; nam cutem perspirabilem reddunt, tumores duros, scirrhosos emolliunt, attenuant sanguinem, eiusque portionem discutiunt, abscessus suppurant, & coctionem iuuant.

Fomenta alia dicuntur humida, alia sicca; vnde in affectibus, vbi emollire, & dolorem sedare fuerit opus, humida fomenta ex vsu sunt; at vbi exiccare, atque flatus discutere cupimus, magis conueniunt sicca fomenta, sed ab initio semper leuia administrari solent, deinde mediocria, & tandem, fortiora, siue acria.

Leuia verò fomenta, sunt vtres, seu vtriculi, vesicæ bubulæ, vasa æ nea, aut fictilia, aut vitrea aqua calente, vel liquore aliquo repleta.

Mediocria fomenta, ex lana, aut spongia fiunt, vel panniculis, siue lineis duplicatis aut triplicatis: huiusmodi fomenta applicari consueuerunt antequam administrentur cataplasmata, & vnguenta, vt meatus aperiant, & alijs viam præparent.

Fomenta sicca, sunt sacculi, de quibus superiùs diximus, & tractat Hyppocrates in curatione pleuritidis, vbi affert sacculos quosdam, ex orobo, anetho, hyssopo, flor. chamomillæ, origano, milio, sale, alcionio, sinapi, & id genus, quæ reponuntur in sacculo, & parti dolenti applicantur: fomenta igitur sicca parantur ex herbis, seminibus, radicibus, & id genus alijs actu siccis.

Fomentum ad dolores calidos.

℞. Mucaginis cydoniorum,
Psyllij,
Rad. maluarum ana vnc. vj.
Lactis lib. j.
Aceti vnc. j. & semis.
Misce, & fiat fotus.

Fomentum ad dolores à materia frigida.

℞. Bettonicæ,

Saluiæ,

Saluiæ,
Rosmarini,
Polij montani,
Chamomillæ,
Meliloti ana manip. j. & semis.
Sampsucci,
Dauci,
Seselios,
Fœniculi,
Fœnigræci ana vnc. j.
Si fieri oportet sicca, redigantur in pulnerem, & in sacculum recondantur, & applicentur parti affectæ, possunt etiam fieri humida, si coquantur in aqua, vel vino.

Fomentum ad Pleuritidem.

℞. Altheæ,
Maluarum,
Violariæ,
Chamomillæ,
Meliloti,
Florum liliorum ana manip. j.
Caricarum paria x.
Seminis lini,
Ammeos ana vnc. j.
Coquantur in hydreleo, & applicentur.

Fomentum ad Ventriculum roborandum.

℞. Calami odorati,
Cyperi rotundi,
Galangæ ana drach. ij.
Fol. absynthij vtriusque,
Folij Indi,
Spicæ nardi, & celticæ ana manip. j.
Rosarum pug. j. & semis.
Coquantur in vino optimo.

Fomentum pro liene.

℞. Corticum capparorum,
Filicis,
Tamarisci,
Salicis,
Fraxini ana vnc. j.
Cetrach,
Linguæ ceruinæ,
Origani,
Rutę ana manip. j. & semis.
Agni casti vnc. semis.
Seseleos drach. ij.
Chamomillæ,
Meliloti ana manip. semis.
Fœnigræci drach. vj.
Styracis,
Ladani ana drach. ij.
Coquantur in aqua ferrata, & aceto secundùm artem.

Hæc sunt, quæ loco exempli in medidium afferre placuit, quorum syluam habemus apud varios Authores. Materia, ex quibus fiunt huiusmodi fomenta, sunt radices, vt maluæ, altheæ, liliorum, raphani, & petroselini, flores sunt chamomelini, meliloti, summitates anethi, sambuci. Fructus sunt ficus, passulæ, cucumer agrestis; herba præscriptarum rerum, tapsus barbatus, calamenthum, origanum, violaria, pro quauis liquoris libra accipiatur manipulum vnum, vel etiam duo herbarum, & bulliant vsque ad medietatem, vel ad tertias: hæc de fomentis dicta sufficiant.

DE EPITHEMATIBVS.
CAPVT XXXVIIII.

SCribit Rondeletius epithemata ex Paulo, Aetio, Dioscoride malagmata dici, quæ visceribus, alijsque partibus applicari solent, cùm tamen inter liquida medicamenta, quæ foris applicari consueuerunt, nullum frequentius illo à Medicis vsurpetur. Epithema igitur est medicamẽtum liquidum ex aquis vt plurimum elambicatis, succis, aceto, vino, vel oleis, pulueribusque additis, estque in triplici differentia; nam alia constant, ex aquis, vel liquoribus prędictis, alia ex ijsdem pulueribus admixtis; reliqua

reliqua verò non differunt à scutis antiquorum, cùm ex ficciori constent materia linteis inclusa, nisi quòd prædictis liquoribus irrorantur; differt epithema ab embroca, siue irrigatione, à modo vtendi; nam epithemata admouentur partibus affectis cum pannis lineis, vel sericeis, aut laneis, embrocæ autem per fistulam ex alto instar pluuiæ applicantur, & ex maiori parte ex aquis destillatis, aliquando etiam ex decoctis simplicium componuntur. Græci sæpissimè confundunt epithemata, & malagmata, vt apud Paulum videre est. Admouentur capiti, cordi, hepati, pectori etiam, atque testibus: præterea ad hæmorrhagiam sedandam, & ardoribus medendis.

Epithemata, quæ ad refrigerandum, repellendumque sunt destinata, aliquid aceti rosati, vel etiam alterius, cum aquis, vel succis recipere debent, & similiter vbi altiùs penetrandum est, quamuis vbi pro corde, & roborandis spiritibus componi debeant, loco aceti vinum optimum album supponi debet.

Epithema frigidum pro capite in Cephalalgia.

℞. Aquarum plantaginis, **
solani,
rosarum ana vnc. ij.
Aceti rosati vnc. iij.
Camphoræ scrup. j. **
Santali rubei,
Nymphææ ana drach. j.
Misce, & fiat epithema, cui addi potest olei rosacei vnc. j. & semis. vel ij.

Epithema calidum pro capite:

℞. Aquæ bettonicæ,
serpylli,
sampsucci ana vnc. ij. **
Aquæ vitæ optimę vnc. j.
Misce.

Epithema frigidum pro corde.

℞. Santali albi,
rubei,
Flor. nenupharis ana drach. j.
Rosarum,
Violarum,
Granorum alkermes drach. semis.
Serici tincti scrup. ij.
Fragmentorum pretiosorum scrup. j.
Camphorę scrup. semis.
Aquę rosarum,
violarum ana vnc. iij.
Aceti vnc. ij.

Epithema temperatum pro corde.

℞. Pulueris ad epithema cordis vnc. semis.
Aquę buglossę,
borraginis,
rosarum,
melissę ana vnc. j. & semis.
Aceti rosati vnc. j.
Camphorę gran. vj.
Moschi gran. ij.
Misce.

Epithema calidum pro corde.

℞. Rad. vtriusque been ana drach. j.
Garyophyllorum,
Cinnamomi,
Macis ana drach. semis.
Sem. ocymi garyophyllati,
Trochisc. gallię moschatę ana scrup. j.
Aquę melissę drach. ij.
Vini albi optimi vnc. iij.
Aquę flor. aurantiorum vnc. j.
Misce.

Pro hepate calido.

℞. Succi cichorij vnc. iij.
Aquę endiuię,
hepaticę,
Aceti ana vnc. j.
Spec. triumsantal. vnc. semis.
Aquę absynthij vnc. j. & semis.
Misce, & fiat epithema.

Epithema ad hepar frigidum.

℞. Trochisc. de absynthio,
Spicę nardi,
Schœnanti ana drach. j.
Pulu. diarhod. abb. drach. ij.
Aquę absynthij,

Cupa-

Eupatorij,
Vini optimi,
Misce.

Vt plurimùm sunt epithemata in istis partibus, raro in alijs, vt dictum est, ex aquis stillatitijs affectui proprijs, & parti affectæ. Inter cęteras aquas destillatas aqua buglossę, & borraginis semper commendari solent, eò quòd temperatę sunt; aqua verò violarum, rosarum, & nenupharis conueniunt, vbi refrigerandum est, vinum verò semper additur vbi calefaciendum est, & in spiritibus resocillandis. Nullus est Scriptor, qui non afferat multas epithematum differentias, tam pro corde, quàm pro hepate, sed potissimùm pro corde. Et hęc sunt, quę pro examine multorum medicamentorum vsualium sub nomine Antidotarij Messanentis dicta sint satis.

Relinquuntur ad perfectam eorum, quę dicta sunt cognitionem; tria, videlicet, Catalogus eorum, quæ in Pharmacopolijs Messanæ conseruari debent; deinde quorundam simplicium præparatio.

Tertiò succedanea, quæ à vulgo dicuntur quid pro quo, quibus tandem mensurę, & ponderum, rationem adijciemus pro coronide, de quibus sigillatim in sequentibus.

CATALOGVS RERVM OMNIVM QVAE ASSERVARI DEBENT MESSANAE

A PHARMACOPOLIS IN SVIS OFFICINIS AD VSVM MEDICVM.

EX PLANTIS, ET Arboribus.

Folia,
Flores,
Semina,
Radices,
Fructus,
Succi,
Liquores,
Gummi,
Cortices,
Ligna,
Aromata.

EX ANIMALIBVS.

Pinguedines,
Medullæ,
Ossa,
Pili,
Excrementa,
Sanguis,
Et lac.

EX TERRA.

Metalla,
Lapides,
Gemmæ,
Et terræ.

EX MARI, ET AQVIS.

Sal,
Spuma eiusdem,
Bitumen,
Spongea,
Coralli,
Succinum,
Margaritæ.

Ex Plantis, & Arboribus.

STIRPES, SEV FOLIA.

A

Abrotanum mas, & fæmina.
Absynthium vulgare.
Acanthus vera.
Acetosa.
Acetosella, quæ & alleluia dicitur.
Acoris, herba venerea, & fumanella.
Agnus castus, vitex, & salix amerina dicitur, & ligos, quod maximè flexilis sit, & lenta dicitur, & castus quòd in cereris sacris fæminæ castitati studentes eam gestarent, vt Aristophanes, est Author.
Adiantum, seu capillus veneris, eò quòd eius folium in aqua persusum non madeat.
Aiuga, seu iua arthritica.
Alcea.
Althæa, quæ & idbituas, & bismalua dicitur.
Alchimilla, quæ pes leonis, & stellaria dicitur.
Anagallis.
Ancusas, idest buglossa syluestris, aliqui alcanam vocant.
Anonis, idest resta bouis.
Anthemis, idest chamomælum.
Anethum.
Apium, idest herba leonis, crispum petroselinum, eleoselinum Dioscoridis, non est nisi palustre Matthioli.
Artemisia.
Arnoglossa, idest plantago.
Assarum.
Asplenium, seu cetrach.
Atriplex.
Auricula muris.

B

Balsamita, quæ & sisymbrion dicitur.
Basilicum, ocymum vulgare citratum.
Bardana, seu lapation, & personata.
Benedicta sana munda.
Bettonica coronaria herba, tunica dicta.
Beta nigra.
alba.
rubra.
Blitum maius.
rubeum.
album.
Branca vrsina vulgaris, sphondylum est.
Branca hortensis cranui dicta.
Brassica syluestris.
Brassica marina, quæ soldanella dicitur.
Borrago, buglossum veterum.
Buglossa, quæ & echium dicitur.
Buphtalmum, seu cotula non fætida.
Bursa pastoris.
Buxus.

C

Calamintha vtraque.
Carduus benedictus.
Carduus mariæ, subaha.
Cauda equina, quæ & equisetum.
Capri folium, seu matris sylua garyophillata.
Chamædryos, quæ & trisago, & quercucula calamandrina.
Chamepitys.
Chamalæa, seu mezereon.
Centaurium minus.
Chelidonium maius.
Cerefolium, idest myrrhis.
Cichorium intybus syluestris.
Cicuta.
Cimæ rubi.
Clematis daphnoides, idest vinca pro vinca.
Consolida maior.
minor.
saracenica.
& regia.
Corallina, muschus marinus.
Coronopus.
Crassula.
Cretamus, seu critmū herba sancti Petri.
Cuscuta latinis cassutha.
Cynoglossum.

D

Daphnoides, seu laureola, eius folijs pro mezereo vtuntur aliquæ Officinæ, & semine eiusdem pro coccognidio.
Dictamus creticus, pulegium ceruinum, qui &

qui & fraxinella à quibusdam dicitur.

E

Ebulus.
Empetrum, calcifraga, & perforipetra dicitur.
Epithymum.
Equisetum.
Euphragia.
Eupatorium triplex.
Dioscoridis agrimonia.
Auicennæ origanum aquaticum.
& Mesues agiton quibusdam canphora, & Giuliana dicta.

F

Fœniculus.
Filix mas.
fæmina.
asmunda.
querna.
Filicula.
Filipendula.
Fraxinus.
Fumaria.
Fragaria.

G

Galion.
Genista.
Geranium.
Gramen.

H

Hastula Rega.
Hedera.
Helix Arborea.
Helxine volubilis, & parietaria dicta.
Hyppoglossum.
Hyoscyamus.
Hyssopum.
Horminum, sclarea dictum.
Hypolapatum.
hypericum.

I

Iberis.
Isatis glastum, seu guadum dictum.
Intybus, seris, scariola, endiuia vera
Intybus hortensis, cicorea vera caput monachi, & taraxacon syluestre.
Intibum syluestre, amarago embubea.
Iua moschata, quæ est polium alterum Matthioli.

L

Labrum veneris, dictum dipsacas.
Lactuca satiua, & syluestris.
Lapathum, idest rumex.
Lauri folia.
Laurentiana, consolida media flore albo.
Lepidium.
Leuisticum.
Lichen, idest hepatica.
Linaria.
Lingua ceruina.
Lotus vrbana.
Lupus salictarius, idest lupulus.

M

Magistrantia, quæ & Imperatoria dicitur.
Marum verum.
Maiorana.
Malua.
Marrubium.
Matricaria.
Melilotum nostrum, & est lotus syluestris.
Melissophyllum, quæ & melissa, & citrago, & apiastrum dicitur.
Mentha cripsa.
rubea.
aquatica, quæ & balsamita dicitur.
Menthastrum, quod nepeta, calamintha dicitur.
Mercurialis vtraque mas, & fœmina.
Mille folium.
Muscus, vsnea dictus.
Myrtus.

N

Nasturtium.
Numularia.
Nymphea.

O

Oleę folia.

Ophio-

Ophiogloſſum.
Origanum vulgare, & creticum.
Orminum, ſeu ſclarea, maius ſylueſtre gallitricum dictum, minus ſaluia ſylueſtris.

P

Parietaria, quę & helxine dicitur.
Parthenium, ideſt cotula fætida.
Paronychia, ideſt ruta muraria, ſaxifraga, empetrum, ſaluia vitæ.
Paris.
Paſtinaca.
Pentaphyllum.
Perſoliata.
Pes columbinus.
Perſicaria.
Perſonata, quæ & lapa maior, & bardana dicitur.
Perſicorum folia.
Phyllitis, ſcolopendria.
Phu, ideſt valeriana.
Polium vtrunque montanum, & minus.
Polygonum, quod ſanguinariam, centinodiam, corrigiolam, proſerpinacam appellant.
Polygonatum, ſigillum Salomonis.
Potentilla.
Prunella.
Primula veris, quæ & verbaſculum odoratum, herba paralyſis, caſtus piperella, herba Sancti Petri, aut Pauli.
Portulaca.
Pulegium.
Pyrola.

Q

Quercus folia.

R

Ranunculus.
Raparum folia.
Roſa.
Roſmarinum.
Ruta.
Rubus.

S

Sabina, ſauina officinis.
Salix.
Saluia.
Sambucus.
Sanicula.
Satureia.
Saxifraga alba.
Scabioſa.
Scordium verum.
Sedum, hoc eſt ſemperuiuum, & barbarouis.
Sedum minus, vermicularis.
Senæ follia, & fuliculi.
Senecio.
Serpyllum.
Sium.
Siſymbrium, ideſt balſamita.
Siſymbrium, hoc eſt naſturtium aquaticum, creſcioni vulgò.
Spinacia.
Smyrnium, oluſatrum dictum.
Solanum, ſeu ſolatrum.
Solanum maius, manicum dictum, ſyluaticum belladonna dictum.
Sonchus, ideſt cicerbita.
Spina alba, quæ & bedeguar dicitur.
Spina arabica, vel Aegyptia ſubhaha.

T

Tamariſcus.
Tanacetum.
Trinitas.
Trifolium.
Thymum.
Tuſſilago, ſeu vngula caballina, ſeu farfara.
Trichomanes, ſeu polytricum officinarum.

V

Verbaſcum.
Verbenaca.
Veronica.
Violaria.
Vitium folia, pampini.
Vrtica Romana.
Vitis alba, ideſt bryonia.
Vitis nigra, quæ & vua taminea dicitur.
Vincetoxicum.
Vitis vinifera.

Xanthi-

X

Xanthium, Lappa minor.

Herbæ quinque communes emollientes.

Malua.
Althæa.
Acanthus.
Mercurialis.
Violaria.

FLORES.

A

Anethum.
Antos, hoc est rosmarinum.
Amarantus.
Acacia.

B

Balaustium, syluestris punicæ flos.
Borrago.
Buglossum.
Basilicon.
Betonica.

C

Caryophylli.
Caltha, calendula
Cichorium.
Cheyri leucoium.
luteum, &
album.
Chamomilla.
Crocus.
Cicraria, melissa.
Cyanus.
Cytinus, satiue punicæ flos.

E

Echium palustre.
Epythimum.

G

Genista.

H

Hyacinthus.

I

Iuncus odoratus.

L

Labrusca, flos vitis syluestris.
Lauendula.
Lilium album.
Lilium conuallium.
Ligustrum.
Lupuli.

M

Malua vtraque.
Melilotus.

N

Narcissus albus, &
luteus.
Nymphęa vtraque, hoc est nenufar.
Nucum iuglandium.

O

Origanum.
Othonna, garyophylli Indici.

P

Persicorum prunellę.
Papauer album.
rubrum.
erraticum.
& variegatum.
Pæonia.
Periclymenum, idest matris sylua.
Prunorum syluestrium.

R

Rosæ.

S

Saliunca, narnus celtica quibusdam.

Sam-

Sambucus.
Stœchas arabicum, & citrinum.
Spica nostra.
Scabiosa.
Siligo.

T

Tilia.

V

Verbascus.
Verbasculus odoratus, idest primula veris, seu herba paralysis.
Violæ purpureæ matronales.

Flores quinque cordiales.

Rosarum.
Violarum.
Borraginis.
Buglossi.
Mellissę.

SEMINA.

A

Absynthij serifij, hoc est santonicum.
Acetosæ, oxalidis appellatæ.
Agni casti.
Altheæ.
Ameos.
Amomi.
Anethi.
Anisi.
Apij satiui, idest petroselini vulgaris.
Anthoræ.
Anguriæ.
Aquilegiæ.
Arnoglosi, seu plantaginis.
Asparagi.
Atriplicis.

B

Bardanæ.
Basiliconis, idest ocymi.
Bauciæ.
Berberorum.
Bambacij, hoc est xili, seu coti.
Brassicæ caulis.
Bulbi cæpe.

C

Cannabis.
Cardui benedicti, & mariæ.
Carui.
Carthami.
Cerefolij.
Chermes, coccus baphica.
Coccignidij, fructus thymeleæ.
Coriandri.
Cicer candidum, russum, nigrum.
Cicutæ, oblongum est, non rotundum.
Cydoniorum.
Citri.
Citrulli.
Cumini.
Cucurbitæ.
Cucumeris domestici, & syluestris.

D

Dauci veri nostri, & cretici.

E

Erucæ.
Erui, seu orobi.

F

Fabarum.
Fœniculi marathri.
Fœnugræci.
Fraxini, lingua auis.
Fumiterræ, capnios.

G

Genistæ.

H

Halicacabi, alkakengi.
Hordei.
Hipposelini, leuistici nostri.
Hyoscyami, alterci.
Hyssopi.

I

Intybi, endiuiæ, & scariolæ.

L

Lactucæ.
Lathyris, cataputia minor.
Lapathi.
Lentium.
Leuistici.
Lini.
Lithospermi, milij solis.
Ligustici veri.
Lupini.

M

Maluæ.
Maioranæ.
Melonum.
Milij.
Mespilorum.
Myrti, myrtilli.

N

Napi.
Nasturtij.
Nigellæ, gith, melantij.

O

Orizæ.

P

Pæoniæ, neremisch Auicennæ.
Papaueris vtriusque.
Pastinacæ syluestris, dauci semen.
Petroselini.
Perfoliatæ.
Perforatæ, hyperici.
Phasioli, dolichi.
Pimpinellæ.
Portulacæ.
Porri.
Psyllij.

R

Rapi.
Raphani, radiculæ.
Rhois, sumach.
Ricinij, cataputia maior.
Rusci, brusci.
Rutæ vtriusque domesticæ, & syluestris quæ, & harmel Aetio.

S

Saxifragię.
Seseleos masil. siler mont.
Sesami.
Sinapi.
Staphisagriæ vuæ taminiæ.
Siliquastri, capsici piperis Indici.
Smyrnij, macerone Italorum.

T

Thlapsios.
Trifolij.

V

Vrticæ nostræ, & Romanæ.
Violarum.

Zeæ, speltæ.

SEMINA.

Quatuor semina calida.
- maiora: Anisi. Fœniculi. Carui. Cummi.
- minora: Ameot. Amomi. Apij. Dauci.

Quatuor semina frigida.
- maiora: Cucurbitę. Cucumeris. Citrulli. Melonum.
- minora: Endiuię. Lactucę. Scariolæ. Portulacæ.

RADICES.

A

Aconiti, lycoctoni, luparia.
Acori vulgaris, gladioli lutę. peregrini, galangę maioris.

Althęę

Althçæ ebisci.
Angelicæ veræ, & syluestris.
Alcannæ.
Allij.
Apij satiui, petroselini, officinis porro vsitatæ sunt elæoselini radices.
Ari serpentariæ.
Asari.
Aristolochiæ.
Asparagorum.
Asphodeli veri.
Agaricum recensetur à Galeno inter radices.

B

Been vtrumque, album polemonij genus.
Betæ nigræ.
Borraginis.
Buglossi.
Bistortæ, serpentaria vera non est.
Bryoniæ vitis albæ Diosc. apud Gal. vero vbique pro vite nigra vt

C

Capparum.
Chamæleonis albi, cardopatij, carlinæ.
Centaurij magni rhapontici.
Cepæ.
Chelidonij.
Cichorij.
Cynoglosi, lycopsis est.
Colchici.
Consolidæ vtriusque.
Costi vttiusque.
Curcumę, cyperi genus.
Cucumeris syluestris asinini.
Cyclaminis.

D

Dauci.
Dictami vulgaris, fraxinellæ.
Doronici nostri, & Romani carnabadij.
Dracontij veri, aut ari.

E

Ebuli.
Elenij enulæ campanæ, inulæ.
Eryngij, iringi.
Endiuiæ.
Esulæ, tithymali cyparitij.
Ellebori vtriusque.

F

Fœniculi.
Filicis.
Filipendulę œnanthes

G

Garyophyllatæ benedictæ.
Gentianæ.
Glycyrrhizę.

H

Hermodactyli veri.
Hemorocallis.
Hiacynthi.
Hipposelini leuistici.

I

Iridis illyricæ, & communis.
Imperatoriæ. Magistrantiæ laserpitij.

L

Lapathi, lapatij.
Liliorum alborum.

M

Mandragoræ.
Mei, meu.
Mezerei.
Morsus diaboli. Succisę.
Mororum celsi.

N

Nymphęę.
Nardi Indicę, & celticæ.

O

Ononis, resta bouis.

P

Palmę.
Pęonię.
Pentaphylli.
Petroselini.
Polypodij.
Polygonati, sigilli salomonis.
Pimpinellæ.
Personatiæ.
Petasitis.
Phu, vtriusque valerianæ.
Pyrethri.

R

Raphani.
Rhabarbari,& pontici.
Rhodia radix.
Rubiæ, erithrodanum, poculum aureum Mizaldo memorab. cent. 5. aph. 2.
Rusci.

S

Satyrij.
Saxifragię albę.
Sarzęparillę.
Sinę, seu chinę.
Scyllę, seu squillę.
Scrophularię, galeopsidis.
Scolymi.
Siseris.

T

Tamaricis.
Tapsiæ.
Turbith.
Testiculi.
Tormentillæ.
Tubera, seu tartuffi, boleti.

V

Victorialis.
Vincetoxici, hirundinariæ Asclepiadis. Fuchsij, quod alij negant.
Vrticæ.

Quinque rad. communes aperitiuæ.

Petroselini.
Asparagi.
Fœniculi.
Apij.
Rusci.

FRVCTVS.

A

Amygdalæ vtræque.
Anacardia.
Aurantia.
Auellanæ nux pontica.

B

Balanus, myrepsia, been.

C

Caricæ.
Capparæs.
Casia siliqua.
Cibebæ, vua illirica.
Cydonia, citonia, vel cotonia.
Citria mala, medica.
Colocynthis coloquintida.
Coni, cupresi galbuli.
Corni.

D

Dactyli palmæ laudantur, idest fuluæ, & benè maturę.

G

Gallæ immatura.
Glandes.
Glandium caliculi.

L

Limonia.
Iuiubęs zizypha serica.
Iuniperi baccę.
Lauri baccę.

Malum

M

Malum punicum granatum.
Mespilorum nuclei.
Mora Celsi.
rubi.
Myrthi baccæ, myrtilli peregrini, & syluestres.
Myxa, sebesten.
Myrabolan. v. genera.
citrini.
flaui.
chepuli.
indi, hoc est nigri.
emblici.
bellirici.

N

Nux castanea.
indica.
picea.
pinea.
pistacea.
pontica.
prænestina.
regia.
iuglans.
persica.
vomica, metell. Arabum.

O

Oculi populi.
Oliuæ.

P

Passulæ, vuæ passæ.
Punicum malum, granata.
Persicorum nuclei.
Pruna damascena vngarica, vulgaria.
Pruna syluestria, sili qua.

T

Thamar indi, oxyphænica, palmæ syluestris fructus.
Vascula papaueris.

SVCCI.

A

Absynthij.
Agrestę, seu omphacij.
Agrimonij.
Apij.
Aurantiorum.
Acetosæ.
Anagallidis.

B

Berberorum.
Betæ.
Betonicæ.
Borraginis.
Buglossi.

C

Chelidonij.
Cichorij.
Chamæmeli.
Citrij.
Cydoniorum.

E

Eupatorij.
Ebuli.
Endiuiæ.

F

Fœniculi.
Fraxini.
Fumiterræ.

G

Granatorum.

I

Ireos; seu iridis.

L

Limoniorum.

Mercu-

M

Mercurialis.

O

Oleum.

P

Plantaginis.

R

Rosarum.
Rutæ.

S

Sambuci.
Scyllæ.
Semperuiui.
Solani.

V

Violarum.

LIQVORES, ET SVCCI
concreti, seu gummi.

A

Acacia.
Aloe hepacica.
succotrina.
lota.
rosata.
Ammoniacum.
Assa dulcis, benzoi, & benioi fœtida.

B

Bdellium.

C

Cancamum, lacca.
Camphora.
Cera virginea, propolis.

E

Elaterium.
Euphorbium.

G

Galbanum.
Gluten, ichtiocolla.
Glycyrrhizæ succus inspissatus.
Gummi arabicum.
amygdalarum.
cedri.
cerasorum.
elemi oleæ Aethiop. seu syluestris.
hederæ.
prunorum.

L

Ladanum, ledon, ladon.
Licium, crocolytos Rhasis lib. de peste.

H

Hypocisthis.

M

Manna.
Masticheś.
Myrrha.

N

Narcaphthum tigname.

O

Opium, aphion masslach Turcarum.
Opoponax.

P

Pix greca, colophonia.
naualis zopissa.
liquida Bech.
sicca
Picebitumen.

R

Resina abietis.

cypria.

cypria.
pinus.
piceæ.
laricis terebinth.

S

Saguinis draconis.
Sagapenum.
Sandaraca, vernix, gummi iuniperi.
Sarcocolla.
Scammonium, diagridium.
Styrax calamita.
liquidus noster.
fucus cortex post expres. rubeus, quo vtuntur ad suffitum in Templis.

T

Tartarum.
Thus.
Tragacantha.

CORTICES.

A

Acacia.
Aurantiorum.
Auellanarum.

C

Castanearum.
Citri.

E

Ebuli.

F

Fraxini.

G

Granatorum, sidia, malicorium.
Guaiaci.

I

Iuglandis viridis.

L

Limoniorum.

M

Mezereon.

S

Sambuci.

T

Tamaricis.
Thuris.

LIGNA.

A

Agallochum, lignum aloes.
Aspalatus.

B

Bresilium.

E

Ebenum.

G

Guaiacum.

S

Santalorum tria genera.
Suber.
Phylira bast.

T

Tamaricis cortex.

V

Viscum quercinum.
coryli.
pyrorum.

Xylo-

X

Xylobalſamum.

AROMATA.

C

Caſsia lignea, xylocaſſia.
Cinnamomum.
Carpeſium, cubebæ.
Calamus odoratus, aromaticus.
Cardamomum vtrumque.
Caryophylli.
Cyperus longus, & rotundus.

G

Galanga maior, & minor.

M

Macis, & macer.

N

Nux moſchata.

P

Piperis tria genera.

Z

Zedoariæ. zurumbeth. Serap.
Zingiber.

Ex Animantibus.

PINGVEDINES.

A

Anatis.
Anſeris.
Ardeæ.

C

Capi.
Canis.
Caſtrati.
Cerui.
Capræ.
Cati ſylueſtris.
Caſtoris.
Gallinæ.

E

Equi.

H

Hirci.
Hominis.

L

Leporis.
Lupi.
Lucij.

M

Muris montani.

S

Serpentum.
Suis, ſeu porci.

T

Tauri.
Taxi.
Timali.

ADEPS, AVT SEVVM.

Vituli.
Vrſi.
Vulpis.
Vulturis.
Cerui.
Tauri.
Hirci.

MEDVLLE.

Canis.
Capræ.
Cerui.
Hirci.

Tauri.

Tauri.
Vituli.
Agni.

OSSA, ET TESTAE.

Cranium humanum.
Cornu cerui simplex, & vstum.
Cornu capræ.
Ebur vstum, & non vstum.
Spodium de ebore, & de canna.
Fibri dens.
Lucij mandibulæ.
Os de corde cerui verum.
Concha venerea.
Testa sepiarum, os sepiæ.
Concharum mater perlarum.
Cochlearum.
Ouorum, ex quibus pulli exclusi.
Vnguis odoratus, blatta byzantia. Arabum.
Vngula alcis.
asini.
bouis.
capræ.
Vnicornu.
Vmbilici marini.
Antale, purpura, seu tellina.
Dentale, buccina, seu dactyli.

Alia ex Animalibus desumpta.

Castorium.
Cantharides.
Coagulum leporis, hædi.
Cancer fluuialis vstus verus.
Cancrorum oculi.
Cerui genitale.
Bombix. }
Herinaceus. }
Lepus. }
Vulpes. } vstæ
Lumbrici. }
Hirundines. }
Talpæ. }
Lana succida, seu œsypus.
Nidus hirundinum.
Lupi hepar, intestina, guttur, stercus.
Pulmo vulpis.
Pili leporis.
Passer troglodites.
Scorpij vsti.

Sanguinis hirci præpar.
Scincus marinus.
Sericum tostum.
Stercus caninum, album græcum.
Tunica interior stomachorum gallinarum Galeno inutilis.
Mumia Arabum, & Rhasis.

Pretiosiora.

Moschus.
Zibettum.

METALLICA.

Folia auri.
argenti.
Argentum viuum.
Arsenicum album.
citrinum, sandaraca Græcorum.
Auripigmentum, ochrageel.
Alumen concretum.
scissille, iamenum Serap.
capillare.
vstum.
glebosum factitium nostrum, hodie vj. genera in officinis prostant.
roccæ, rupeum.
plumosum est amianthus.
fæx vini, tartarum.
catinum.
scaiolæ.
zuccarinum.
Antimonium, stimmi, stibium.
Alana, terra Tripolis.
Aes vstum, laminæ cupri, probatur rubrum, & quod tritum colorem cinnabaris imitatur.
Aeris flos, ære fuso exilit milij effigie.
Squamma crassa.
tenuis.
Cadmia fossilis, lapis calaminaris, & clymia galmey.
Fornacum, seu botrytis nostra tuthia.
Chalcitis, vitriolum album.
Cuperosa, vitriolum album præparatum.
Chrysocolla ex nitro fossili, borax, & tincar.
Cinnabaris, minium factiuum, ex argento viuo, & sulphure.
Ferri squamma.
rubigo.

scoria, seu recrementum.
cypsum.
Lithargyros auri, & argenti.
Medulla terræ.
Mercurius sublimatus, & præcipitatus hydrargyros græcis.
Minium natiuum, Dioscoridi, & Vitruuio est cinnabaris fossititia, ex qua fit argentum viuum in hydria.
Minium secundarium ex plumbo, aut cerussa in fornacibus paratur.
Sandix veterum.
Misy in sodinis Goslariæ non est vitriolũ Romanum.
Ochra natiua.
Ochra factiua, seu plumbaria.
Plumbum nigrum plei, candidum zin.
Plumbago.
Pompholyx fornacum. Nil griseum est spodas, siue spodium Græcorum.
Sal ammoniacus.
alkali.
gemmeus fossilis.
indus.
marinus.
Sandaraca Græcorum,
Stomoma, chalybs.
Squãma stomomatis ex chalybe decussa.
Sory atramentarium.
Sulphur viuum factitium.
Talcum, magnetim, vel magnetidem vocant, estque speculari lapidi cognatus, ab amiantho longè differt.

TERRAE.

Ambra vera grisea, terra pretiosa.
Armenia, bolus armenia orientalis.
Lemnia, terra sigillata vera.

LAPIDES.

Alabastrites, alabastrum.
Amianthus lapis.
Alumen plumosum.
Aquilæ Aetides geodes.
Aphroselinus, selinites, specularis.
Bouilli fellis.
Corallum album, & rubrum.
Crystallus.
Cyanus, cæruleus, lapis lazuli.
Hæmatites, schistos.
Iudaicus.
Lincis, lincurius est belemnites
Magnes.
Pumex.
Spongites, spongiæ lapis.
Thracius, seu obsidianus.

GEMMAE.

Adamas nullius in Medicina vsus, venenum quibusdam creditur, quatenus excoriat.
Amethystus.
Granatus, carbunculus, carchedonicus, vel garamanticus.
Hyacinthus.
Chrysolitus alius.
Iaspis.
Sarda corneol.
Smaragdus.
Rubinus, pyropus, carbunculus amethyston.
Sapphirus.
Cyanos fæmina, albus sapphirus.
Ostracius, lux saphir.

Ex mari, & aquis.

Asphaltos, bitumen Iudaicum.
Bitumen.
liquidum, naphtha, petroleum, & oleum Medeæ Vitruuio.
Succinum liquidi bituminis genus est.
album, carabe.
citrinum, glessum, ambra.
nigrum, gaates.
Pissasphaltus mistam picem bitumini redolet.
Camphora liquidi bituminis genus, factictia est in vsu tantùm.
Halcyonium spuma maris.
Halcyonium rotundum, pila marina.
Sperma ceti, flos maris, ambra subalbida.
Spongia, fungus marinus.
Vniones, & margaritæ.

Hæc sunt simplicia medicamenta, ex quorum recta præparatione, & ordinatione fiunt medicamenta composita, sub varia forma, vt ex suprascriptis apparet, tam interiùs sumenda, quam exteriùs admouenda.

DE

DE PRAEPARATIONE SIMPLICIVM Medicamentorum.

DVo sunt artifices, è quorum sedulitate vel sanitas, vel sanitatis conseruatio dependet; Medicus scilicet, & Pharmacopœus. Conueniunt ij in primis, in simplicium cognitione, & in recta illorum compositione. Simplicia medicamenta ea dicuntur, quæ talia sunt, qualia natura produxit, eaque iam nunc recensuimus, quibus non rarò vtebatur Hippocrates, etsi composita quoque pro diuersitate morborum, & simplicium, & compositorum vsurpasset. Medici igitur, & Pharmacopœi munus est simplicia medicamenta cognoscere, quo ad nomen primùm, substantiam, speciē, figuram, natiuum solum, tempus aptum ad eorum collectionem, duritiem, mollitiē, densitatem, crassitiem, tenuitatem, lenitatem, friabilitatem, & id genus alia.

Verum Medici cognitio superat cognitionem Pharmacopœi; nam præter hæc debet eorum facultates callere tam primas, quàm secundas, tertias, & quartas, tam manifestas, quàm occultas, seu (vt aiunt) à tota substantia dependentes. Hinc est, quòd Medici cognitio lōgè præstantior cognitione Pharmacopœi; nam illius iussu Pharmacopœus ea simplicia tractare debet, & ad vsum salutarem reddere, quod, vt rectè exequatur, ea seligere primùm, deinde præparare, & tandem componere consueuit. Vnde quemadmodum elegans Chirurgus à dextera, & iucunda manuum operatione dicitur, sic & Pharmacopœus ab illa arte, quæ pharmaca componere docet, eo nomine appellatur, quamuis etiam vocetur Apothecharius ab Apotheca, quæ locus est, vbi medicamenta recōduntur, & veneunt. Seplasiarius præterea dicitur à seplasia, quæ erat forus quidam Capuæ, in quo antiquitùs vnguenta optima fiebant. Sed hæc sunt exigui momenti.

Qualis verò debeat esse Pharmacopœus libro institutionum primo, cap. secundo his verbis declarat Io. Renodæus. Vitæ autem probitas non tam in philosopho, quàm in Pharmacopœo, qui vel tuendæ, vel resarciendæ sanitatis gratia medicamenta parat, & porrigit, expetitur; in eius enim manibus est sanitas, vita, atque mors, & illi cum mala mens est, vel nescia recti, libera patet nocendi, & necandi potestas, sicque præstat Pharmacopœum esse virum bonum, quàm Socratem.

Debet autem in primis esse pietatis studiosus Diuini Numinis cultor, inuidiæ, & liuoris omnis expers, sanus mente, artis grammaticæ gnarus, bonorum fortunæ nec indigus, nec auri, vel pecuniæ sitiens, & laboris diurni, nocturnique patientissimus; Atheos enim, vt nihil duxit Creatorem, sic nec creaturam, & inuidus alterius marcescit rebus opimis, & imperitus nihil, nisi quod ipse facit, rectum putat, atque eo nunquam quidquam iniustius, auarus autem nulli bonus, adeo vt sibi ipsi sit pessimus, & egenus facilè sit veneficus; ad turpia enim cogit egestas, indigni quoque sunt Pharmacopœi nomine, & dignitate scurræ, bibuli, histriones, mimi, errones, garruli, impostores, agyrtæ, tenebricones, & circulatores, qui nugis, fraude, iactationibus, promissis vanis, adulatione, & mendacio plebeculam decipientes, ipsius crumenam exhauriūt; nihil enim Reipublicæ magis infensum id genus hominibus, cane quouis peioribus, & angue, sed hæc obiter ad pensum reddeo.

Cùm dictum sit ad compositionem faciendam debere Pharmacopœum medicamenta seligere & præparare, neque vnicus est artificiosus modus; nam Medici elegantiores aliquos egregios modos præparandi inuenerunt, & Chimici alios:

inter medicos est Mesue, qui quatuor modos præcipuos descripsit nempe.
Coctionem.
Lotionem.
Infusionem, &
Trituram.
Alij his addunt.
Purgationem.
Macerationem.
Humectationem.
Dissolutionem.
Clarificationem.
Emollitionem.
Solationem.
Extractionem.
Solutionem.
Digestionem.
Fermentationem.
Trituram.
Pulverizationem.
Confricationem.
Rasuram.
Limaturam.
Fixionem.
Coctionem.
Calefactionem.
Vstionem.
Frictionem.
Assationem.
Putrefactionem.
Despumationem.
Exiccationem.
Indurationem.
Destillationem.
Mistionem.
Farcturam.
Extractionem.
Conseruationem.
Durationem, quamuis generaliter
Humectatio.
Maceratio.
Dissolutio.
Emollitio, & quę vel humido quoddam emolliuntur sub infusione comprehendi solent.
Rasio, & quæ attritu leuigantur sub tritura.
Calefactio.
Vstio.
Fixio, & quæ igne, aut calore parantur sub coctione, sicque infiniti pręparationis modi ad aliquot summa genera facilius reduci possunt.

Chimici verò habent suas præparationes, vt est
Calcinatio.
Digestio.
Fermentatio.
Destillatio.
Circulatio.
Sublimatio.
Fixatio.
Ad stestillationem pertinent
Exaltatio.
Exhalatio.
Circulatio.
Cohobatio.
Rectificatio.
Cohobationem vocant destillationem iteratam, qua liquor destillatus denuò affunditur ad suum caput mortuum, & rursus destillatur.

Medicus igitur, & Pharmacopœus versantur circa simplicium cognitionem, eorumdemque rectam compositionem: verùm cum hac differenria, quia Medicus modò hæc, modò illa eligit pro rei exigentia, & quantum, vel quale huic, vel illo morbo competit abigendo, præscribit, non tamen ea parat, aut præbet, sed fido Pharmacopœo relinquit, qui tanquam manus Medici appellari potest; ita enim tutiùs videtur duobus, quàm vni sanitatem, & vitam committere; Medicus enim componit medicamenta ex pluribus simplicibus indicatione desumpta à morbo, à suis causis, aut etiam aliquando à symptomatibus vrgentibus; Pharmacopœus verò solito more medicamenta parat, & ea ad futuros vsus conseruat.

Nec chimica medicamenta refellenda veniunt; multa enim reperiuntur eximiæ virtutis ad plures affectus, etiam contumaces soluendos, quare vbi Pharmacopœus egregius est Chimicus, atq; doctus, tunc ea medicamenta chimica ad varios vsus, & componere, & conseruare potest, quibus Medicus peritus vti poterit, & ad varios morbos ea ordinare. Medicinæ proceres statuerunt in officinis, seu Pharmacopolijs selecta medicamenta, tanquam in penu quodam asseruari, quemadmodum sunt ea à nobis superiùs descripta; Medicina enim est donum Dei

Dei, medicamenta verò manus, ideo recondi oportet in Pharmacopœa diuitijs, & dignitate ornata, in qua instrumenta necessaria spectanda veniunt, quibus medicamenta omnia parantur, vasa, in quibus reponuntur, simplicia, quibus constat eorum facultates, & particulariùs medicamentorum quorundam, componendi modus, quæ omnia ad futuræ ægritudinis præcautionem, aut curationem asseruantur.

De quorundam simplicium præparandorũ modo singulari Antidotariũ Bononiense sub alphabetico numero egregiè pertractat, quorũ descriptiones ad Pharmacopœi nostri instructionem hoc loco apponere placuit, & primò.

A

De Adipe.

Adeps cuiuscunque animalis lauatur in aqua, & tamdiu, quousque pura efficiatur, & clara, nec cruenta, saniosaque appareat, deinde adeps minutim concisus in duplici vase eliquatur, & eliquatus in loco frigido conseruatur, durat toto anno.

De Aloe simplici.

Aloe est in duplici differentia, simplex nempè, & cum aromatibus, prima lauatur hoc modo.

℞. Aloes purissimæ, tritæ, & cribratæ lib. j.
Aquæ pluuiæ purissimæ lib. iij.
Affunde hanc super aloem, & sinito supersedere, & colabis, quod in linteo crassum remanebit abijcito, & pinguem illam aquam seruabis ad solem, & linteolo cooperiatur, donec exiccetur, diu seruatur.

De Aloe cum Aromatibus.

℞. Aloes purissimæ, tritæ, & cribratæ lib. j.
Casiæ ligneæ,
Spicæ nardi.
Assari.
Schœnanti.
Carpobalsami.
Xylobalsami.
Cinnamomi.
Ligni aloes.
Croci.
Mastiches.
Laccæ ana drach. iij.

Decoquantur aromata in aquę quantitate sufficienti secundùm artem in duplici vase, donec duæ partes illius absumptæ sint, deinde colentur, in colatura dissolue aloem continuò agitando, & pone ad solem in patina vitriata, donec exicetur. Si autem patina linteo tecta, ne aliquid incidat, hocque toties repetatur, quousque aloe prędicti decocti duplũ sui ponderis ebiberit, hoc eodẽ modo nutritur optima aloe diluto rhabarbari decocto myrobalanorum, & diuersis succis herbarum, & florum.

De Aluminis Roccæ assatione.

Nouum fictile aluminis ferè plenum ardentibus carbonibus iniectis contegitur, & circumdatur, & tandiu vritur, donec totum alumen penitus efferbuerit, nec vlterius spumam emittat, tum refrigeratum eximitur, & in fictili reponitur.

De Anacardijs.

Mel anacardinum pluribus modis parari diximus, vbi etiam adduximns Garsiã ab Horto dicentem in aliquibus Indiæ locis anacardia viridia comedi cum sale, & aceto, non secus atque oliuas suo tempore condimus, & comedimus. In Antidotario verò Bononiensi de anacardiorũ preparatione ad hunc scriptum est modum. Anacardia assumuntur, & conteruntur, deinde in aceto macerantur diebus septem, octauo autem die coquuntur lẽto igne ad medietatem, & per linteolum colantur, fęx remanens siccata conseruatur: & hæc sunt anacardia preparata: quod autem percolatum est cum iusta mellis quantitate ad consistentiam percoquitur, quod dicitur mel anacardinũ.

De Aromatizatione.

Aromatizanda sunt medicamenta pro

libra

libra vna medicamenti ad plus assumunt scrupulum semis aromatum, vt est moschus, & galia moscatha.

C

Calcis viuæ ablutio.

Trita calx in catino copiosę aquæ dulcis miscetur, ac multùm agitatur, cũ fundo resederit, mutatur aqua, commiscetur denuò, & conturbatur, vt priùs, & cum resederit effunditur aqua, & immittitur noua, hoc septies facto cogitur in offas, quæ siccatæ reponuntur.

De Camphoræ Præparatione.

Camphora, quia mortario adhæret, dũ perpuluerizari intenditur à Pharmacopola, ideo amygdalæ in mortario priùs contundi debent, vbi verò mortarium illeuerint, abijciantur, camphora deinde in eodem contundatur, & teratur.

De Cantharidum Præparatione.

Fictile patuli oris viuis cantharidibus ferè plenum, & rarissimo linteolo obductũ, & inuersum, vasculo, in quo acerrimum ferueat acetum, imminens suspenditur tandiu, dum aceti feruentis vapore omnes cantharides enecatę fuerint, quæ ad solem siccatę, in vitreo vase angusti oris cera obturato seruentur ad annos sex.

De Coralliorum Præparatione.

Corallia alba, & rubra porphyreticis mortario, & pistillo affusa aqua rosacea tãdiu molantur, dum in tenuissimũ pollinem redacta fuerint, & indita in os stridorem non pariant, post subsidentiam aqua effusa, relicto limo, fiant offulæ quæ reponantur vasculis vitreis.

Coriandrorum Præparatio.

Coriandrorum semina ante annum collecta acri aceto macerentur tribus diebus, & deinde desiccata reponantur.

Cranij humani Præparatio.

Multa à Quercetano in sua Pharmacopœa dogmatica scribuntur, quæ vnusquisque suo arbitratu legere potest, quemadmodum, in nostris Miscellaneis de eiusdem præparatione, & vsu à nobis sat dictum fuit Decade nona epistola decima ad Onofrium Curserium Medicum Messanensem perquàm doctum.

Cornu Ceruini Præparatio.

Cornu ceruini frustula in crudo figulino vase, cui crudum operculum figulinum conglutinatum sit, aliquot foraminibus pertusum in fornace figulina vrantur, dũ vasa percocta sint, & cornu frustula candidissima euaserint, postea supra porphyreticum marmor iniecta diu terantur, & pastilli formentur, qui siccati in vitreis vasis reponantur.

E

Ellebori Nigri Præparatio.

Radices ellebori nigri exempta lignosa medulla macerentur biduò in calido succo cydoniorum, deinde exiccatę infigantur tamquam clauiculi in integrum pomum cydonium, quod cruda frumentacea pasta crassiori obductum coquatur in clibano, donec pasta percocta sit, refrigerato pomo, exemptæ radices, & exsiccatæ reponantur in loco sicco. Durant biennio elegationem præposui in Antidotario præparatione.

Esulæ Præparatio.

Esulæ radices, detracto cortice, macerantur horis vigintiquatuor in aceto fortissimo, postea exiccantur, sunt qui triduò macerare solent.

F

Ferri Præparatio.

Ferri chalybis limaturam, aut squammam purgabis primò ab omni immunditia,

tia, deinde proijciatur in aquam clarissimā, & fricetur manibus, postea sordidam aquam effunde totam, deinde pone limaturam in vasculo vitreo, vel vitreato, & tantum aceti funde super ipsam, vt non emineat, sicque per triginta dies manere permittes, vltimò tere, & repone.

Alij autē exurunt, extinguuntque, postea cum aceto fortissimo, & hoc quater: vterque modus est bonus.

G

Gersæ serpentariæ Præparatio.

Notatur hoc in loco, Gersam serpentariam corruptè legi, cùm legi debeat cerussæ serpētariæ, idest cerussa facta ex radice, quæ serpentaria dicitur, siue dragantium, vel anij, quod idem est; sic faciunt, assumunt radicem dragantij tempore veris, & siccant ad solem, in puluerem reddūt, macerantque aqua rosacea, vt insolent in patina vitrea linteolo tecta, postea tantum, quantum priùs affunditur rosacea aqua, & siccatur, & sic tertiò etiam fit, & vltimò siccata farina cum vino odoroso in massam efficitur, & hęc est cerussa ad fucum, & conciliandam formam.

De hac materia etiam dictum est capite de vnguento è citrijs.

H

Hermodactylorum Præparatio.

Hermodactyli vsuales præparabuntur ad modum Meluæ in capite de hermodactylis, cū zingibere, cumino, mastiche, pipere longo, & consimilibus roborantibus stomachum, & flatum discutientibus, & adiuuantibus purgationem.

Hircini sanguinis Præparatio.

Hircinus sanguis extrahitur, seruatureue in hunc modum.

℞. Hirci mediocris ætatis, & quadrimi, domi vino albo, & herbis calculum frangentibus, scilicet fœniculo, apio, pimpinella nutriti, Iulio, aut Augusto mense iugulati, medius effluens, ex arterijs maximè, sanguis excipitur; nam primus tenuior, postremus crassior putatur. Vaseque vitreo exceptus concrescere sinitur, atque aqueum, quod in eo est, effunditur. Reliquum linteo in vase tecto in sole exsiccatur.

Hirundinum Præparatio.

Hirundinum pulli ita iugulātur, vt sanguis effluens super ipsorum alas decidat, trito sale asperganrur, & in nouo fictili oris angusti vitreato, operculato, & luto sapientiæ oblito, vrantur in furno, cinis seruatur in vase vitreo oris angusti benè obturati.

I

Iecoris Lupini Præparatio.

Iecur lupi vino albo lauatur, deinde conspergitur puluere tenuissimo santalorum flauorum, & siccetur absynthio inuolutum, vt reponitur in arido loco.

Intestini Lupi Præparatio.

Non omne intestinum lupi accipiendum est, sed colon, & cæcum, quod in longum scissum, & transuersim in frustula diuisum lauetur vino odorato, in quo ruta, & fœniculus coxerint, postea exiccatum, vt iecur lupi repone in loco sicco inuolutum folijs rutæ siccæ.

In Conficiendis Electuarijs.

In conficiendis electuarijs, ad species mel erit quadruplū, vt vnc. iij. ex speciebus assumant lib. j. mellis, vel sacchari, in solidis verò confectonibus faciendis pro pro qualibet libra sacchari vncia vna specierum est satis.

In compositionibus illis, in quibus aliqua quantitas succorum siue decoctione cum saccharo, aut melle recipitur, hęc non est cum illis æquali pondere recipiēda, sed debet esse in duplo, vel saltem in proportione sesquialtera, hoc est, vt sit vna pars cum dimidia, scilicet pro quali-

bet

bet parte sacchari, aut mellis, recipiatur vna portio, & semis succorum.

In quibus verò decoctio rerum exiccat partem succorum, succi quantitas æquali pondere ad saccharum, vel mel accipienda est.

De Infusione.

Infusio quando per spatium temporis decoctionem præcedit, omnia simul infundenda sunt; nam quæ modicam decoctionem patiuntur, suam vim exhibent rebus infusis, & ita in decoctione vis eorum seruatur: quod non fieret, si primò infusa fuissent, sed ab ebullitione incepissent; cum enim bullienda sunt, nulla præcedente infusione, tunc ordo seruandus est, vt quę maiorem decoctionem patiuntur, primò inijciantur, deinde quæ minorem.

L

Laccæ Præparatio.

℞. Aristolochiæ longæ,
Floris iunci odorati ana vnc. ij.

Coquantur in aquæ libris quatuor, quo ad remaneant libræ tres, colato insperge laccæ integræ libram vnam, & vncias quatuor, coquatur lacca lento igne, donec sanguineum aqua contrahat colorẽ, & quicquid in lacca bonifuerit, dissoluatur, coletur per laneum pannum, aut filtrum, & sordes, quæ remanent, abijciantur, excolata sanguinei coloris aqua lentis prunis in duplici vase ad mellis consistentiam coquatur; & massa adhuc tepida in pastillos cogatur.

De Lapidis Lazuli Præparatione.

Lapis lazuli lauatur tritus primò, dulci aqua tricies mutata.

Sed huiusmodi ablutio non probatur ab omnibus, vnde alij docent elegantiorem modum præparandi, inter quos Costæi præparatio videtur præstantior, quæ à Pharmacopæis componentibus confectionem alkermes est seruenda, quæ fit ad hunc modum: vritur inquit Costæus, fictili vase, crucibulum vocant, vt fictile candeat, tunc in vas aliud, in quo humanum sit lotium, aut acetum, inuertitur, fitque ea ratione friabile, abluitur dehinc frigida, & pura aqua, atq; exiccatum teritur æneo mortario, & tabula porphyretica ad leuorem, paratoque ex
Mastiche,
Therebintina,
Colophonia, &
Propoli, pastillo solido, & qui non diffluat, totus in pastillum colligitur lapis, tum iniecta in lateritiam scutellam ampliorem vitro incrustatam tepida aqua, pastillus quoque in eandem inijcitur, & manu parumper tractatur, rursum affusa in aliam scutellam, tepida alia, atque pertractato in eadem, vt priùs pastillo, ad tertiam scutellam, & quartam, deinceps si libet ad decimam reddis, ac seruata singulis in scutellis aqua, in quibus pastillum tractasti, videbis subsidere cyaneum lapidum puriorem, in prima minus purum, in secunda, ac tertia, & deinceps in vltima magis purum; cæteræ enim sordes, quæ lapidi inerant, pastillo inhærent, effunditur tum inclinato leuiter vase singulo aqua, & quod subsedit, colligitur, desiccatur, & seruatur: pulcherrima hæc est abluendi, & parandi huius lapidis ratio, quam sequi Pharmacopœos velim: neque enim ijs assentiri possum, qui marmorea tabula tritum, ita sordidum in pastillos confingunt: hæc Costœus hoc primo de electuarijs cap. de confectione alkermes.

De Lithargyri Præparatione.

Lithargyri tenuissimus puluis denso linteolo transmissus in catino cum salis communis triti dimidio in aqua marina, vel communi, quæ digitis quatuor superemineat, maceratur diebus decem, duodenis quibusque horis rudicula totũ agitando, ac conturbando, ne durescat in lapidem, vltimo die abiecta tota aqua salsa, conteratur in mortario, deinde bis in die abluatur, semper noua aqua dulci affusa tot diebus, dum omnem deposuerit salsidinem, & candidum euaserit, ex quo siccato formentur offulæ, reponantur in

longum tempus: seruatur vt metallica.

M

De Margaritarum Præparatione.

Margaritæ mortario, & pistillo porphyretico molantur, vt dictum est de corallijs, reliqua vt in illis peragantur: qui modus etiam seruandus est in pretiosis lapillis præparandis omnibus.

De Medullæ Præparatione.

Medulla ex ossibus initiò autumni exempta lauatur, & duplici vase liquatur, & seruatur, sicut adeps in loco frigido.

De Mellis Emblicati Præparatione.

℞. Myrobalanorum chebularum,
emblicarum ana drach. xx.

Terantur, & in libris tribus aquę, coquantur ad consumptionem duarum librarum; deinde colentur, adde mellis optimi lib. vnam, deinde bulliat, donec aqua à melle consumpta sit: mel vt purgetur, quantitas aquę sit dupla.

De Mezerei Præparatione.

Mezerei folia macerantur in aceto horis vigintiquatuor, postea exiccentur, vsurpantur verò in tenuissimum puluerē redacta, ac in contundendo abijciuntur nerui, atque venæ ipsorum foliorum.

O

De Oesypi Præparatione.

Oesypi præparatio, hoc est succidarum lanarum pinguitudo, vulgò hyssopum humidam vocant, ita conficitur, lanæ illæ succidæ, idest nondum lotę è collo interfœmineis, & fæmoribus detonsæ, quantitas satis magna, calida aqua lauatur, quoad omnem sui pinguedinem in aquam deposuerit, deinde lana expressa seposita, aqua pinguis, & sordida, in vasculo aliquo diutissimè, ex alto funditur, & refunditur, donec spumosa fiat, tunc spuma subsidere permittatur, & quæ innatans pinguedo colligitur, iterumque aqua affusa agitatur, atque donec spumet, refunditur, & subsidens pinguedo colligitur: & rursus refunditur, donec non amplius spumet, & nulla aquę pinguedo innatet, tum collecta pinguedo manibus emollitur, & aqua lauatur, & siqua insidet sordities demitur, quoad purior fiat, & aqua clara defluat, albescatque nec linguam admodum mordat, quo facto in fictili denso reponitur, loco frigido.

P

Plumbi Præparatio.

Plumbum duobus modis parari consueuit, per ablutionem, & per vstionem.

Per ablutionem plumbum sic lauatur, in plumbeum mortarium infunditur, aqua cælesti, & pistillo plumbeo aliquot horis agitatur, donec liuidum acquirat colorem, & in limi modum crassescat, deinde per lineum pannum ter, quaterue colatur, & supersedere permittitur, quod subsedit exiccatum reponitur.

De Plumbi Adustione:

Super tenuissimas plumbi laminas fictili nouo inditas sulphur inspergito, additisque alijs rursus laminis, interiecto semper sulphure, donec vas expleueris, ignem succendito.

Flagrans autem plumbum ferrea rude versato, donec prorsus redigatur in cinerem, nihilque plumbi inustum relictum sit, tum demum obstructis naribus, (ne sulphuris vapor noceat) eximito, lauetur postmodum sicut cerussa.

De Pulmonis vulpis Præparatione.

Pulmo vulpis, è quo extracta sit aspera arteria, & venæ, lauatur in vino odoro, vt sanguine, quo refertus est, priuetur: mox ollæ impositus in furno exiccatur, ita tamen ne indurescat, lapidescatque, exiccatus, in arido loco reponitur, absynthij marrubijque, vel scabiosæ folijs inuolutus, ne

tus, ne putrefcat, afferuatur. Sed quoniam incidimus in fermonem pręparationis vulpium pulmonis, fcias in noftris Mifcellaneis epiftola ad Nicolaum Antonium Ferraram Medicum clarifsimum dixiffe cor leporinum ad hunc præparari modum, ipfumq́ue valere ad febrē quartanam, quo in loco etiam fcripfimus ipfius rectum vfum. Addimus hoc in loco eius præparationem: abfcindatur cor à lepore, & abfciffa arteria magna, atque vena arteriali præparetur, vt de pulmone vulpis dictum eft.

De Sacchari Præparatione.

S

Saccharum pluribus modis præparatur, primò enim clarificatur, priufquam conficiantur fyrupi.

Saccharum clarifica cum hac proportione, pro libra facchari accipe albumen oui numero vnum, & libram vnam aquæ. Saccharum quando in compofitionibus conficiendis ingreditur cum melle, id nec loco mellis, nec loco fpecierum accipiendum eft, fed fpecies cōficiantur melle quadruplo, deinde faccharum puluerizatum fubtiliter commifceatur.

Saccharum ad faciendos fyrupos cum decocto hanc proportionem, vt plurimū habere folet, quod tantæ fint pondere quantitatis, vt fi decoctum fuerit libris quinque, facchari tantundem affumendum, & decoquendum, donec filum contrahant, fi extremis digitis comprimatur, vel non fluat, fi fuper lapidem inftillaueris, vel rudiculæ, ideft fpathæ adhęreat.

Sanguinis Hircini Præparatio.

Hircus adultæ ætatis non fanefcens, boni habitus, quadraginta faltem dies ante nutritus herbis calculum frangendi vim habentibus, vt petrofelino, lybiftico, hedera, faxifragia, fraxino, fœniculo, & vino albo, iuguletur diebus canicularibus, fanguis qui medio loco effluxerit, priore, & pofteriore reiecto, tantùm excipiatur, vbi concreuerit effufo humore in plures partes fcindatur, quæ fupra fetaceum cribrum extenfæ, ac tenui linteolo coopertæ ficcentur in furno tepido, condantur in vafe benè claufo, loco ficco, feruatur in annum.

Scammonij duplex Præparatio.

Scammonium ita præparabunt. Accipiant fcammonij optimi vnc. quatuor triti in tenuiffimum puluerem, cui afpergitur modicum olei violacei, vt maffæ formā induat. Deinde aliquot cydonia magna cauantur, & in eorundem cauitatem fcammonij maffa prædicta imponitur, & malorum foraminibus obturatis, affatur cum pane in furnó, donec cydonia perfectè affentur. Poftea eximitur fcammonium, & accipitur carnium myrobalanorū flauorum vncia vna, fucci cydoniorum, vnc. quatuor. Teruntur myrobalani, & permifcentur cum cydoniorum fucco calefacto, & macerantur horis vigintiquatuor. Deinde leuiter colantur, colatum affunditur fcammonio cocto, fimulq́ue mixta calido in loco exiccantur. Hi rurfus tenuiffimè teruntur, & cum maftiche in oleo rofato diffoluta, in paftillos rediguntur.

Altera Præparatio.

℞. Scammonij optimi vnc. iiij.
Succi cydoniorum vnc. ij.
Probè mifcentur, & in calidum locum reponuntur, & quotidie mouentur, & agitantur, quoad mediocriter duræ maffæ formam accipiant, & tandem in paftillos rediguntur, & exficcantur.

Scyllæ Præparatio.

Scyllæ magnæ recentis, nec putridæ, nec gelu flaccidæ exteriores abijciuntur aridæ tunicæ, deinde maffę piftorum, vbi panis fit, includitur, & inuoluitur, coquitur, affaturq́ue poftea in furno cum panibus, donec illi percocti fuerint. Deinde è furno eximitur, & figillatim omnes eius tunicæ detrahuntur funiculo traiectæ calido loco, vt fe non contingant, exficcantur. Solemni quodam hodie more medium eius, vnde germen enafcitur, abijciunt, nec ferreo cultro, fed ligneo

gneo scyllam secant, & incidunt, ne à ferro venenosam rubiginē contrahat scylla.

Seminis Sesami Præparatio.

Semen sesami purum aqua modicè salsa irrigatur, manibus confricatur, iterum irrigatur, donec madefiat, extensum linteolo siccatur, modicè assatur, sacculo aspero immittitur, fricatur multùm, donec depiletur, cortices vento, vel halitu expurgentur, vel in aquam frigidam iniecto, cortices supernatantes deradūtur.

Setæ, seu serici assatio.

Folliculi serici eiusdem anni minutim incisi abiectis vermibus adhuc viuentibus, in ollam nouam inditi, tandiù siccantur in furno tepido, dum posśint in mortario contritione in puluerem reduci, nō in cinerem, qui seruetur in vasculo vitreo obturato.

Simplicia sunt ponderanda post cribrationem, ad compositionem faciendam.

Succi expresśi coquantur, donec clarescant, & colentur. Postea insolentur, & oleo suprapositò vitreo vase reponantur.

Syrupi æstate magis coquantur, hyeme verò minùs.

T

Tuthiæ Præparatio.

Tutia Arabum, dicta pompholyx lauatur sic. Accipe aridam, aut aqua aspersam puro linteolo modicè raro ligatam, in vase, pluuia, vel fontana aqua pleno huc, atque illuc deductam, vt pars eius vtilis, atque tenuior aquam effluat, & omne excrementum in linteo remaneat. Postea residere sinitur, & aqua cum cinere per collum traijcitur, noua deinde affusa agitatur, & effunditur per colum traiecta, & mutata tantisper aqua, donec in linteo nihil remaneat. Demum aquam excolato, cinerem autem exiccatum recondito.

V

Vitri Præparatio.

℞. Vitri clari in puluerem subtilem redacti quantum vis in vase ferreo ponatur super ignitos carbones, inibíque maneat, quoad vitrum igniatur, tunc extinguatur cum lixiuio ex stipitibus fabarum facto, iterumque conteratur, & pariter igniatur, atque in eodem lixiuio extinguatur: idque toties fiat, quoad in cinerem totum sit conuersum: quod deprehenditur cum nullum retinet colorem, neque sub dentibus stridorem, neque vllam sub digitis asperitatem facit. Hoc modo vitrum pręparatum super porphyrite in puluerem impalpabilem teritur in vsum electuarij de cineribus.

DE SVCCEDANEIS,

vulgò quid pro quo dictis.

Contingit in componendis antidotis, vt interdū nō habeamus vera simplicia, vnde tunc tēporis opus est recurrere ad alia simplicia subroganda, qua in re id in primis animaduertendum, vt illud, quod vice alterius plantæ subrogatur, prorsus earundem virium sit cum, eo pro quo subijcitur, aut substituitur, omnesq; præcisæ facultates, quæ in vno sunt, in altero reperiantur, tam in primis, quàm secundis, & tertijs qualitatibus, & in eodem gradu primarum qualitatum, eiusdemque essentiæ, & substantiæ; nam si id, quod deficit, subtilium sit partium, subrogandum quoque est, quod sit tenuium partium, si liquabile est, itidem liquabile eius vice reponatur, in odore, sapore, & in omnibus alijs qualitatibus manifestis, vel occultis, si fieri potest, cōueniant.

Et si euenerit, vt vnum sit potentius altero, tunc efficacius in minori quantitate reponitur, si è contra sit, debilius in maiori dosi reponetur.

Deinde succus pro succo.

I achr, ma pro lachryma
Fructus pro fructu.
Resina pro resina.
Folium pro folio.
, ortex pro cortice.
Lapis pro lapide.
Gemma pro gemma.
Terra vice terræ.
Et succus concretus pro succo concreto.

Est tamen hic diligenter notandum raro, aut nunquam fieri posse, vt id quod substituitur, præcisè in omnibus æquale ei sit, pro quo substituitur, quamobrem admonet Vlisses Aldrouandus vir omnium doctissimus, qui de rebus naturalibus scripserunt, vt regulæ iam dictæ adamussim obseruentur, sin minus id, quod poterit haberi, commodiùs, quàm fieri potest, substituatur.

Sæpè euenit, vt plerique Authores coacti recesserint ab huiusmodi regulis quemadmodum Galenus, & alij Græci, & Arabes. Sunt igitur admonendi hoc loco Aromatarij, vt si vera, & genuina consequi possint, nunquam ad substituta recurrant.

PRO	SVBSTITVATVR.
Absynthio Pontico	Romanum, vel Abrotanum.
Abrotano.	Absynthium, aut origanum.
Acacia, & eius succo	Succus hypocistidis, vel summachiorum, aut succus prunellorum agrestium condensatus.
Acoro.	Cuminum, & tertia pars aristolochiæ ex Auicenna, aut radices asari, aut calamus aromaticus Pharmacopolarum.
Alkakengis.	Fructus solani.
Aloes succo.	Cichorij minoris.
Aloes ligno.	Santali albi aromatici.
Alumine.	Sal gemmæ, vel vitriolum album, vel sal fossilis.
Amomo.	Carpesium, aut cubebe, vel calamus aromaticus, aut asarum.
Ammi.	Anisum, aut cuminum.
Amygdalis dulcibus.	Auellanæ.
Amygdalis amaris.	Fructus persici, hoc est nuclei persicorũ.
Aristolochia longa, & rotunda.	Clemas, aut aristolochia vulgaris.
Asphodelo.	Succus, aut radix betæ.
Aspalato.	Semen viticis, aut ligni aloes Pharmacopeorum.
Assa.	Serapinus, aut assa fœtida Seplasiorum.
B	
Balaustijs.	Malicorium.
Balsami fructu.	Cubebe, aut caryophylli, aut cardamomi.
Balsami semine.	Nux moschata, aut caryophylli.
Balsami ligno.	Macis, aut cyperus, aut lignum aloes, aut santali.
Balsami liquore.	Terebinthina destillata, aut oleum caryophyl-

PRO	SVBSTITVATVR.
	phyllorum, aut nucis moschatæ, aut balsamum ex India, vel oleum granorum iuniperi, aut oleum cinnamomi, aut stactæ myrrhæ.
Bedeguar.	Carduus benedictus.
Berberis.	Ribes.
Bulbis, & semine eius.	Semen vrticæ.
Ben albo, & ben rubeo.	Radices pastinacæ agrestis, aut satyrij, vel summitates terebinthi.
Bitumine.	Asphaltum officinarum, aut pissasphaltũ.
C	
Calamo aromatico vero.	Squinantum, aut calamus aromaticus vulgaris.
Chalcitide.	Vitriolum senectute dealbatum.
Cardamomo.	Nasturtium, aut cardamomum maius officinarum.
Charta combusta.	Medulla papyri combusti.
Caruis.	Anisi, aut dauci.
Carpesio, & cassia.	Cinnamomum officinarum.
Cinnabari Gręcorum.	Lapis lazuli, aut lapis hæmatites.
Cinnamomo.	Cassia vera duplicis ponderis.
Costo.	Radix angelicæ, aut gentiana, aut helenium.
Colophonia.	Terebinthina.
Cydoneis.	Pyra immatura.
Cubebis.	Cinnamomum optimum.
Cucumere asinino.	Radix tithymali.
D	
Dactylis.	Caricę, hoc est ficus Massilienses.
Dauco Cretensi.	Seseli Cretici.
Dictamo Cretensi.	Pulegium.
Dictamo vulgari.	Radix gentiana.
Diphryge.	Marchesita adusta, vel ramus adustus.
E	
Ebeno.	Lignum guaiacum, secundũ aliquos.
Guaiaco.	Ebenum.
Ebulo.	Sambucus.
Sambuco.	Ebulus.
Eupatorio Mesue.	Centaurium minus Syluius absynthij, & asari ana medij ponderis.
Epithymo.	Epithymbra Cretensis sub nomine epithymi.
F	
Fœno Græco.	Semen lini.

PRO	SVBSTITVATVR.
Folio.	Spica nardi Indica, vel caſsia lignea Galeni, vel macis, aut cinnamomum, vel iris Illyrica, elenium.
Fumoterræ.	Lupuli ſalictarij.
G	
Galbano.	Sagapenum.
Gentiana.	Aſarum, & radix capparum ana pars media.
Gingibere.	Pyrethrum vulgare.
Gummi arabico.	Tracaganthum.
Glaucio.	Cityſus, vel memite vulgare.
H	
Harmel.	Dictamum album vulgare, aut ſemen rutæ agreſtis. Aldrouandus ſcribit harmel eſſe rutam ſylueſtrem, cuius loco ponit viticem, vel fraxinellam, vel ſemen rutę hortenſis, vel hyperici.
Harmoniaco.	Propolis.
Hermodactylis.	Folia ancuſæ, & media pars bdelij præſertim in arthritide. Aldrouandus admonet in confectionibus non purgatorijs pro ipſis been officinarum, vel orminum Græcorum, in purgantibus verò accipere oportet illos vſuales, etiam ſi venenoſi ſint, quia præparãtur à Meſue; in præparatione enim, & correctione reſoluitur vis veneni, quæ in recentibus, & non præparatis vigeret, vel loco eorum ſubrogabitur ſemen ricini, vel agaricum.
Hyſſopo.	Satureia, aut hyſſopum vulgare.
I	
Iride.	Elenium odoratum.
Iunco odorato.	Cardamomum.
Iuiubis.	Paſſulæ.
Iaſmini floribus.	Flores roſmarini.
L	
Lacca.	Styrax calamita, vel chermes.
Lapide Phrygio.	Marcheſita, vel lapis lyngis.
Lapide Armenio.	Lapis lazuli, qui cyanos Græcè dicitur.
Lapide ſmiride, vulgò ſmeriglio.	Pumex.
Lapide ſciſsili, & ſtellato.	Lapis hæmatites.
Libyſtico, vel leuiſtico, & liguſtico pro eodem habentur.	Herba rena, aniſum, caruum, vel petroſelinon, aut cuminum, ſemina paſtinacę,

vel

PRO	SVBSTITVATVR.
	vel dauci.
Licio.	Ramnus syluester, summach, vel succus centaurij maioris, vel myrtillorum dẽfatus, vel polygoni maris, corrigiola dicti, hæc ex Aldrouando.
Lotho amaro.	Anagallis.
Luph radice.	Radix ari.
M	
Mace.	Nux moschata, & è contra pro nuce moschata macis.
Malabrato.	Illud folium vulgare, quod dicitur Indum: Aldrouandus substituit spicam nardi, vel iridem, vel cassiam odoratam.
Maro.	Maiorana, vel dictamum Cretense.
Marrubio.	Melissophyllum verum, seu apiastrum, quod citronella dicitur.
Malanteria.	Vitriolum, quod & cuperosa vulgò dicitur, vel misi, vel sori, vel chalcitis ex Aldrouando subrogari possunt.
Meu.	Cyperus, aut semen sesonis, vel vt ait Aldrouandus nardum, vel chamędrym, seson, daucum, mentham substituere ex Aldrouando possumus.
Melle.	Saccharũ rubeum, sed purum, & integrũ.
Minio quod veterum cinabaris est.	Minium officinarum, seu pictorum, quod est cerussa, quæ sandix à Dioscoride dicitur.
Molibdena.	Lithargyrus.
Misi.	Vitriolum, chalcitis, vel sori.
Mirto.	Summach.
N	
Nardo ex Syria.	Sqinantum.
Nasturtij semine.	Eius folia sicca.
Neremische.	Semina peoniæ, nardus, cuminum par pondus, vel costi tertia pars ex Aldrouando.
Nitro.	Sal gemmæ, vel vstum, vel borax.
Nuce vomica.	Cataputia.
Nuce moschata.	Spica ex Syluio.
O	
Ocymo citreo.	Ocymum garyophyllatum.
Ocymo caryophyllato.	Melissophyllum, seu ocymum citratum.
Oleo decarua.	Oleum vetustissimum.
Oleo sesamino.	Oleum amygdalarum dulcium.
Onphacio, hoc est succo agrestæ.	Succus de ribe, aut vinum austerum.

PRO	SVBSTITVATVR.
Oleo rosato.	Oleum violatum, aut nenufarinum.
Opopanace.	Ammoniacum, galbanum, sagapenum, & bdellium.
Ossibus sepiæ.	Pumex.
P	
Pellicino.	Semen nigellæ agrestris.
Penidijs.	Saccharum candidum.
Petroselino.	Smyrnium, aut cuminum.
Pentaphyllo.	Tormentilla.
Pipere longo.	Album, & pro albo, alterum nigrum.
Plumbagine.	Lithargyrus.
Pyrethro.	Vua tamina, & pro ea pyrethrum; vua enim tamina est vitis nigra.
Pissasphalto.	Aspaltum officinarum, aut pix mista cum bitumine.
Pisselæo.	Pix mista cum oleo.
Pheo.	Sandix Græcorum, hoc est minium vulgare, quod est cerusa adusta.
Phu, idest valeriana.	Spica Celtica.
R	
Ribe.	Berberis.
Radice idea.	Summachium, rhus obsoniorum, siue summach.
Rhapontico.	Istud habetur verum, ideo non est opus inquirere loco eius centaurium maius, aut rhabarbarum, quæ illi substituuntur.
S	
Sale Indo.	Sal gemmæ.
Sale ammoniaco.	Sal factitium, aut sal gemmæ.
Satyrio.	Semen ruchettæ, aut lumbi scinchiorum.
Saxifragiæ semine.	Semen pimpinellæ.
Scariola.	Endiuia agrestis.
Seseli, aut silere montano.	Semen peucedani.
Sisone.	Daucus.
Styrace rubea.	Styrax simpliciter.
Stratiore, hoc est millefolio maiori.	Lenticula palustris.
Sqinanto.	Stipites iunci odorati.
Squilla.	Pancratium.
Stœchade.	Lauendula Arabica.
Summac.	Myrtus.
Sulphure viuo.	Sulphur citrinum.
T	
Tamarisco, seu mirica.	Scolopendrium, vel cortices radicum

cappa-

PRO	SVBSTITVATVR.
	capparorum, aut gallæ.
Taraxaco.	Cichorium agreste.
Terebinthina vera.	Laricina.
Terra Samia.	Lapis hæmatites.
Terra sigillata.	Bolus Armenia, aut terra Militensis.
Tymbra, quæ est satureia.	Thymus vulgaris.
Turbit.	Esula.
V	
Vino granatorum.	Succus aurantiorum.
Vnicornu.	Succinum album, aut cornu cerui.
Z	
Zedoaria.	Gingiber, aut cyperus.
Zurumbet.	Zedoaria rotunda, aut cinnamomum.
Zibet.	Moschus.

DE PONDERIBVS, & Mensuris.

HAec sunt omnia succedanea, aut saltem maiori ex parte, quæ seruatis regulis præscriptis in vsum quotidianum venire possunt in compositione medicamentorum cuiusuis generis. Ea quemadmodum scitu necessaria sunt, ita quoque pondera omnia nosse oportet, sine quibus nec Medicus, nec Pharmacopœus recta vti possunt compositione. Sacræ autem literæ testantur Deum omnia pondere, & mensura creasse, cùm numerus sit actus rationis. Plato verò hominem animal sapientissimum asseruit, quòd nouerit numerare. Deus iusto pondere, & mensura omnia præcipit trutinari ex Leuitico 19. & Deuteronomio 25. Per mensuras, docente Ioanne Renodæo libro 4. Pharmaceuticorum capite 4. intelligere oportet instrumenta quędam instar pixidum concaua certis speciebus excipiendis, mensurãdisque accõmodata, quibus medicamẽ-ta tam simplicia, quàm composita, sicca, liquidaue, non modò Pharmacopœi, sed mercatores dimetiri solent, sæpiùs tamen ad liquores, vt oleum, acetum ptisanam, decoctum, vel similia dimetienda efformantur, eaque industria adaptantur ponderibus, vt alia vnciæ tantùm vnius, alia duarum, vel trium, alia libræ vnius, alia quinque, aut decem, vel plurium sit capax.

Sed hęc, quę scribũtur à Ioanne Renodæo, licet sint verissima, non tamen sunt medicæ considerationis, de qua nunc pondera vsitata inquirimus, nec ad ea scienda, aut exercenda necessaria cognitu sunt illa: quæ omnia à Græcis, Arabibus, & Romanis de ponderibus scripta sunt, de quibus doctissimus Mercurialis multa scripsit, & Antidotarium Bergomense ad nauseam vsque est meditatus. At quemadmodum isti prolixè nimis de hac materia scripserunt, ita Antidotarium Florentinum è contra, & Bononiense sat concisè tradiderunt, neque omnia pondera, quæ in vsu sunt, declararunt; nam Florentinum, tractat de libra, & eius partibus, nempè vncijs, drachmis, partibus vnciæ, scrupulis, grano & manipulo, dixitque libram constare

ex duodecim vncijs,vnciam verò constare ex octo drachmis, quamuis Veneti eã diuidant in nouem drachmas: drachma pendet scrupulos tres, scrupulus autem apud alios grana vigintiquatuor, communiter tamen viginti, granum verò nihil ponderat secundum ipsum. Pręterea manipulus continet, quantum tota manus apprehendere potest; hæc habentur in Antidotario Florentino.

Antidotarium verò Bononiense incipit à grano dicens id esse vnum granum hordei.

Areolum grana ij. continet.

Siliqua.

Kirat idem, grana iiij. pendent.

Dauich grana viij.

Obolus grana xij.

Scrupulus pendet grana xxiiij.

Drachma est, quæ continet scrupulos iij.

Aureus drach. j. & semis, continet, vt determinatum fuit à Col.

Exagium drach. j. scrup. j. comprehendit.

Verùm aliqua ex his sunt in communi vsu apud Pharmacopœos, suisque characteribus designata, alia minimè in vsu sũt, nec suis characteribus designata, quamuis à Gręcis omnia sint literis Gręcis designata, vt videre est apud Galenum libro de ponderibus, & mensuris, licet hic liber sit suspectus, nihilominus apud nostrates Pharmacopœos in vsu sunt pro ponderandis rebus siccis, vt v.g. vncia, quæ in hunc modum designatur, & à Medicis ita scribitur ℥ hæc constat ex octo drachmis, drachma verò ita designatur ʒ hæc verò pendet tres scrupulos, scrupulus autem sic designatur ℈ constat autem scrupulus ex viginti granis, granum autem ita designatur. g. manipulus verò ita designatur. m. pugillum etiam denotatur litera p. Reliqua verò non denotantur proprijs literis, vt est siliqua, quæ & cheration dicitur, pendens grana quatuor.

Obolus, qui pendet grana x.

Aureus verò Arabum, & denarius Romanus pendet drachmam vnam cum septima eius parte.

Silicus pendet drachmas duas.

Sextula pendet quatuor scrupulos, & est sexta pars vnciæ.

Ducla pendet octo scrupulos, tertia pars vnciæ.

Vncia, duodecima pars libræ, constat drachmis octo.

Sexcuncia, seu sexcunx, vncia vna, & semis, octaua pars libræ, idem pendet & faba Alexandrina.

Sextans, sexta pars libræ, duæ vnciæ.

Quadrans, tres vncię, quarta pars librę

Triens, quatuor vnciæ, tertia pars lib.

Quincunx, vnciæ quinque.

Semis, vel semissis, idest dimidium assis, vnciæ sex.

Septunx, vnciæ septem.

Bes, vel bessis, quasi bis triens.

Octunx, vnciæ octo.

Dodrans vnc. viiij. demitur quadrans.

Dextans vnciæ x. demitur sextans.

Deunx vnciæ xj. demitur vncia.

As, vel assis, vnciæ duodecim, seu libra Romana.

Nulla ex his propositis, mensura, aut pondus proprio charactere designatur quamuis in multis locis, & Ciuitatibus apud Medicos, & Pharmacopœos sint in vsu, quæ tamen ab omnibus Pharmacopœis vsurpantur sunt prædicta, nempe.

Libra, quæ ad hũc modum designatur, L. ponderat autem vncias duodecim, vncia verò designatur, vt dictum est, quæ constat ex octo drachmis, drachmæ autem ex tribus scrupulis, scrupuli ex viginti granis, granum autem est indiuisibile designatum, vt supra, itidem & manipulus, nec non pugillus, & hæc spectant ad pondera rerum siccarum, quarũ aliquæ per libram, vt saccharum; aliæ per vncias, vt diapenidia, & alia id genus; alię per drachmas, & scrupulos, vt sunt pilulæ, trochisci, & alia id genus, aliæ manipulis, vt sunt radices, folia, & alia id genus; aliæ per pugillos, vt sunt flores; aliæ per numerum, vt sunt fructus.

Si verò duarum, aut trium rerum mentionem habemus, & horum velimus accipere æqualem partem, dicimus ana, quod significat æqualem partem omnium, quæ proponuntur, istæ sunt mensuræ, & pondera rerum solidarum.

Sunt modò mensuræ, & pondera rerum humidarum, quæ & si plures sint

apud

apud scriptores Græcos, & literis proprijs notata, paucissima tamen sunt in vsu, inter quæ est cochlear, quod est omnium minima mensura, non secus atque granum inter pondera rerum siccarum.

Cochlear igitur videtur esse omnium minima mensura, siquidem capere potest tantum drachmam vnam, & semis. Est etiam Cyathus, qui continet drachmas decem, vel vnciam vnam, & semis.

Hemina, seu hemisextarius continet vncias nouem: qui vult plura legat Scriptores iam dictos, & hic sit huius Antidotarij nostri finis ad Sanctæ, & Indiuiduæ Trinitatis, & Beatæ Mariæ Virginis honorem, & gloriam.

FINIS

APPENDIX AD ANTIDOTARIVM MESSANENSE.

CVM absoluissem examẽ medicamentorum omnium visualium, eorum præsertim, quę in Nobilissima hac Messanensi Vrbe vagantur, & iam singula ad ipsum attinentia in lucem edita essent; ad memoriam venit duo relicta fuisse medicamenta examinanda, vnum simplex, aliud compositum: simplex est lac, compositum syrupus de corallijs. Occasio inquirendi lactis naturam desumpta fuit à diuturna perillustris D.D. Francisci Merulla ordinis Senatorij, de quo etiam in Antidotario mentionem fecimus. Is enim cùm passus esset intensum vrinæ ardorem, eumque antiquatum spatio fortè annorum triginta, simul cum gonorrhæa, cumque vir valde robustus esset, vtrunque affectum spreuit, quibus adiunctus erat insignis pruritus per totum perinæum, & communem canalem, simulque cum mictione vrinę turbidę multis excrementis refertæ, excreta quoque exibant crassa admodum, & cum sedimento crassiori variorum humorum sobolem demostrantium, & sæpè cum crassissima pituita in fundo matulæ hærente, nonnunquam pure crasso comitante: ea propter disceptatum est inter Medicos, an vlcus adesset; si quidem pus est argumentum demonstrans vlcus adesse in aliqua parte, vel renum, aut vreterum, vel vesicæ, vel communis canalis. Existimatum fuit ab omnibus adesse quidẽ vlcus, sed quanam in parte adesset, vix cognosci potuit, tunc ad mentem, venit illa Galeni tam diuulgata sententia primo de de locis affectis cap. 1. partes internas cum suis affectibus difficulter cognosci posse. Addo Galenum 2. prognosticorum tex. 37. scriptum reliquisse non rarò in ijs, qui puri similia minxissent, quęstio extitit, vnde nam exiret pus. Renes affectos fuisse ex aliquo dolore obtuso circa renum regionem cum aliquo horrore, febribusque inordinatis nam Auctore Galeno 6. de locis affectis cap. 3. renem aliquem affectum fuisse ea symptomata demostrabant. Et Hippocrates 4. Aphor. 75. scriptum reliquit, si sanguinem, aut pus mingat, renum, aut vesicæ exulcerationem significat. Addit Galenus 6. de locis affectis, quòd si per multos dies, aut menses pus exeat, nec admodum copiosè, tunc indicat, vel ab vreteribus, vel renibus, aut vesica, vel cõmuni canali prouenire, aut ab omnibus simul, quod sæpiùs in nostro ægroto multis ab hinc mẽsibus obseruatum est, qui deinde in dies magis emaciebatur cum febris hecticæ principio; & quamuis illi propinatum

fuisset

fuisset decoctum radicis chinarum in sero caprillo destillato, deinde in iure caponis, fuissentque multa balnea aquæ dulcis per vniuersum corpus administrata, nullum inde accepit commodum, imo verò magis in dies exiccabatur, cum siti valida, & inappetentia, vt tandem per integrum annum in lecto decubuerit, facie tota ad hippocraticã mutata, tẽpora enim erant collapsa, nares acutę, oculi excauati, genę eleuatæ, frons admodum tensa, labijs quodammodo denigratis, cum pulsu admodum exiguo, virturem corpus regentem languidam demonstrante. Cùm itaque in hoc statu esset, vt magnopere timeretur de ipsius morte, propositum fuit in hac desperatione, an conueniret vsus lactis, negantibus id quibusdam, & dicentibus, quòd si lac ei præberetur, trium dierum spatio omninò periturum, tandem his non obstantibus deliberauimus esse exhibendũ, atque primùm lac asininum, vt consuleretur partibus prædictis affectis, deinde, & lac caprinum ad tollendam maciem, quemadmodum docet Gal. lib. 5. de san. tuenda cap. 7. esse agendum in huiusmodi casibus: & hæc fuit occasio, cur post compositionem Antidotarij coactus fuerim adiungere hanc tractationem, in qua primùm inquiremus lactis natura, vnde quantum lac asininum perillustri Viro profecerit, breuique tempore apparebit. Atque tractatulum hunc diuidam in sex capita, primum erit de natura lactis, deinde de ipsius temperie, tertium de animalibus lac producentibus, quartum de conditionibus, quintum de indicationibus, sextum de recto ipsius, vsu, seu administratione.

DE LACTIS NATVRA, & vsu in Medicina.

SAnguinem menstruum esse materiam lactis, omnes de lacte scribentes inter se consentiunt, & quemadmodum iecur suo parẽchymate sanguinem ex chylosa materia producit, ita mammarum substantia glandulosa ipsum sanguinem mediante proprio, & innato calore in lac transmutat; sanguis enim suum colorem rubicundum à iecoris substantia rubicunda recipit, non secus lac, quod album est, album colorem à mammarum substantia, quæ alba est, nemine discrepante recipit, ita siquidem à natura comparatum est, vt transmutationes substantiarum, quæ fiunt in partibus, colorem accipiant ab ijsdem partibus, in quibus fit elaboratio, idque non solùm conspicimus in ventriculo, & iecore, sed etiam in vasis seminalibus, & testibus vbi transmutatur sanguis in semen, quod album est, imò verò idem Galenus scribit, quod si sanguis diu moraretur in venis, colorem album reciperet, qualem habent venæ, in quibus trãsmutatur lib. 13. de vsu partium 10. primo prognost. & multis alijs in locis, omnesque Auctores tanquam axioma recipiunt, vno excepto Horatio Augenio, qui lib. 7. epistolarum, & consultationum epist. 7. scribit hanc Galeni sententiam de trasmutatione materiarum, quæ in partibus alterantur, à substantia propria nihil coloris recipere, & vtitur quibusdam rationibus, quæ parum mea opinione aduersus Galenum concludunt; nam videtur afferre duo argumenta, vnum desumit à pure, quod in iecoris substantia efficitur, quod album est. Iecur verò in quo generatur est rubicundum.

Secundum argumentum est, quòd si solidarum partium substantia puris albedinem faceret, oporteret carnem in vulneribus albam generari; hæc autem caro generatur à partibus solidis, nempè spermaticis, quæ albæ sunt.

Ad primum argumentum respondetur totum iecur esse venis repletum, tam in

gibbosa sui parte, quàm in concaua Galeno docente 4. de vsu partium cap. 13. In gibbosa quidem ex venis à vena caua ortũ ducentibus, quæ multæ sunt, & crassæ; in concaua ex venis à porta ducentibus, à quibus omnibus tota iecoris substantia repleta est, hocque ordine procedunt, vt ostendi in meis Miscellaneis decade octaua epistola ad Flaminium Rotam; nam illæ, quæ ad gibbosam sunt, ad concauam iecoris regionem distribuuntur, quemadmodum illæ, quæ ad concauam sunt, rectà ad gibbosam feruntur, ita vt hepatis substantia, quæ parenchyma appellatur, sit tota venis confirmata: quando fit aliquis abscessus in iecore, opus est, vt fiat in aliqua cauitate, aut sinu, aut in pluribus, in parenchymate verò nullus est sinus, in quo possit colligi materia præter naturam, & ibi suppurari, sed colligitur in venis, quæ omnes excauatæ sunt, docente Galeno eodem citato lib. & vbi conuertitur in pus, tunc necessariò redditur alba, albedinem recipiens à calore quidem vincente, sed à venis maximè, quæ sunt partes spermaticæ albæ; hinc est, quòd pus, quod conficitur in hepate, album sit, quare Augenius nihil contra Galenum habet, & argumenta, quæ in medium allata sunt, tanto viro indigna videntur.

Ad secundum argumentũ dico ex Galeni sententia primo de semine cap. 13. partes seminales facultatem habere non quidem generandi carnem, vt idem Augenius dicit, sed sibi simile, nempe semẽ; nam natura sanguinem conuertit in materiam similem partium solidarũ, ex qua nutriuntur, eæ, quę nõ generant carnem, vt supponit Augenius, nam generatio carnis est opus naturæ, quæ vbi à natura, & ab arte pars vulnerata ad propriam tẽperiem redditur, sanguineque tanquam materia carnis proxima afluente, necessariò generatur caro 3. meth. med. cap. 3. quare solidæ partes non generant carnem, vt supponitur in argumento, vnde cõcludo lac generari à propria mammarum substantia, & à proprio, & innato ipsarum calore, cùm autem sint albæ, generant necessariò lac, quod album est, vt rectè censet, Galenus, quare nec audiendus Baricellus lib. de lactis facultatibus, & vsu cap. 6. qui hanc opinionem Augenij verissimam esse supponit, & proinde confitendum est lac albescere, non à glandulis, sed à calore innato, & à copia spirituum, ex quibus fit vera coctio.

Verùm si calorem innatum, hoc est insitum vniuscuisque partis consideremus, videbimus omnes partes à natura factas habere proprium, & insitum sibi calorem, à quo faciunt suas operationes, & præsertim nutriendi, vt Galenus est Auctor libro artis medicæ capite 9. neque venis, & arterijs indigent, vt verò conseruentur, egent affluxu à corde per arterias, & per venas à iecore, quare glandulę mammarum, quę à Galeno corpora glandosa dicuntur, vt suam faciant transmutationem sanguinis in lac, non egent venis, & arterijs, quod idem confirmat Plutarchus lib. 7. conuiuiorum quæstione prima, dicens omnes partes nostri corporis à natura propria appetitum habere, suam operationem præstare, cui ipsa est destinata, quare Baricellus non rectè sensit, vbi dicebat calorem innatum mammarum fieri à calore venarum, & copia spirituum, cùm ab innato ipsarum mammarum calore absque ope spirituum, & caloris à principalioribus demandetur, quare enim concludimus in mammis, seu in glandulis mammarum transmutari sanguinem menstruum in naturam lactis, quod est album sine ope venarum, & arteriarum: hanc sententiam habemus à Galeno 2. artis paruæ iam citato.

De Lactis Temperie.

Modò videndum est cuius temperiei sit lac, quod in mammis generatur; Baricellus loco præcitato nititur probare lac esse calidę naturæ; nam inquit, vel lac cõsideratur in mammis, & venis concoctũ, & tunc temperamentum ipsius sine controuersia calidum esse oportet, quod ex auctoritate Isaac lib. de lactis facultatibus non solùm inquit sanguine effuso calidum est, sed magis etiam in caliditate præualet, quod confirmat ex eius dulcedine,

quam in venis retinet; scribit enim Galenus 4. de simpl. med. facultatibus 17. si lac gustari posset, vbi in ventre, & per venas concoctum est, ip so etiam melle dulcius inueniretur, nā quod foris, & sese mel obtinet, id dum concoquitur, lac accipit, & cum admodum ingens in animante calor extiterit, tantam acquirit lac dulcedinem, quantam mel deperdit.

Verùm idem Galenus eodem capite parum supra de eodem lacte loquens, & de ipsius dulcedine, inquit; & si lac gustu sit dulce, tamen ex sese nunquam amarum efficitur, vt mel; vincitur enim in eo à frigore magis caliditas, quàm ipsa vincat, proinde etiam repositum acescit; ex tribus enim substantijs, qualitate discedentibus constat, prima quidem crassa, ex qua caseus efficitur, altera pinguis, ex qua butyrum, & tertia aquea, quod serum nuncupamus. Verùm ex hisce pinguis quidem vel maximè temperata est, crassa verò ab ea paulum declinat, & excrementum illud serosum, & frigidum, & humidum est, quare lac vniuersum à modicę caliditatis corpore longo interuallo relinquitur; quapropter ex sese acescit potiùs, quàm amarescit, ex quibus Galeni verbis clarum est lac suapte natura esse frigidum.

Baricellus verò ex sentētia Gal. scribit, quod si lac posset gustari, vbi in ventre, & per venas coctū est, etiam ipso melle dulcius inueniretur, quod maxima videtur egere probatione; nam lac in venis, & ventre, vbi concoquitur, nondum acquisiuit naturam lactis, quare si gustaretur non esset lac, nec inde potest concludi melle dulcius inueniri posse; nam addens, quod foris, & ex sese mel obtinet, lac dum cōcoquitur accipere, quis est, qui possit gustare lac, dum in ventre concoquitur, & in venis adhuc continetur, etiā si elaboretur in corpore maximè calido, vt videat tantam acquirere dulcedinem, quantam mel deperdit, hoc est materia lactis: nam nunquam lac potest esse lac, nisi in mammis acquisiuerit naturam lactis.

Nam aliud est considerare lac, quatenus est in mammis iam confectum, & aliud est considerare lac, quatenus est in venis: primo modo esse potest, vt lac humanum, & bubulum sit dulce, non tamen omnium animalium; nam lac asininū dulce quidem est per comparationem ad aquam, sed respectu muliebris, & vaccini est potius insipidum. Si secundo modo, quatenus est adhuc in venis, & in via ad mammas, tunc temporis nondum est lac, neque gustari potest. Concludo lac suapte natura esse frigidum, & humidum, nisi vellemus dicere ob tres illas partes, quas in se continet posse appellari temperatum potiùs.

Quod attinet ad dulcedinem, experientia demonstrat lac quodcunque non esse comparandum cum mellis dulcedine cùm potiùs videatur insipidum; nullum enim genus lactis in dulcedine æquiparari potest dulcedini mellis; quin etiam lactis dulcedo non potest dici positiua, sed per comparationū vnius speciei lactis ad alterā. Asininū lac, si comparetur vt dictū est cum aqua, videbitur dulce, at cōparatū lacti caprillo aliquo modo gustatū erit potiùs insipidū, & eo magis si bubulo, aut humano lacti comparetur, quæ multam butyri copiam obtinēt, à quo prodit dulcedo, à dulcedine igitur non potest argui caliditas in lacte, sed potiùs frigiditas, quemadmodum supra satis probatum est.

Ex sanguine, fœtus existens in vtero matris, nutritur, vbi verò in lucem prodierit, non ampliùs ex sanguine, sed ex lacte alimentum sumit. Scripsit Arist. 4. de gener. animal. cap. 6. Empedoclem generationem lactis puris generationi assimilasse, quod vbi à calore concoctum fuerit, album redditur, quamuis similitudo non vndequaque vera sit; nam ad pus generandum opus est putredine, in lactis generatione minimè, sed similitudo est ex parte caloris naturalis vincentis, & materiæ, quæ est sanguis, qui in vtraque hac coctione in album conuertitur. Cùm igitur sanguis sit materia lactis, necesse est etiam, vt ipsius natura sit multiplex, non secus atque sanguinis natura multiplex est; sanguis enim ex elemētis, & humoribus, ex quibus constamus factus est, lac verò partem terrestrem habet melancholici humoris indicium, nempè caseum, serum quoque habet ad naturam aquæ relatum, butyrum verò aereum, atque ignem, sanguinem, ac bilem refert.

Cum

Cùm autem humorum singulorum lac ita particeps sit, vt ex illis corpus obtinet, ita & temperamentum, hoc verò illis, quæ in eo maximè superant non dissimile; exuperant autem maximè frigidæ partes, terrena, & aquosa, meritò igitur Galenus 4. de simpl. med. facult. 17. & lib. 5. cap. 25. mediæ inter sanguinem, & pituitam temperaturæ ipsum censet. Ioannes Costęus vir doctissimus, qui in Archigymnasio nostro Bononiensi medicinam practicam super ordinariam diu interpretatus est lib. 1. de lactis natura cap. 6. notat ex Arist. sententia. 3. hist. cap. 20. omne genus lactis habere tum aquosam substantiam, nempè serum, tum corpulentam partem, quæ caseus appellatur, & partem pinguem, non tamen tantã, vt possit naturæ calidę lactis argumentũ esse, quemadmodũ etiam id, quod sanguis, qui est eius materia, non sit frigidus; nam in mammarum glandulis, quæ frigidæ sunt immutatur, ab illisque vt colorem album, ita & frigiditatem acquisiuit.

De Animalibus lac Producentibus.

Multa sunt animalia lac generantia; nã adest lac humanum, bubulum, ouillũ, caprinum, asininũ, equinũ, camelinũ, bubalinũ, suillum, caninv, leporinũ, & alia pleraque, sed ea tantummodo, quæ in communi sunt vsu in medicina, in præsenti cõprehendere decreuimus, quæ sunt quinque in numero scilicet, lac muliebre, vaccinum, ouillum, caprinum, & asininum.

Quæ genera lactis, docente Galeno 10. de simpl. medic. facult. cap. de lacte, duplicem præstant vsum, nutriendi videlicet, & medendi: quod attinet ad nutritionem, muliebre lac, vt substantiæ mediocritate cæteris præstat, ita vbi nutrire hominem sit opus, ob familiaritatem reliquis facilius, & promptius censetur.

Secundo loco lac vaccinum, quod crassioris, pinguiorisque substantiæ est, largiusque nutrit. Post illud est ouillum, deinde & caprinum; sunt enim hæc apta plus reponere, quàm deperditum est, sed difficiliùs coquuntur, carentque omnia genera lactis ea gratia, quæ inest muliebri, præsertim ad alendum.

Vltimo loco est lac asininum, quod parum, aut nihil nutrit hominem, quamuis egregiè suum pullum nutriat, cuius carnem audiui à Perillustri Viro meliorem, & delicatiorem esse vitulina carne, quod Authores Galli, & Hispani de hac materia scribentes affirmant; è contra verò cęteris omnibus magis medicamentosum est; nam docente Galeno 5. meth. med. 12. reliquis tenuius est, & maximè serosum, ideo maiorem habet facultatem abstergendi, nullumque est lactis genus, quod vsque adeo benè detergat, ac faciat lac asininum; quemadmodum enim in nutriendo humanum genus nihil, aut parum præstat, è contra verò in medendo primas partes obtinet.

Post ipsum sequitur caprinum, quod substantia est minus, quàm bubulum, aut ouillum, crassa, ac pingui, & tamen aliquid butyrosi continet, etiam si Galeno loco præcitato id ignotum fuerit, cùm in Dioscoridis admirationem venerit, quòd id dixerat, nẽpè capras in se habere partem butyrosam. Quod ad temperamentum attinet, minus frigidum est, quàm asininum, sed magis frigidum, quàm sit ouillum, aut bubulum, quod etiam experimento probatur eorum, quibus à lacte caprino iecoris calidior intemperies emendatur, vnde non satis mirari possum doctissimum Claudinum, qui scriptum reliquerit lac caprinum esse calidum, & febriculosum, & proinde minus refrigerare, quàm cætera genera lactis, eò quòd capra ex auctoritate Plinij 8. historiarum cap. 50. perpetuò febrit, quod tamen à Plinio non assentur, sed ex sententia Archelai, quæ non minus fabulosa est, atque sit illud, quod scripsit de iisdem capris, quæ auribus respirant, non naribus. Istudque caprarum lac, magis serosum est, quam sit lac ouillum, aut bubulum, & ob id minus nutrit, ac magis abstergit.

Sequitur, & tertio loco ouillum lac, quod magis nutrit, ac faciat lac caprinũ, minus tamen abstergit, eò quòd non tantam habet copiam seri, sed substantia ipsius lactis est crasserum partium, quæ, vt supradictum est, ad nutriendum magis est apta, non secus atque lac bubulum, sed vtrunque ob sui crassitiem aptum est facere

cere obstructiones, ita vt ex lacte ouillo possit fieri multus caseus; & butyri etiam aliquid, minus tamen nutrit, ac faciat lac bubulum, quia pinguis, & optimæ partis, quæ maximè ad nutrimentum facit, lacti bubulo comparata pauca est, magis tamē obstruit ob copiam crassarum partium, ideo flatuosum est, non minus ac sit lac bubulum, idem quoque sero magis affluit, & hoc nomine aluum magis lacessit.

Vltimo loco lac humanum ad alendum cæteris omnibus præstat, quamuis etiam in comparanda homini salute, & etiam in grauioribus morbis persanandis non est prorsus inutile, vt apparet in tabidis, qui ex lacte humano sepè recuperant vires, & à tabe liberantur.

De Conditionibus Lactis.

Dictum est ex vitioso sanguine probū lac esse minimè posse, neque si mammæ, in quibus transmutatur, fuerint labe aliqua coinquinatæ, lac laudabile prouenire: lac igitur, quod ex animali sano, & benè valēte prodit bonitatis maximum dat indicium. Quod itaque attinet ad lac, quatuor qualitatibus prẹditum esse debet, candore, dulcedine, odore, & substantiæ mediocritate, à quacunque earum deficiat, vitiosum esse iudicatur, tametsi Belgicæ fœminæ liuidum præ cæteris commendant Auctore Roderico à Castro lib. de morbis mulierum 4. cap. 27. addens huic errori dedisse occasionem Arist. locus malè intellectus, qui intelligi debet de lacte brutorum, aut certè non de liuido positiuo, sed de candidissimo, quod vt plurimùm liuiditatem quandam præ se fert. Galenus lib. 1. de sanit. tuenda cap. 9. scriptum reliquit lac debere esse albū, quia liuidum censet esse vitiosum, & Dioscorides lib. 2. cap. 63. album quoque commendat. Ioannes Costæus iudicat potiùs locum Arist. esse mendosum; nam vbi scribitur lac liuidius melius esse lacte albo, legendum sit lac album, melius esse liuido lacte, seu nigro; hoc est liuidiore album melius, ita vt velit Ioannes Costęus minus candidum extremè candido esse salubrius; non tamen illud lac, quod ob atri humoris copiam liuidius est, probandum, sed lac candidum, non tamen extremè, sed mediocriter candidum, quod vt dicebat Rodericus à Castro, nonnihil liuiditatis præ se ferens, quod est dictu, minus candidum præfertur candidissimo.

Quod ad saporē spectat, debet esse dulce, suaue; non autem acidum, vel acerbum, neque amarum, neque salsum, neque acre; nam indicium est humoris alicuius præter naturam in sanguine existētis, vt est, vel bilis, vel pituita salsa.

Quoad odorem, non est, vt vel fœteat, aut alio aliquo odore sit præditum, nisi fortè ex alimentis id contingat; nam putredinis, vel malè coctionis est indicium.

Substantiam oportet esse fluidam quidem, sed non aquosam; nam nutritio solidarum est partium, quæ aqua minimè nutriuntur, non tamen requiritur substantia crassa, aut lenta, sed debet esse medium inter tenue, ac crassum, ita vt si eius gutta vngue excepta fuerit, illi ita insideat, vt inclinato vngue in latus, neque statim diffluat, neque pertinaciter hæreat. Aliqui dicunt, quod optimum est lac, vbi è mamma in volam manus exceptum fuerit sit moderati teporis non dissimilis à calore naturali, à quo fit; hæ sunt omnes conditiones, quæ conueniunt optimo lacti.

Sed lac non tantùm pro varia animalium specie varias habet facultates, sed in eadem specie diuersum euadere potest, pro vario animalium habitu, temperamēto, ætate, victus ratione, & pro anni tempore; nam si consideremus anni tempus, Vere docente Galeno 3. de alimentorum facultatibus cap. 15. quemadmodum liquidissimum, ita & copiosissimum, hinc fit, vt videatur magis detergere, quàm nutrire, æstate vero media in medio suæ naturæ consistit, post verò id tempus sensim crassescit, quoad penitùs deficiat, eademque ratio est in cæteris alijs circūstantijs iam dictis, minùs tamen alit macilentis animantis lac, & magis detergit, quàm vbi sit boni habitus.

Ratione alimenti variatur lac etiam; nam ex Hipp. 6. epidemiorum sectio 5. 35. mulierem, capram, elaterium, aut cucumerem syluestrem pueris esse purgatio-

tionem, & caprarum quoque in Iustinis montibus scammonio, veratro, mercuriali vescentium lac ventriculum subuertere Auctor est Dioscorides, exemplumque adducit Galenus 3. de aliment. facult. illius mulieris, cuius lacte puer vlceribus inficiebatur, eò quòd agrestibus, & praui succi herbis ipsa vesceretur, sic animalia ea, quæ arido, vel adstringenti, ac benè odorato, & sapido pabulo vtuntur, vel montanis locis pascuntur, minus aquosum, minus etiam ventri noxium, minusque subducens, magis quoque odoratum, & sapidum lac habent; quæ verò contra teneris, & recentibus, seu in vallibus, palustribusque locis viuunt, tenue, aquosum, minus ventriculo firmando, magis verò aluo laxandę aptum est, non secus de somno, & vigilia, nec non de immoderatis animi affectibus est dicendum.

Inter exercitia refertur Venus, à qua nisi mulieres, quæ lac præbent se contineant, lac coloris gratiam mutat, prouocare illis sępè menses solet, aliquando lactis inopiam parit, nonnunquam concipiunt, facto autem conceptu, cùm in ipsum quidquid sanguinis optimum est, trahatur in mammas, non nisi vitiosum quid colligitur, idque lac colostrum à quibusdam vocatur: item lac post editum fætum statim emulsum etiam colostrum appellatur 3. de alimentorum facult. cap. 16. & Plinius lib. 28. cap. 9. quod ita crassum est, & copiosum, vt sine coagulo, vel si supra cineres calidos coquatur, concrescit.

De ætate verò ipsius animantis, cuius lac assumitur, dicendum est, quod lac animantium recens enixorum, ventriculo sit noxium, & renibus malè affectis, ijs præsertim, qui calculo laborare solent valdè inimicum, quemadmodum è contra, quæ multo iam tempore pepererunt dū à solidis earum corporis partibus diuturna emulsione iam exhaustis melior, solidiorque sanguinis portio auidius retinetur, in mammasque non nisi aquosa ferri permittitur, aquosum lac esse solet, optimum est igitur, quod medio tempore, neque statim à partu, neque ab eo lōginquius emulgetur, tempus quoque emulsionis non est negligēdum; nam multum interest, sit ne id recens, an diu iam ante extractum.

De Indicationibus.

His omnibus ritè, & vt decet perpensis, facilè vnusquisque colligere poterit, à quibus indicetur lac, & à quibus prohibeatur; sed cùm dictum sit duplicem lac habere facultatem, vnam alendi, hoc est, nutriendi, alteram verò medendi, hoc est medicamentosam facultatem, idcirco in quocunque vel alimento, vel medicamēto administrando duo considerantur, vnum est indicans, atque permittens, aliud verò est rectus vsus, vel recta administratio, nos sumus in lactis natura examinanda, ideo operę pretium est, vt videamus, à quonam primum indicetur lac, nempè quodnam sit indicans, præseruatorium, vel curatorium, aut vitale; indicans enim curatorium est morbus, præseruatorium est causa, vitale verò est res secundùm naturam, quæ refertur ad temperamentum, ad habitum corporis, ad virtutem, & ad ætatem.

Cùm igitur dictum sit lac habere rationem nutrimenti, seu alimenti, & medicamenti, si ipsum consideremus, vt alimentum, procul omni dubio indicatur à viribus, & ab habitu corporis, quæ sunt conseruanda, & quamuis vt alimentum videatur magis indicari à virtute, quæ est conseruanda, & etiam augenda; nihilominus vt alimentum est, primò videtur indicari à virtute nostrum corpus regente, non autem à macie, nisi per accidens, quatenus habitus corporis emaciatur.

Ad vires, quæ nostrum corpus regunt, conseruandas, operæ pretium est solidas corporis partes copiam sanguinis optimi, & spirituum habere, & huiusmodi sāguinis copia, & spirituum haberi non potest, Galeno Authore, nisi ab alimentis optimi succi, & facilis per corpus distributionis, & quamuis lac alicuius animalis habeat hasce conditiones, nihilominus non omnia lactis genera sunt apta, vt facilè in bonum sanguinem conuertantur: hinc non rectè sentire videntur illi, qui scribunt, quodcunque lac indicari à macie corporis, nisi quatenus aptum est con-

conuerti in bonum sanguinem, inde in humiditates quatuor à Medicis vocatas; nam vna, & prima est innominata, altera ros appellata, tertia cambium, postrema gluten; prima remanet in venis, ros verò supra partes roris in modum spargitur, conuerti turque in cambium; Cambium verò conuertitur in gluten, at non omne lac aptum est vt in has humiditates conuertatur, sed illud tantũ, quod in has humiditates, presertim in gluten cõuertitur; at lac asininũ non potest esse tale, quod in eo predominetur aquea substãtia (hoc est serum) ita vt illud lac, quod potest vires corporis augere, potest etiam nutrire, quamuis lac suapte natura non est aptum per se solum nutrire, quare nec vllum lac potest indicari à viribus, quæ vbi robustæ fuerint, possunt alimentum conuertere in substantiam eius, quod nutritur, & vbi conuersum fuerit, tunc id, quod est deperditum, restaurat, indeque succedit habitum corporis repleri, & optimè nutriri.

Sed meliùs est, vt consideremus ipsum lac, quatenus est medicamentũ, quod cũ dictum sit esse frigidæ naturæ, & humidæ, ab affectibus calidis, & siccis indicatur, vt à febre hectica, & à sicca, calidaque intemperie ventriculi, hepatis, renum, vesicæ; nam ea attemperat, & ab acribus humoribus tutatur, quales sunt in destillatione acri, & salsa, & tandem ab omnibus, quæ attemperari, & leniri postulant, siue ratione alicuius phlegmones, siue ob morsum, vt in vlceribus vteri, renum, vreterum, vesicæ, & cõmunis canalis, siue ob malignitatem quandam, vt in cancris, & venenis, quæ erosione interimunt, quatenus consolidat, quamuis ratione humiditatis iunctę lac solum vix consolidare potest, eò quòd consolidantia debent esse sicca.

Quatenus modò lac detergendi facultatem habet, à succis crassis, & viscidis, ab vlceribus sordidis, & purulentis indicatur, quatenus verò habet facultatem sistendi, à nimio fluore non modò sanguinis, sed etiam cuiuscunque alterius succi, in quo tamen casu inter cætera lactis genera ouillum tanquam magis crassum, & terreum magis probatur, hinc profluuium mensium immoderatum, & mictus sanguinis à lacte ouillo nonnunquam curata fuere, hæc sunt indicantia lactis: videamus, quæ sint contraindicantia, & primò consideremus ea, quæ desumuntur à rebus naturalibus, & primò temperamẽtum, quod frigidum sit, & pituitosum, eò quòd lac difficulter concoquitur, & in flatus, & crudos humores conuertitur; contraindicans est itidem, & habitus biliosus, & præsertim ventriculus, qui ob nimiam caliditatem facilè humorem in nidorulentos vapores conuertit.

Quod spectat ad habitum corporis, habitus, qui sit crassus, & habeat meatuũ angustiam, facilè obstructiones excitat, ætas quoque adolescentiæ, iuuentutis, in quibus facillimo negotio in bilem cõuertitur, præsertim in ijs, qui non assueti sunt lac gustare, & qui etiam indiuiduali quadam proprietate vsum lactis abhorrent; tandem, quibus virtutes corpus regentes debiles, ac languidæ sunt valdè, ijs lac non est exhibendum.

Circa res non naturales, & primò quoad aerem, aer valdè frigidus contraindicat vsum lactis, quamuis huiusmodi contraindicans, vbi necessitas vrget, cubiculo idoneo, igni ex optimis carbonibus accenso, potest facilè mitigari, quemadmodum contigit nobis in curatione Perillustris Viri D. Francisci Merullæ, qui cùm omnia fecisset medicamenta supradicta, & cum pauco fructu, fuimus coacti ad vsum lactis asinæ deuenire media hyeme, & Deo dante maxima cũ vtilitate, nã cùm appetitu careret, essetque in continua (cum vrinarum, vt dictum est, perseuerantia) post assumptionem lactis asinæ spatio trium, aut quatuor dierum, & mirum sanè dictu, appetitum recuperauit, sitisque quasi abolita, & nunc in eodem lactis vsu perseuerat, & iam transacti sunt quadraginta dies, quibus recuperauit sanitatem, nunque accipit lac caprinum ad maciem remittendam, ita vt indicans illud, quod desumitur ab aere, potest quandoque mutari, & ad meliorem condictionem reduci.

Interdicitur quoque ab alimentis, prę sertim in ventriculo contentis, à plenitudine nimia, & sæpè ab aluo adstricta, quæ

aluus cùm esset satis moderatè fluida, ab vsu tamen huius lactis adstricta est, cui subinde succurritur clysteribus.

Videamus modò, quæ sint res præter naturam contraindicantes, 1. ex Hip. & Galeni sententia: ex Hippocrate quidem 5. Apho. 64. ex Galeno 3. de Aliment. facult. cap. 15. reprobatur in capitis dolore per essentiam, in febre putrida magna, in visceribus flatulentis, & obstructis. Conciliator libr. 5. diff. 194. addit fluxionem catarrhi, nauseam, cibi fastidium, quòd facilè cibos in vētriculo corrumpat. Addunt & nonnulli in siti morbosa non esse concedendum lac, de quare non satis intelligo, qui fieri possit, vt siticulosis interdicatur vsus lactis, cùm non omnis sitis ab eadem causa proficiscatur, & quamuis Celsus scripserit per siticulosos eos intelligendos esse, qui ob febres acutas nimium sitiunt, Galenus tamen, scribente Baricello, per siticulosos exponit eos, quibus vel natura, vel aliquo tempore sitis aduenerit.

Interpretatur Baricellus opinionem horum clarissimorum virorum, quos inquit intelligere eos, qui quasi continua siti cruciantur, verùm quidem operæpretium est, vt hoc in loco cōsideremus causas immoderatæ sitis, quas Galenus reducit ad tria capita, nempè ad caliditatem, ad siccitatem, & ad vtramque causam 1. de simplic. med. facultatibus cap. 30. eandem habet sententiam 6. de locis affectis cap. 3. vbi dicit sitis ingentis causam esse ventriculum, aut calida, aut sicca, aut vtraque intemperie affectum, & maximè os ipsius superius, quod os ventriculi, eodem Galeno docente, est veluti sensorium quoddam, non modò percipiens obiecta sensus tactus, quę sunt qualitates tam primæ, quàm secundæ; verùm etiam percipit indigentiam alimenti, & potus, quod vbi afficitur intemperie quadam calida, statim mouetur ad inquirendam humiditatem, quæ est potus, è contra verò renuit alimentum; incalescit autem, & intemperatur ad caliditatem ratione intemperiei calidæ, iecoris, & maximè partis eius simę.

Additque Galenus simul cum intemperie harum partium æstuare mesenterium, ieiunum intestinum, & pulmones: addit etiam Gal. huius accidentis, nempè sitis naturam plerumq; proficisci à dispositione erysipelatis naturam referētis omnes has partes incēdentis, quę magna ex parte marcor sequitur, alius atq; alius pro ipsius intensione, & remissione, & propter accidentium communicationem: simul, & renum affectibus iungitur.

Additque eodem in loco Galenus ingentem sitim à diabetica passione prouenire. Cùm igitur à partibus prædictis affectis intemperie calida contingat fieri maximam sitim, quæ vbi à tot causis, & partibus affectis prouenire possit, sed maximè à pulmonum, & iecoris inflammatione, seu intemperie calida, ab his rebus, quæ habent facultatem refrigerandi, & humectandi tolli posse verisimile est; imò verò Plutarchus lib. 7. symposiacon, seu conuiuiorum nititur defendere Platonis opinionem, in lib. Timæi, aut de natura scriptam, vbi dicebat potum descendere ad pulmones; vult enim ex pulmonibus inflammatis fieri sitim ardentissimam, tū ratione caloris, tum siccitatis in eo inductæ, & quòd verum sit pulmones inflammatos inducere sitim, ex peripneumonia probat, quæ est inflammatio pulmonum, deinde affert aliud argumentum, quo vult probare à pulmonibus inflammatis sitim prouenire, est autē argumētum desumptū ab animalibus carentibus pulmonibus, aut exiguos valdè habentibus, neque potum appetentibus, vt sunt volatilia animalia rapacia, quæ rostrum incuruatum habent. In casu Perillustris viri iam dicti sitis illa ingens, & inappetentia ad cibum ab eadem causa, nempè à caliditate ventriculi, & iecoris potissimùm proueniebat, quia vbi primùm lac asininū assumpsit, ante decimum quintum à die assumptionis lactis fuit omninò liberatus, & ab inappetentia, & à siti vehementi, qua cruciabatur.

Ex quibus apparet non omnē immoderatam sitim contraindicare vsum lactis, cùm, vt dictū sit, illud habeat facultatem refrigerandi, & humectandi, illa verò ab intemperie calida prædictarum partium proficiscatur. Sitis ab hydrope, aut à diabetica passione, quæ & hydrops ad matulam

iam dicitur contraindicant vsum lactis habitis indicantibus, & contraindicantibus, tempestiuum est, vt deueniamus ad rectum vsum, qui constat ex quatuor rebus, nempe, ex quanto, quando, quomodo, & vbi.

De Quanto.

Quod attinet ad quantũ, idest ad quãtitatem lactis assumendam, rectè Leonardus Iacchinus scriptum reliquit supra lib. 9. ad Almansorem cap. 43. vix describi posse, sed operæpretium est coniectura quadam assequi, desumpta à viribus, & à cõsuetudine illius, qui lac est assumpturus; nam si vires imbecillæ fuerint, tantum dabitur, vt infra quartæ horæ spatiũ, lac quod assumitur, sit confectum; si verò virtus valeat, ægerque sit assuetus lac ebibere, tunc à sexta vncia vsque ad octo, & quandoque ad libram potest concedi, si præsertim absque vllo symptomate ipsum digerat; respicienda etiam est varietas animalium, ex quibus sumi debet, & pro diuersitate scopi propositi; nam si ad refrigerandum, atque ad detergendum eo vtamur, minor asinini copia, quàm caprini, & huius minor, quàm ouilli, & ouilli minor, quàm bubuli satis est: si verò ad nutriendum, minùs bubuli, quàm ouilli, & huius minus, quàm caprini requiritur: si ad cohibendum fluxum minor bubuli, quàm ouilli, & huius quàm caprini quantitas sufficit.

Sunt, qui dicant dosim, seu quantitatẽ lactis incipiendam esse ab vncijs duabus ad libram vnam, quemadmodum eorum, quæ lacti admiscentur, à cochleari dimidio ad integrum: admonent etiam non esse statim totam hãc lactis quantitatem exhibendam, sed ex doctrina Galeni lib. 10. meth. med. cap. 11. primo ad cyathũ, idest ad vncias duas offerendum, & si ventriculus hanc quantitatem benè ferat, sensim deinde addendo semper dimidium cyathi ad iustã mensuram progrediendum esse. Sed huiusmodi Galeni consilium intelligendum est de illis, qui virtutem languidam habent, quia vbi vẽtriculus benè valet, vt in nostro ægrotante euenit, possumus, vt dixi lac exhibere à principio ab vncijs quatuor ad vnc. octo, & vsque ad libram; nam ventriculus lac benè fert, nec in eo corrumpitur, neque fluctuat, neque vires grauat, id quod cognouimus semper ex pulsu ante, & post assumptum lac, quem pluries animaduertimus æqualem esse, quamuis à principio esset, & velocior, & frequentior, & post assumptum lac, maior redderetur, & valentior, quàm esset ante assumptionem; nam vbi corrumpitur lac in ventriculo pulsus fiunt similes ijs, qui apparent in cardialgia, nempè frequentes, & lanquidi, & quamuis Hippocrates 4. de ratione victus 29. vtebatur quantitate lactis ab heminis duabus vsque ad octo, imò verò aliquando concedebat quantitatem lactis ad heminas sexdecim, est autem hemina pendens vncias nouem, vt in tractatu de ponderibus à nobis declaratum est; & Dioscorides lib. 2. cap. 64. de lacte scriptum reliquit de quantitate ipsius ad hunc modum, heminis per interualla singulis vsque ad quinas, ita vt intercedentibus spatijs potantes ambulent: Verùm Hipp. ex auctoritate Galeni in commentario huius textus notat consuetum fuisse Antiquis lac in multa copia offerre, sed ad purgandum; nam lac non potest purgare, nisi assumatur in magna copia, hinc mirum non est, si Hip. in tanta copia ipsum offerebat. Multæ sunt causæ, in quibus Hip. vtitur lacte, quas omnes recenset Ioannes Costæus lib. 3. de lactis, & seri vsu pluribus capitibus: Dioscorides verò proponit vsum lactis ad porrigendum ægrotantibus ea ratione, qua concedi solent aquæ thermales; proponit enim multam copiam lactis assumendam vsque ad quinas heminas, hemina autem eadem est mensura cũ cotyla, quæ pendet apud Græcos præsertim Athenienses vncias nouem, ita vt tota quantitas continua lactis assumendi ascendat ad libras tres, & vncias nouem discreta verò est ad heminam vnam, quam bibere ægrotantes vult, deinde spatiari per aliquod tempus, quousque tota quantitas lactis fuerit assumpta. Sed cùm dictum sit quinque esse genera lactis in vsu pro ægrotantibus, non declarat quodnam genus lactis ita assumendum veniat, certissimum est

nec bubulum, nec ouillum posse ob crassitiem eorum, ita vt vel ad secessum, aut ad vrinam descendant, vt possint ad modum propositum assumi, nec videtur lac humanum posse tam facilè descendere vt sit vel diureticum, aut expurgatorium, relinquitur igitur, dubitandum de genere lactis assumendo, nisi dicamus caprinum lac cùm copiam seri habeat, & magis asininum posse ad partes prædictas ob sui fluxibilitatem descendere; nullus tamē est Auctor, qui hanc materiam determinet, neque in quo casu lac sit hoc modo porrigendum. Matthiolus quidem nullum verbum facit de porrigendo lacte hoc modo ægrotantibus. Nos supra in Antidotario ostendimus ad hunc vsum valere serum destillatum, & hæc de quantitate lactis offerenda.

De modo.

Quamuis ea, quæ dicta sunt à Dioscoride videantur descripta pro modo offerendi; tamen magis quantitatem designant: modus autem lac exhibendi est, vt sit actu calidum suo calido naturali, quod vt melius seruetur, prout conueniens est, Galenus consulit 7. meth. med. cap. 6. vt æger ipse exugat lac à mammis ipsius animalis, id quod fieri potest, vbi porrigendum est lac humanum, sed vbi accipiendum sit lac asininum vel alterius bruti animalis difficilè iudico hominem talem reperiri posse, qui velit lac exugere à mā̃mis prædictorum animalium, non modò ob sorditiem ipsorum, verùm quia est animal irrationale, cui non potest præcipi vt sese contineat in tali situ, vt æger commodè possit à mammis eius lac exugere, quare, vt lac non multùm in aere moretur, eò quòd celerrimè nimis alteratur, refrigerarique potest, opus est animal ad lectum ægrotantis duci, emulgereque lac: sunt qui dicant quoad modum emulgendi accipiendam esse phialam vitream pannis calidis circumuolutam, atque lac intus emulgere eo modo, & percolari, sed placet magis, vt accipiatur vasculum terreum aqua calida plenum, in quo vitreum vas ponatur instar balnei mariæ, super quod imponatur linteum album, nitidum, in superficie cuius saccharum puluerizatum spargatur, inde emulgeatur lac; tunc enim temporis lac percolatur, & simul, & semel ab omni re aliena depuratum remanebit.

Sed quoniam sæpè contingit lac chalybeandum esse, vel in eo lapides viuos ignitos extinguendos, id ad hunc modum peragendum est, primò lac emulgendum, deinde accipienda lamina chalybis ignita vel lapilli igniti, & in eo extinguendi veniunt, postea lac percolandum, & ei admixto saccharo, vel melle, vel sale, vel aliquo medicamento, statim exhibendum est, quamuis de saccharo, & in hoc, & in alijs casibus admiscendo illud notandum est, posse id panno lineo, per quem percolatur lac, imponi. In præsenti nostro casu Perillustris Patritij iam dicti loco salis, aut sacchari vsi fuimus tabellula quadam, cuius singulo mane assumit drachmas iij. & etiam quatuor, quam ante assumptionem lactis assumit, deinde statim superbibit lac asininum, fit autem tabella ad hunc modum.

℞. Sacchari optimi vnc. j.
Pulueris rosarum,
Margaritarum præparatarum ana drach. j.
Et fiat tabellula.

Ab assumpto lacte ab omni alio cibo abstinendum est, quousque è ventre lac excesserit, quod post quartam, vel quintam horam, vel sextam etiam pro robore virium, & ventriculi: noster æger post assumptionem lactis permittit transire spatium quinque horarum, & semis, & quandoque sex horarum.

Quod attinet ad somnum, solent interdicere plerique à lacte somnum, & per somnum tamen caloris ad interiora fit retractio, hinc concoctio fit melior, & infantibus etiam dormire iuuat postquam lac exuxere. Verum si quis parum lactis capiat, concoquendi eius gratia reuocatione caloris opus est, nisi vires extremè imbecillæ fuerint: si verò multùm accipiat, & dormiat, fit lactis in caput, corpusque omne effumatio larga, vnde grauitas, & torpor. Igitur à somno in reliquis cauendum est, & tantum in summè languidis, quibus multum dari nō

potest

poteſt ad concoctionem adiuuandam concedendum. Motus quoque, & quies requiritur tum animi, tum corporis; nam validus corporis motus omnem calorem influentem ab interioribus ad exteriora extrahit, & ad hunc modum contingit concoctionem reddi debiliorem, neque poſt ſumptum lac validius mouere ſe, eſt opus, eò quòd experiẽtia apparet, ſubtracto igne à lebete malã fieri coctionem, per motũ etiam validum ventriculi os inferius intempeſtiuè aperitur, hincq; quidquid aſſumptum eſt, trahitur in primas venas, viſceraque reliqua crudum neceſſe eſt vt trahant.

In animi motu non vbique par ratio; nam aliquibus foras euocatur calor cum moleſtia, vt per iram, quę idem atque motus corporis habent incõmodum, qui verò ad interiora reuocant, vt triſtitia ſuffocando innatum calorem coctionem impediunt; ſi enim æſtuante adhuc corpore lac ſumatur, fit quidem, vel vt corrumpatur in bilem in ventriculo calido, in quem bilis per iram concitata facilè effunditur, vel in crudum ſuccum vertatur in frigido ob caloris diſtractionem, at per metum, & triſtitiam licet reuocatio feruentis caloris fiat in interiores partes, tantùm abeſt tamen, vt ea reuocatione coctio adiuuetur, vt potiùs inſito cordis calore ob nimium ſpirituum, humorumque in ipſum per corpus confluxum ſuffocato, coctio in corpore toto corrumpatur.

Qui itaque lac ſumpturus eſt, illi à valido motu omni, ſiue corporis, ſiue animi, & ante, & poſt ipſum interdicitur.

Quod ſpectat ad alimenta, qui lac aſſumit, ijs alimentis vti debet, quæ & benè, & facilè nutriant, & in probum ſanguinẽ conuertantur, quemadmodum è contra ſi quis lac aſſumens inſignem aliquam paſſus ſit euacuationem, inſtauratione eget, quemadmodum è contra, qui pleno ſunt corpore, ſi adſtricta aluus fuerit, improbatur tanta alimenti copia, ſed vtendum potius eſt ad laxandum ventrem aliquo genere lactis, quemadmodum eſt lac aſininum, quod aluum minimè moueat, niſi in quantitate fuerit aſſumptum: eſt etiam hoc in loco animaduertendum lac nunquam, aut rarò ſaltem, per ſe ſolum vſurpari ſolere, indigetque corrigente, & adiuuante: corrigente quidem non ſolùm propriæ naturæ, verùm etiam ob præſens aliquod prohibens, ne corpus humanum deſtituatur adeo optimo præſidio; adiuuante verò, quoniam non rarò actiuitas affectus curandi excedit vires lactis.

Si igitur de corrigentibus ſermo ſit, lac quantum attinet ad propriam ſuam naturam, quoniam, & coagulari, & corrumpi in ventriculo ſolet propter moram, quam ibi trahit, corrigi debet cum aliquo detergente, quod ex Galeno 10. meth. med cap. 2. 7. eiuſdem cap. 6. 3. de alim. facultatibus cap. 15. eſt ſaccharum, quod conuenit in affectibus calidis, & naturis ſimilibus, nec non ægris habitus calidioris: ſed non ſolùm ſaccharo vtendum eſt, verum etiam, & medicamentis quibuſdã ſimul cum ſaccharo maiorem aperiendi, & ſtomachum corroborandi facultatem habentibus, quemadmodum illud eſt, quo nunc vtimur in curatione Perilluſtris Viri iam dicti; eſt autem medicamentum, quod

℞. Sacchari albi cum aqua roſata clarificati vnc. viiij.
Amyli puriſſimi, & noui vnc ſemis.
Amygdalarum dulcium vnc. ij.
Contundantur amygdalæ cum ſaccharo, deinde per denſum ſetaceum percolentur atque cum amylo igni admoueãtur, cumque ſpiſſari cæperit amylum, adde
Rhabarbari optimi ſubtiliter puluerizati drach. ij.
Sacchari vnc. iij.
Et vbi in forma molliori volumus, parum coquendum, ſi in forma ſolida, perfectè coquimus ſecundùm artem.

Huius medicamenti aſſumit vnciam ſemis, deinde ſtatim ſuperbibit lactis caprini vncias ſex, cuius doſim augebimus in dies, quouſque carnem amiſſam recuperauerit; nam per quadraginta dies continuos vſus eſt lacte aſinino, & maximò (deo dante) cum fructu.

At in naturis frigidis in ætate ſenili, & morbis ad frigidum inclinantibus melle vtimur, vbi hoc loco notandum eſt, quòd hæc duo, nempè ſaccharum, & mel non ſolùm habent naturam, ſeu rationem corrigentis, verùm etiam, & adiuuantis, quãdo in

do in causa sunt, vt illud faciliùs, ac citiùs in omne corpus distribuatur.

Quantum verò attinet ad ea, quæ prohibent lac: corrigentia sunt varia pro varietate prohibentium; si igitur frigiditas ventriculi, flatuum abundantia, & murmur hypochondriorum lac prohibeant, quod tamen ab alio affectu requiratur, tunc vt prohibenti, & indicanti simul satisfiat, lacti immisceri potest puluis paratus ex duabus partibus sacchari, & vna cinnamomi electi, aut loco cinnamomi adijci potest aliquid vel nucis moschatæ, aut macis, vel etiam specierum aromatici rosati, quamuis in mulieribus curandum est, ne in aromatico rosato apponatur moschus, aut ambra: solet etiam præter hæc parari aliud medicamentum exterius, quemadmodum est emplastrum ex mastiche, aut etiam ex taccamacca, aut ex ladano.

Si verò contingat febrem putridam, aut biliosorum humorum copiam, vsum lactis prohibere, solet ei admisceri aliqua portio aquæ fontanæ, nempè ad quartæ partis quantitatem, illudque ita paratum ad leues prunas, aut cineres decoquere solet lento igne ad dimidias sine intermissione agitando; parare solet Alexander Trallianus lib. 8. cap. 8. de dysenteria, qui modus lac corrigendi fuit tempore Galeni in vsu apud nonnullos, vt patet ex 3. lib. de aliment. facult. cap. 15. Non desunt, qui lac non simpliciter, sed acidũ parant, quod à Galeno loco præcitato oxigala vocatur, quod in hunc modum parant. Accipiunt enim lac emulsum, deinde aeri per noctem exponunt, manèque baculo agitant, quousque copiosa spuma excitetur, qua separata à lacte, ipsum remanet acetosum, & hic modis lac corrigi solet.

Circa verò adiuuantia, multa possunt lacti admisceri, quia etiam à varijs, & diuersis affectibus, qui maximè sunt actiuitatis requiritur lac, idcirco si lac eo nomine detur, vt fluorem aliquem sistat, immiscendum est aliquid, quod habeat facultatem adstringendi, quemadmodum est inter alia boli Armeniæ, vel coralli rubei, aut equiseti puluis, cui tamen saccharum addendum est in ea proportione, in qua supra dictum fuit aromaticum rosatum esse saccharo admiscendum, & in hoc eodem casu consueuerunt Medici in ipso lacte extinguere laminum chalybis ignitã, nunnulli vt supradictum est, ignitos lapides inijciunt, ipse verò Galenus ferreos cylindros in eo extinguit, rursus si lac exhibeatur ea ratione, & intentione, vt vlcus aliquod sanetur, primùm ad detergẽdum poterit addi mel, deinde ad implendum vlcus, & moderatè siccandum permisceri opus erit puluerem sarcocollæ, vel mastiches, thuris, diatragacanthæ, sed cum saccharo admistum, vt dictum fuit, tandem vt ad cicatricem adducatur vlcus, aut saltem efformetur callus, plurimùm valent pulueres supradicti, nempè adstringentes, & mixti cum saccharo prę sertim rosaceo exiccato, & puluerizato.

Sed vnum hoc in loco insurgit dubiũ, cur Gal. 5. de sanit. tuenda c. 7. scripserit lac asininũ, & caprinũ offerre per vices esse melius; cui quæsito respondens, inquit, satius esse alterum capram, alterum asinam esse, earumque lacte vicibus vti, quippè asinæ lac tenue, serosumque est, capræ mediocris substantiæ, itaque hoc nutriet magis, vbi videlicet nutritione est opus, illud verò omninò est tutius. In nostro hoc casu cœpimus primùm vti lacte asinino, cuius quantitas fuit ad vncias vsque octo, illudque per spatium viginti dierum cum tanto felici successu, vt videretur à manu Dei directum, quibus trãsactis, vt melius nutriretur, & inde virtus augeretur, hinc macies ex toto tolleretur, quod Deus permittere velit.

Aliud insurgit dubium non spernendũ, & est, quòd Galenus lib. 10. de simpl. med. facultatibus cap. de lacte, & 3. de alim. facultat. cap. iam citato scriptum reliquerit sal esse apponendum in lacte quando bibitur; contrarium tamen sentire videtur Dioscorides. Hanc quæstionem proponit Amatus Lusitanus cẽturia 6. curat. 56. ad scholium, eamque ad hunc modum soluit, dicens lac esse considerandum duobus modis, vel quatenus bibitur, & cũ eo apponitur sal, & tunc prohibet densationem, & coagulationem fieri in stomacho, & hoc modo Galenus consulit esse sal immittẽdum lacti, ne coaguletur; Dioscori-

scorides verò considerauit lac in ventriculo coagulatũ, cui si sal offeratur magis condensat, ideo, & sal, & omnia salsa inhibuit, vbi lac fit condensatum, quare nulla est controuersia inter ipsum, & Galenum, cùm diuersimmodè loquantur.

De quando.

Videamus modò, quonam tempore lac sit exhibendum: tẽpus duobus modis consideratur, vel respectu anni temporis, vel etiam respectu horæ, in qua assumi debet: si primo modo, omne tempus est idoneũ, si præsertim adsint indicantia, nullumq; adsit prohibens validum, & vbi rectè purgatum fuerit corpus, magis tamen opportunè datur tempore Veris, eò quòd lac, & temperatius tunc sit, magisque fluxibile, vt faciliùs deglutiri possit, est etiam & copiosius.

De tempore verò particulari, melius est ipsum offerre mane, & ieiuno ventriculo, & ante prandium per quinque horas circiter: tempus verò exhibitionis, & perseuerantiæ in ipsius vsu est ad quadraginta dies, plus minus pro diuersitate naturæ, atque morbi illius, qui recipit, nam vbi lac prodest ægrotanti, & ægrotus rectè fert, ipsiusque vsu delectatur, potest accipi ad libitum, & ad quinquaginta, vel sexaginta, si iuuamentum percipiat, & nihil detrimenti patiatur.

De Vbi.

Adeo clarum est huiusmodi caput, vt nulla egeat probatione, quia in primis bibitur, vt iam ostensum est: aliquando etiã per partes infernas immittitur pro diuersitate morbi, vt in dysenteria, vbi tollenda est acrimonia humoris acris, & mordacis, simul ad vlcus consolidandum pro diuersitate lactis inijcitur quoque in vterum in mulieribus in meatum vrinarium, & vesicam: exterius etiam, quandoque admouetur, vt in vlceribus: fiunt etiam ex ipso lacte extrinsecus multa præsidia quemadmodum sunt embrocationes, seu irrigationes sub forma lauacri, insessus, atque fotus.

Tandem ex eo componũtur multa emplastra, & cataplasmata: & hęc sint satis de cognitione lactis, & de recto ipsius vsu.

DE SYRVPO EX CORALLIS.

ALiud medicamentum, cuius causa appendix Antidotarium sequitur, est syrupus iste, qui componitur ad hunc modum.

℞. Succi limonum corallina substantia benè imprægnati lib. j.
Sacchari optimi vnc. vj.
Bulliant ad syrupi crassitiem.

Tanti faciunt huius syrupi compositionem Medici nostrates, atque Seplasiarij, vt à plerisque ipsorum fuerim damnatus, quod tam excellens præsidium, tot facultatibus prędítum in meo Antidotario neglexerim, deinde rogarũt me, vt in hac appendice ipsũ examinare vellẽ, quod vt illis rẽ gratã facerem, hũc ex Quercetano, vt apparet, descripsi, quãuis non me lateat plures syrupos eandem intentionem habentes à plerisque Authoribus fuisse descriptos, qui etiam habentur in hoc Antidotario; nam facultates, quas illi adscribit Quercetanus, sunt adstringere, atque fluxiones hepaticas, dysentericas, & lientericas sistere, quas easdem facultates habent syrupus de succo myrtillorum, syrupus de infusione florum mali punici, & alij etiam supra suis locis descripti, qui etiam sunt longè facilioris præparationis, vt vnicuique eos legenti apparere poterit: hic verò syrupus de corallis vix confici potest, nisi à Pharmacopœo, qui etiam instructus sit in rebus chimicis, & ideo redditur difficilis præparationis; nã opus est accipere succum limonum, siue etiam berberorum, qui iam ex fructibus maturis exprimantur, filtrentur, & quàm accuratissimè depurentur; nam eiusmodi succi, cùm sint acetosi, & acidi, quo perfectiùs depurati fuerint, & à sua crassa, & terrea substantia, qua pollent exquisiti us segregati eo aptiores, & efficacio-

res

res erunt ad dissoluendum corallum crasso modo puluerizatum, ipsúmque corallum. Ad conficiendum hũc syrupum opus est colligere corallum omnium rubicundissimum, & elegantissimum, vt syrupus sit perfectè rubeus; sed huiusmodi operationes quamuis à Chimico videantur propositæ, possunt etiam, & ab eleganti Pharmacopœo fieri, sed quæ postea proponuntur à Quercetano, suum Chimicum optat, quemadmodum est inijcere corallum in matracium vitreum, & idoneum, in quo affundatur prædictus succus optimè depuratus, ita vt materiam, nempè corallum puluerizatum quatuor digitos, aut paulò plus supernatet, & collum subere, vel cera hispanica occludatur, & in balneum vaporosum feruidum collocetur, hoc est, matracium aquam nõ attingat, sed vapores ex aqua bulliente ascendentes circumquaque illud feriant, vbi necesse est, vt vas aquam continens ex omnibus partibus probè muniatur, atque claudatur, ne vapores exhalẽt; huiusmodi balneum vaporosum apud Pharmacopœos ordinarios non est in vsu, & vt dixi, hic syrupus est difficilis præparationis; nam ad hoc, vt totum corallum in illo liquore dissoluatur, opus est, vt dies, noctésque per triduum continuari, & tũc syrupus erit colore subrubro, & sapore dulci, & quidquid dissolutum fuerit, effundendum est per inclinationem, fęcibus nouum succum depuratum rursus affundere oportet.

Addit Quercetanus, quod ad syrupi cõsistentiam faciendam oporteat decoquere in ipso balneo vaporoso, non tamen clauso, sed aperto, & vasis loco accipere oportet alembicum, aut simile vas, cuius collum, & orificium sit satis amplum. Concludit tandem huiusmodi compositionem syrupi magno artificio, & dexteritate singulari opus esse, ne corallorum essentia à succo separetur, qua in re, inquit, vigilantia, & experientia summa requiritur.

In conficiendo igitur hoc syrupo tanta diligentia, & sedulitas requiritur, vt paucissimi sint, qui hunc syrupum præparent, & quamuis Lutetiæ Parisiorum sint plures Pharmacopœi valdè elegantes, & periti, nullus tamen ab ipso Quercetano laudatur, nisi iuuenis quidam Lardier appellatus, qui hunc syrupum sciat, vt artis est, componere; vnde qui ipsum præparare, & componere cupit secundùm hũc Quercetani modum, debet esse valdè peritus tam in operationibus Pharmaceuticis, quàm in chimicis valdè exercitatus, quã obrem si nos cõsideremus vtilitates, quas afferre scibit vir iste hunc syrupum, alios esse videbimus, illi æquiualentes, & qui sunt longè ad componendum faciliores, ita vt videatur labor in conficiendo hoc syrupo longè superare vtilitatem: si quis tamen voluerit ipsum componere, non recuso. Sunt etiam, & alij succi præter succum limonum, qui vbi rectè depurati fuerint, possunt corallum contusum, & in puluerem redactum substinere, ipsiusq; virtutem omnem ad se trahere, vt est succus de berberis, succus de ribe, & succus acetosellæ; cuius dosim ad conficiendum hunc syrupum, ac quantitatem acciperẽ, & absque tanto labore conficerem syrupum ad hunc modum.

℞. Succi acetosellæ optimè, & secundùm artem depurati lib. j.
Infunde in hoc succo corallorum rubeorum puluerizatorum vnc. j. & semis, & infunde per spatium trium dierum, deinde exprimatur, vt artis est, atque addatur huic expressioni sacchari optimi vnc. vj. vel quantùm sufficit bulliantue in balneo mariæ ad formam syrupi.
Dosis ipsius sit ab vncia vna ad duas.
Propter facultatem adstringendi, potest etiam malignitati humoris, à quo fluxus producitur, resistere.

DIA-

DIASATYRION MESVÆ ex Antidotario Bononiensi.

Recipe eryngij albi mundi elixati, in aqua cicerum, quorum eijciatur prima aqua lib. j.
Testiculorum vulpis vnc. viij.
Radicum raphani domestici vnc. iij.
Serpentariæ maioris vnc. ij.
Terantur, & infundatur super ea lactis vaccini quantitas, quæ superemineat radicibus duobus digitis, additis olei sesami, butyri vaccini recentium ana vnc. iiij. exactè lento igni coquantur ad iustam crassitiem, & si adhuc radices non benè decoctæ sint, fundatur super eis ex lacte, & oleo, & butyro ea quantitas, quæ sufficiat ad perfectam coctionem.
Mellis despum. lib. vj.
Succi cæpæ humidæ lib. j. & semis.
Perfectè coctum vbi erit, & ab igni depositum, adde hunc puluerem.
Cinnamomi.
Caudarum, & lumborum scinci ana vnc. j.
Seminum erucæ,
Nasturtij,
Pastinacæ,
Napi,
Asparagi,
Zingiberis,
Piperis longi,
Linguæ auis,
Been albi, & rubei ana vnc. semis.
Cum prædictis misce, postremò adde.
Nucleorum pineorum mundatorum lib. j. & semis.
Fisticorum mundatorum vnc. x.
Cerebrorum passerum vnc. ij.
Misce omnia probè, aromatiza cum drach. j. moschi optimi.

Huiusmodi Antidotus pretiosa quidem est, & ad duplicem vsum valēs, vnus est vires deperditas restaurare, resque venereas excitare; nā confert emaciatis, atrophicis, atque ad erectionē virgæ, multiplicat sperma, & desideriū coeundi: modus vtendi est diuersus; nam vbi quęritur humectatio in corporibus exiccatis, opus est ipsum electuarium exhibere de mane supraque bibere iuris caponis pinguioris ad libram semis: cum verò quærimus augumentum in coitu, & virilis membri erectionem, debemus exhibere vespere ante cœnam per horam, aut ab assumpto alimento, cum itur dormitum, superbibereque vini albi ad vncias tres, aut quatuor.

Dosis esse potest à drachmis duabus ad sex, & vsque ad octo.

Huiusmodi antidoto sæpè vsus sum in ijs, quibus penis non erigebatur, & in alijs, qui vix semen in vasis seminarijs colligere, aut retinere poterant, & sanè cum felici successu. Memini inter alia me multis ab hinc annis huiusmodi medicamentum propinasse iuueni cuidam, cuius penis erat flacidus, & vix, & cum maxime difficultate coire poterat, cumque per multos dies vsus fuisset hoc medicamento conualuit, ita vt facillimè ei erigeretur virga; verùm cum esset paratus, vt vxorem duceret, quo nomine electuarium sumpserat, quæ illi futura erat sponsa, alteri fuit nupta. Scio etiam me Illustrissimo cuidam viro fortè septuagenario exhibuisse, qui eo vtens beneficium non spernendum, & cum delectatione in coitu percipiebat.

Sed quia oblitus sum antidotum hoc inter pretiosa medicamenta ponere, satius duxi hoc in loco tam elegans medicamentum scribere, quam eo Antidotarium priuari.

FINIS.

DIASATYRION MESVAE ex Antidotario Bononiensi.

Recipe eryngij albi mundi elixati, in aqua cicerum, quorum eijciatur prima aqua lib. j.
Testiculorum vulpis vnc. viij.
Radicum raphani domestici vnc. iiij.
Serpentariæ maioris vnc. ij.
Terantur, & infundatur super ea lactis vaccini quantitas, quæ supereminent radicibus duobus digitis, additis olei sesami, butyri vaccini recentium ana vnc. iiij. deinde lento igni coquantur ad iustam crassitiem, & si adhuc radices non benè decoctæ sint, fundatur super eis lactis, & oleo, & butyro ea quantitas, quæ sufficiat ad perfectam coctionem.
Mellis despum. lib. vj.
Succi cæpæ humidæ lib. j. & semis.
Perfectè coctum vbi erit, & ab igni depositum, adde hunc pulverem.
Cinnamomi,
Caudarum, & lumborum scinci ana vnc. ß.
Seminum erucæ,
Nasturtij,
Pastinacæ,
Napi,
Asparagi,
Zinziberis,
Piperis longi,
Linguæ auis,
Been albi, & rubei ana vnc. semis.
Cum prædictis misce, postremò adde.
Nucleorum pineorum mundatorum lib. j. & semis.
Pistaciorum mundatorum vnc. x.
Cerebrorum passerum vnc. ij.
Misce omnia probè, aromatiza cum drach. j. moschi optimi.

Huiusmodi Antidotus preciosa quidem est, & ad duplicem vsum valet, vnus vt vires deperditas restaurare, reique venereas excitare; nã confert emaciatis atrophicis, atque ad erectionẽ virgæ; multiplicat sperma, & desiderium coeundi: modus vtendi est diuersus; nam vbi quæritur humectatio in corporibus exiccatis, opus est ipsum electuarium exhibere de mane, supraque bibere iuris caponis pinguioris ad libram semis: cum verò quærimus augumentum in coitu, & virilis membri erectionem, debemus exhibere vespere ante cœnam per horam, aut ab assumpto alimento, cum itur dormitum, superbibereque vini albi ad vncias tres, aut quatuor.

Dosis esse poterit à drachmis duabus ad sex, & vsque ad octo.

Huiusmodi antidoto sæpè vsus sum in ijs, quibus penis non erigebatur, & in alijs, qui vix tamen in vasis seminis colligere, aut retinere poterant, & sanè cum felici successu. Memini intercessisse me multis ab hinc annis huiusmodi medicamentum propinasse iuueni cuidam, cuius penis erat flaccidus, & vix, & cum maxima difficultate coire poterat, cumque per multos dies vsus fuisset hoc medicamento, contigit ei, ita vt facillimè ei erigeretur virga, verum cum esset paratus, vt vxorem duceret, quo nomine electuarium sumpserat, quæ sibi futura erat sponsa alteri fuit nupta. Scio etiam me Illustrissimo cuidam viro sexto septuagenario exhibuisse, qui eo vtens beneficium non spernendum, & cum delectatione in coitu percipiebat.

Sed quia oblitus sum antidotum hoc inter preciosa medicamenta ponere, satius duxi hoc in loco tam elegans medicamentum scribere, quam eo Antidotario priuari.

FINIS.

INDEX MEDICAMENTORVM

Quæ in hoc Antidotario continentur.

A

B

C

F

G

H

I

L

Oleum

P

Q

R

Rob,

Syrupus

T

FINIS.



ERRATA SIC CORRIGVNTVR.

Pagina	*Columna*	*Errata*	*Correcta*
1	2	horum	verum
3	1	in syr. de acetosit. citri	addatur lib. v. iuleb. rof.
9	2	aut	autem
11	1	descriptis	descriptus
12	1	vbi	deleatur
24	2	syculis	seculis
33	2	eundam	eundem
46	1	dianicu	diacnicu
54	1	pantiqua	antiqua
76	1	venena	venerea
83	2	supradicta	supradictæ
94	1	qua	quæ
96	2	vehiculi	vehicula
96	2	fabrebant	faciebant
98	1	odoren	odorem
100	1	hosatus	horatius
102	1	caphula	capsula
110	1	aptius	aptior
112	2	existento	existente
112	2	requitur	requiritur
113	2	transfertur	transfertur
114	2	quod	qui
115	2	aliquæ	aliqua
118	1	olei	oleo
118	2	gauia	Gallia
118	2	maxima	maximè
121	1	naturæ	naturam
121	1	animaduetorti	animaduerti
121	1	Manaldo	Manardo
128	2	exacti	ex actis
134	2	alia	alias
137	1	constit	constent
142	2	vncia	drachma
144	2	oxyasanta	oxyacanta
145	1	rasæ	rosæ
152	2	rubiorum	rubeorum
172	2	apogimate	apozemate
183	1	easdem	eandem
183	2	hanc	hunc
191	1	medicata	medicamenta
201	1	depoponendum	deponendum
203	2	vsum	vsus
205	2	tolleolas	talleolas
206	2	assamebat	assumebat

Pagina	*Columna*	*Errata*	*Correcta*
210	2	norutque	noruntque
223	2	mima	minima
225	2	componeant	componant
225	2	frigidis	frigidi
230	2	Antidoti	Antidotarij
234	1	Bonienſium	Bononienſium
240	1	balamo	balſamo
244	2	ſelent	ſolent
260	1	exiccata	exiccatæ
272	1	ſtactem	ſtacten
279	2	bſynthiam	abſynthium
283	2	cum	cuius
302	1	Agiton	Ageraton
302	1	aquaticume	aquaticum
302	1	Rega	Regia
303	1	perſoliata	perfoliata
303	2	rouis	Iouis
304	1	cicraria	citraria
304	1	ſatiue	ſatiua
304	2	pæoniæ	pœoniæ
306	1	ricinij	ricini
316	2	ſtetillationem	deſtillationem
318	2	elegantionem	elegantiorem
eodem loco		prepoſui	propoſui
321	2	mordat	mordeat
322	2	contrahant	contrahat
327	1	malabrato	malabatro
333	1	natura	naturam
335	1	videat	videatur
335	2	comparationum	comparationem
336	1	caninu	caninum
336	2	aſſentur	afferitur
336	2	craſſerum	craſſarum
339	2	nunque	nuncque
344	2	laminum	laminam
344	1	hic	his
346	2	ſcibit	ſcribit
3.6	2	propter	præter

FINIS.

Ego D. Iacobus Calatro Sacræ Theologiæ Primarius Professor in alma Academia Messanensi; Ex commissione Perillustris ac Reuerēdissimi Domini D. Nicolai Protho Vicarij Generalis Nob. Vrbis Messanæ eiusque Diœcesis, vidi librum Ioannis Baptistæ Cortesij, qui inscribitur, Antidotarium Messanense, & cum in eo nihil inuenerim cum Fide, & bonis moribus pugnans, ad publicam vtilitatem censui typis mandandum. Messanæ 12. Maij. Anno 1629.

D. Iacobus Calatro S. T. D.

Perillustris, ac Reuerendissime Domine, Volumen hoc Ioannis Baptistæ Cortesij Antidotarium Messanense nihil continet, quod fidei Catholicæ, vel bonis moribus aduersetur, quare ad commumem vtilitatem prælo subijciendum censeo. Messanæ 12. Maij. Anno 1629.

D. Marcellus Angelus S. T. D. Philosophiæ naturalis publicus Professor.

Imprimatur.
Prothus Vic. Gen.


Imprimatur.
Hieronymus Donato pro Illustri Præside de Blaschis.

REGISTRVM.

§ §. †. ††. †††. A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vu. a. b.

Omnes sunt duerniones, præter Vu. Ternio.



MESSANAE,

Ex Typographia Petri Breæ, MDCXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.